UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

urn:nbn:de:hbz:466:1-60588

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

L. III 22.

Th. 457

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SCIENTIA SANCTORUM

Collecta

EX MEDITATIONIBUS

LUDOVICI DE PONTE, JOANNIS BUSÆI, JOAN. SUFFREN, JULIANI HAYNEUFVE, ET ANTONII GAUDIER, &c.
E Societate JESU,

In Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta.

Cum INDICIBUS duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia.

TOMUS SECUNDUS.

Post Editionem Parisiensem
PRIMA IN GERMANIA.
Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Majestatis, Et facultate Superiorum.

Collegii Paderborne Societ. Jesu 1716

DILINGÆ,
Typis & Sumpt. JOANN. CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.
Per JONNEM FEDERIE.

M. DC. LXXXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARS QVARTA MEDITATIONVM.

De Paßione Domini noßri IESU Chriſti.

INTRODUCTIO AD Meditationes hujus quartæ partis.

De Paſſione Domini.

MEDITATIO de Paſſione Domini tametſi peculiariter conveniat vitæ illuminativæ, confert tamen omnibus. Inde enim juvantur peccatores ad reſipiſcendum, incipientes ad paſſiones edomandas, proficientes ad progreſſum in virtutibus, perfecti ad unionem cum Deo. Per eam innovantur prodigia mortis Chriſti in animis. *Terra tremit*, hoc eſt: terrena corda *concuciuntur* ſalubri metu à tam ſevera animadverſione divinæ juſtitiæ in Filium ob peccata aliena. *Petræ ſcinduntur*, emolliente dolore de peccatis, pro quibus talia Chriſtus perpeſſus ſit. *Sepulchra aperiuntur*, per humilem confeſſionem in reſurrectionem novæ vitæ. *Velum templi rumpitur à ſummo uſque deorſum*, ut

Utilitas.

Matt. 28. 51.

Timor.

Contritio.

Confeſſio.

Contemplatio.

relevata facie, gloriam Domini ſpeculari liceat, tum ſumma divinarum perfectionum, tum ima carnis aſſumptæ. Hæc petra eſt refugium herinaceis, hoc eſt, peccatoribus horrentibus à ſpinis. Huc puriores, ut columbæ advolant, & in foraminibus petræ hujus nidificant. Et alij quaſi cervi ſoliti montes excelſos petere (quorum converſatio in cœlis eſt) inveniunt locum requietionis ſuæ. Hinc *ſugunt* omnes *mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo*: fuit enim Chriſtus in Paſſione ſua quaſi petra duriſſima ad ſuſtinendum cruciatus & injurias, & ex ea percuſſa manavit oleum ad curanda vulnera noſtra, & mel cœleſtium conſolationum.

Deut. 32. 13.

Finis.

Ex hoc principio colligi poteſt, qualis debeat eſſe finis cujuſque in meditando: nempe vel purgandi animam à peccatis, vel promovendi in virtutibus, vel uniendi cum Deo per affectus charitatis ardentes.

Modus meditandi.

Porro paſſionem meditari licet per modum tum gaudii, tum mœroris. Gaudio eſt, quòd, ut ait Iuſtinianus, *divinæ miſerationis reſeratur abyſſus; cœlorum aperitur janua, charitatis latitudo oſtenditur, & quantus ſit homo demonſtratur. Vile enim eſſe non poteſt, quod Filii Dei ſanguine comparatur.* Hinc Abraham in ariete, loco filii ſui Iſaac ſubſtituto, videns hunc diem Dominicæ Paſſionis, gaviſus eſt. Et ipſe Chriſtus coronationis, deſponſationis, & lætitiæ cordis ſui diem hunc vocat in Cantico. Modus iſte convenit perfectis.

I. *Iuſtinianus.*

Gen. 22. 13.

ctis. Alter modus est mœroris & compassionis, quòd Christus tanta sit passus, & ego causam præbuerim: cúmque ille sic exhorruerit, & tristatus fuerit, decet me compati, ne cadat in me illa ejus quærela: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.* Porro Christus bibit calicem Passionis, tum ferendo cruciatus in corpore, tum eos priùs animo reputando. De priori modo dixit filiis Zebedæi: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* De posteriori autem apud Marcum additur: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* quasi assiduè biberet etiam tunc præsensione impendentis supplicii; sed in horto Gethsemani planè exhausit. Quare debemus contendere, ut utroque modo etiam nos calicem bibamus, tum conformitate patiendi, tum affectu compassionis.

II.

Ps. 68. 21.

Christus passus corpore & anima *Matth.* 20. 22. *Marc.* 10. 38.

Imitatio Christi.

In affectu hoc imitabimur Christi Matrem, cujus *animam pertransivit gladius*: Et est peculiare donum Dei, de quo Isaias: *Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent, quasi super unigenitum*: quod etsi exponi solet de Iudæis serò lugentibus peccatum suum; tamen convenit in eos etiam, qui seriò cogitant se dedisse causam Christi morti, & ex intimis sensibus dolent. Sed hoc satis non est, nisi accedat conformatio in passionibus, partim assumptis voluntariis pœnis corporis, partim ultrò obveni-

Luc. 2. 35. *Zach.* 12. 10.

nientibus incommodis gravánter ſuſcipiendis.

Phil. 1. 29. Nam Paulus in donis Dei ponit, *non ſolùm, ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.*

2. *Cor.* 4. 10. Et alibi de ſe ſcribit. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris.* Et de hoc

Gal. 6. 17. gloriatur. *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Præter hæc, & ex his conſequetur ſtudium imitandi heroicas virtutes, quarum vivum exemplar in ſua Paſſione Dominus expreſſit: qui finis eſt præcipuus, & commendatur à

1. *Pet.* 4. 1. D. Petro, cùm ait, *Chriſto igitur paſſo in carne & vos eadem cogitatione armamini.*

Præparatio. Jam, ut finem propoſitum in Meditatione dominicæ Paſſionis aſſequamur, opus eſt præparatione, non ſolùm ob cõmunem rationem qua jubemur ante orationem præparare ani-

Eccl. 18. 23. mam, ne ſimus, *quaſi homo qui tentat Deum*, ſed etiam ob ſpecialem, quia ipſemet Dominus, ad obeundam paſſionem, ſemet magno ſtudio comparavit. Quare cogitabo, ipſum Chriſtum

Thren. 3. 20. mihi dicere illud: *Recordare paupertatis meæ, abſynthii & fellis.* Reſpondebo autem, quòd ſubjicitur: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea: Hæc recolens in corde meo, ideo ſperabo.* Nam devota commemoratio Paſſionis Chriſti fiduciam excitat. Præparatio igitur eſſe debet, quam præſcribit Bonaventura. Debet

Inſtimul. c. 4. homo aggredi hoc tam nobile opus humiliter, confidenter, inſtanter, & cum quanta poteſt cordis ſui munditia.

I. *Humi-*

I. *Humiliter*, non solùm ex communi causa, quia initio rationis *justus prior est accusator sui*; sed speciatim ex consideratione, quòd ego Dominum meum in eas ærumnas conjecerim, unde magnopere confundar. Ampliùs reputabo me indignum, qui Christo patienti assistam: nam privilegii fuit, quòd tribus discipulis in horto communicavit sui animi angorem, quodque Ioannem & Magdalenam sibi morienti interesse voluit cum matre sua. Superbi autem arcentur ab isto spectaculo. Sicut in Iob dicitur: *Timebunt, & non audebunt comtemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* I. Humiliter. *Prov.* 18, 17. *Ioan* 37. 24.

II. *Confidenter*, qnòd fiam particeps fructus, ob quem passus est Dominus, si Passionis ipsius meditationi intendam. Et excitabo fiduciam ex triplici capite, ex *merito* ejusdem Passionis, ex *affectu* illo Christi, quo misertus nostri factus est noster advocatus per Passionem suam, denique ab *exemplo* latronis, qui in cruce locum gratiæ invenit. II. Confidenter.

III. *Instanter*, ut oravit Christus ante Passionem, non somnolenter, ut discipuli. III. Instanter.

IV. Cum *munditia*, quales decet pro tam pretioso liquore excipiendo nos exhibere. IV. Mundè.

Restat dicere de modo meditandi, qui ad vitandum tædium, potest esse multiplex. Duo sunt modi suprà indicati, vel ut consideretur universè ipsa Passio, tanquam insigne beneficium nobis collatum, grates Deo agendo; vel ut summè afflictiva Christi, ei compatiendo. Modus meditandi.

Specialior. Sed specialiùs ad singulas Passionis partes descendere debemus, idque duobus item modis. Vel persequendo ordine historiam, & in singulis partibus immorando, pro ratione fructûs qui percipitur, vel aliquam ex virtutibus Christi, in Passione præcipuè relucentibus, ob oculos proponendo, & actus omnes ubi enituit, studiosè percurrendo, vel loco virtutis certum genus doloris aut contumeliæ, quod sustinuit, per plures occasiones, similiter expendendo, vel denique quæcunque in uno aliquo corporis membro pertulit, simul colligendo.

MEDITATIO PRIMA.

Et quasi fundamentum reliquarum, de circumstantiis Dominicæ Passionis.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Persona patientis

1. *Pet.* 2. 1. *Matt.* 27. 54. *Luc.* 23. 47. 2. *Actor.* 10. 38.

QUis patitur? 1. Agnus sine macula, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, Sanctus Sanctorum, cui Spiritus datus est absque mensura. Quem ipsi Crucifixores Filium Dei, & justum agnoverunt, quando compuncti dicebant; *verè filius Dei, & homo justus erat iste.* 2. Patitur is, qui se totum impenderat in beneficium aliorum *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Itaque non solùm talia supplicia meritus non fuerat, sed omne potius obsequium unde conqueritur: *Re-*

tri-

tribuebant mihi mala pro bonis. 3. Patitur magnus ille amator hominum, qui nobis omnia factus est, ipse Pater noster, Magister, Medicus, Redemptor, Pastor, Creator, Beatificator, Sponsus animarum. Si Filius Patris, si sponsa debet sponsi pœnas, necémque persentire, qualiter ergo Christi, qui etiam ante passionem in Sacramento mirabili se intimè in præcordia nostra insinuavit, ut illius vicissim passiones quasi nostras sentiremus. *Ps.* 34. 12. 3.

PUNCTUM II.

QUantum patitur. Ad duo capita revocatur, ad externas passiones, qua vocavit ipse Dominus baptismum, *baptismo habeo baptizari:* & ad internas, quas *calicis* nomine significavit. Atrocitas passionalis. *Luc.* 12. 50.

I. Quoad primum caput, sustinuit omne genus passionum. In rebus externis, quia ipsis exspoliatus *vestibus*, nudus palam crucifixus est, partientibus illas inter se crucifixoribus. 2. In *honore*, omne genus contumeliæ in ipsum jactatum fuit. 3. In *fama*, variè traductus fuit in genere virtutis, habitus est pro *Samaritano*, & possesso à Dæmone, seductore, vorace, vini potatore, blasphemo, & reprobo. 4. In genere *sapientiæ*, sine literis, furiosus, & stultus. 5. Quoad *miracula*, impostor, & magus, & quòd in Beelzebub operaretur. 6. In *corpore*, cruciatus, tum per se maximos, tum ex complexione deli- I. In externis. *Ioan.* 8. 48. *Ioan.* 7. 15.

delicata sustinuit. 7. In *amicis*, vel quia ab ijs desertus fuit, vel quòd illorum vicem, præcipuè Matris valdè doleret.

II. In sensibus corporis.

II. Deinde licet discurrere per quinque sensus. *Oculi* cruciabantur visis subsannantium actibus & gestibus, contra verò lacrymis ipsum amantium; sed & sputis deturpati, & sangvine ex capite defluente oppleti, nec non propriis lacrymis exesi. *Aures* autem exulceratæ, audiendis blasphemijs, falsis testimoniis, atque indignissimis accusationibus adversùm se. *Odoratus* ab Calvariæ graveolentia, *Gustatus* à siti ardenti, & oblato in solatium aceto. *Tactus* per omnia membra à flagellis, spinis, & clavis.

III. In membris externis.

III. Præterea licet partes corporis præcipuas percurrere, & in singulis propria considerare tormenta, ut verum de Christo sit, *à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* *Isa.* 1. 6.

IV. Interior afflictio.

IV. Dolores interni maximi fuerunt, ut ex agonia apparet, cum sudore sanguineo.

PUNCTUM III.

Circumstantiæ persecutorum Christi.

A Quibus patitur? fuerunt ex omni genere hominum, summo, medio, & infimo, nec non sacro & prophano, ut patet ex historia; & in quos contulerat plurima beneficia toto prædicationis suæ tempore. 2. furebant in Christum variis concitati motibus. Alii non ferebant, vitia sua abeo coargui, alii metuebant sibi à Cæsare, alij cæco zelo Religionis ducebantur. 3. incentores fuerunt potestates tene-

1.

2.

3.

tenebrarum, dæmones: nam *diabolus mìsit in cor, ut traderet eum Iudas.* Et Christus ipse in comprehensione dixit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Nec sicut Iob permissus est Sathanæ, ut *tamen illius animam servaret*, ita & Christus; sed hic absque exceptione. augebant Christi dolores, quòd intueretur corda torquentium, cernerétque quanta in ipsum rabie agerentur, ut parva essent, quæ inferebant, præ odii magnitudine. *Ioan.* 13. 2. *Luc.* 22. 53. *Iob.* 2. 6. 4.

PUNCTUM IV.

PRo quibus patitur? I. pro omnibus omnino hominibus, ut redderet Deo honorem ab eis ablatum, ut iratum hominibus placaret: ut gratiam & media ad æternam salutem necessaria, illis procuraret, ut cœlum eis aperiret, gloriámque beatitudinis acquireret. Ad quæ opus fuit infinito pretio, non solùm, quia demerita fuerunt innumera, sed quia infinitæ malitiæ, ob Dei offensi infinitam majestatem. Et quamvis suffeciſſet una gutta sanguinis, ob patientis personæ infinitam dignitatem, voluit tamen totum fundere, ut copiosa esset redemptio, & superabundans, ac, ut ex consideratione remedii (sicut ait Bernardus) periculi mei æstimem magnitudinem. Porro quia totus homo saucius erat, voluit per omnia pati, ut vitijs singulis propriam adhiberet medicinam, cupiditati nostræ nuditatem suam, superbiæ nostræ opprobria sua, &c. I. Passus pro omnibus hominibus. *Serm.* 3. *de Nativit.* Toto copore pati voluit.

II. Pro

II. Pro inimicis. II. Pro inimicis patitur, próque ipsis crucifixoribus, ut hujus ipsius peccati veniam à Deo ipsis impetret, unde & pro illis oravit in cruce Patrem, etiam excusans, quòd *nescirent, quid facerent.*

III. Pro singulis. *Galat. 2. 20.* III. Ita pro omnibus patitur, ut pro singulis Patri æterno offerat cruciatus suos. Et ita illos mihi applicabo cum S. Paulo, dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

PUNCTUM V.

Ex amore passus. *Eph. 3. 19.* QUo affectu Christus patitur? Ardentissimæ charitatis, de qua S. Paulus, *ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Signa sunt hujus affectus. Amoris signa. 1. quòd desideraverit ardenter pro nobis pati: *Baptismo,* inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* *Luc. 12. 50.* 2. quòd adventantes passiones ultro amplexus est, contra quam multi sunt, qui contrarium faciunt, qui profitentes illarum desiderium refugiunt experimentum. 3. quòd paratus fuit multò plura pati, quàm hostes insensissimi excogitare potuerunt.

PUNCTUM VI.

1. Virtutes cur exercuit in passione. VIrtutes Christi in passione relucentes. 1. voluit tunc præcipuè omnes exercere, quia venerat, ut magister, verúmque illarum exemplar,

plar, & ita voluit in fine tanquam compendio omnium specimen præbere. Deinde, ut quia per passionem promerebatur nobis ipsas virtutes, earundem actibus ipsas nobis mereretur. Præterea, ut quæ jacebant in obscuro, sic magis proferret, & illustraret. Tandem, ut illas quasi ultimam suam voluntatem nobis relinqueret, quod de charitate dixerat, *hoc est præceptum meum.*

II. Exercuit octo beatitudines.

2. Exercuit herôicos illos actus, à quibus beatos pronuntiaverat, qui tales essent: *Paupertatem spiritûs*, etiam à vestimentis, dum pendet nudus, & affinem huic *humilitatem*: factus *opprobrium hominum, & abjectio plebis. Mansuetudinem*, qui, *cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè, & tanquam agnus mansuetus ad occisionem ductus est, & coram tondente se obmutuit.* Luxit, quando *clamore valido & lacrymis preces & supplicationes obtulit in cruce*: quin & guttas sanguinis toto corpore effudit, præ luctus magnitudine. *Sitivit justitiam* insatiabiliter, cujus omnes partes implere voluit, & tandem, ut eam nobis pararet mori, dicens *sitio. Misericors* fuit, ita ut sua & se pro sublevandis miseriis nostris mille modis impenderit, nulla sui habita ratione. *Mundus corde*, unde & placuit illius sacrificium Patri. *Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex sanctus impollutus, segregatus à peccatoribus. Pacificus fuit*, quia per mortem suam pacificavit

1. *Pet.* 2. 23. *Isa.* 52. 7. *Heb.* 5. 7. *Heb.* 7. 26.

nos

Eph. 2. 14. nos Deo, & *fecit utraque unum. Passus denique est propter justitiam*, & passus omnia illa in
Matt. 5. 11. summo gradu: *Cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum, &c.*

III. Ejus obedientia. 3. Sigillatim obedientia ejus consideranda est, ex verbis Apostoli: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* 1. in opere difficillimo. 2. integerrima, *sciens, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio*, ut & hæc pœna impleretur, quod
Phil. 28. *Ioan* 19. 28. potatus est aceto. 3. Promptissima: *Ego autem non contradico.* 4. humillima: subjecit se vel pessimis. *Dominus aperuit mihi aurem*, ut obedirem. *Ego autem non contradico, retrorsùm non abii, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab*
Isa. 50. 5. *Ioan.* 14. 23. *increpantibus, & conspuentibus me.* 5. constans usque ad mortem. Atque ex amore obedivit, *ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

PUNCTUM VII.

Septem Christi stationes. SEptem itinera, aut stationes, quas Christus in sua passione obivit, 1. à cœnaculo ad hortum, ubi tristatus est, oravit & sudavit sanguinem. 2. ab horto, ubi comprehensus est, ad Annam. 3. Ab Anna ad Caipham. 4. inde ad prætorium Pilati. 5. ad Herodis regiam. 6. regressio ad Pilatum. 7. ad Calvariam. Circa singulas possunt varia considerari: persona Chri-

sti

sti patientis, ejúsque internus sensus, & gressus, &c. Deinde socij, & loca, ad quæ circumducitur.

PUNCTUM VIII.

DOlores B. Virginis ob Christi passiones. Tanti fuerunt, quantus amor, qui fuit summus. 1. quia erat filius ejus naturalis, & totus ejus, quia sine patre eum conceperat, ac proinde patris, & matris simul amore illum prosequebatur: accedebat ille stimulus, quod Spiritu Sancto obumbrante conceperat, qui est ipse amor. 2. quia primogenitus, & unigenitus fuit, ex quo solet exaggerari dolor, ut apud Zachariam: *Plangebant eum planctu quasi super unigenitum, & dolebant super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* 3. ob similitudinem singularem, unde solent matres amare magis aliquem inter filios. Fuit autem Christus matri simillimus toto corporis habitu, & illa vicissim ipsi Christo morum atque virtutum præstantia. 4. Ob Christi miram sanctitatem, atque sapientiam. Charitas enim ordinata magis amat sanctiores, quippe Deo conjunctiores: quod si accedat naturæ conjunctio, quæ est maxima filij cum matre, conspirantibus gratia & natura, crescit amor mirificè, ac proinde dolor. Quod si mulieres illæ adeò lamentabantur, considerantes Christi innocentiam: quid senserit mater, quæ tantò majorem illum esse noverat? 5. ob bona à Christo accepta: nam *fecit ei magna, qui potens*

Dolores B. Virginis ex amore.

1. Quia filius.

2. Primogenitus. *Zach. 12. 10.*

3. Sibi simillimus.

4. Sanctissimus.

tens est, & illud præsertim, quod matrem fecit, & dignam matrem: est autem amor gratus, cupítque rependere: quomodo ergo non afficiatur ob mala sui benefactoris, & tam eximij? 6. quod is suus filius, esset quoque Filius Dei: quam excellentiam cùm penetraret intimè, & amaret ardentissimè in filio, debuit indignitas passionis ejus cor Mariæ planè transverberare. 7. Quia B. Maria erat planè unus spiritus cum Deo, & ita cum filio: unde necesse erat, ut passiones filij pro suis haberet, ac sentiret. Et quia hic ipse dolor matris affligebat cor filij inde ipsa novo angebatur dolore.

5. Benefactor infinitus.

Luc. 1. 49.

6. Filius Dei.

7. Quia ejusdem spiritûs.

Præter hæc maximè faciebat ad dolorem, quòd B. Virgo vehementissimè comprehensas haberet illas circumstantias dominicæ passionis, de quibus suprà dictum est, ex quibus acerbitas & magnitudo passionis æstimatur: quam rei æstimationem cùm acueret immensus amor erga filium, quid eam sensisse cogitandum est? Verè *animam ejus pertransivit gladius.*

Luc. 2. 35.

PUNCTUM IX.

Virtutes heroïcæ B. Virg.

VIrtutes Dei matris in passione filij expressæ. 1. resignatio suæ voluntatis, qualis & filij: *Non quod ego volo.* 2. humilitas, dum inter tot filij opprobria se profitebatur matrem illius atque in se omnia derivabat. 3. fortitudo & magnanimitas, qua stetit ante crucem, non victa, quamvis acerbissimis doloribus ex filii conspectu. 4. Charitas in homines, qua fiebat, ut non indignaretur percussoribus filij sui; sed com-

1.

2.

3.

4.

compateretur potiùs illorum cæcitati: & quia passio ipsa ad omnium salutem spectabat, pia mater illam pro ipsis etiam crucifixoribus, exemplo filij, Deo Patri offerebat.

MEDITATIO II.

Prædicit discipulis de Passione sua.

PUNCTUM PRIMUM.

CUm Christus quæreretur ad necem, recepit se cum discipulis suis *in civitatem Ephrem juxta desertum*: inde mox ascendit Ierosolymam, & *præcedebat illos, & stupebant, & sequentes timebant.* Præcedebat, properans ad mortem incitante gradum amore. Contrà, ego ad patiendum tardus. Item præcedebat, exemplum præbens, ut nos similiter faciamus. Denique inusitata festinatione, quam proinde stupebant discipuli, excitabantur & ipsi, ut contenderent singuli proximè sequi. Sic imitabor Christum hæc & illa patientem, & inhærere vestigiis ejus adlaborabo.

Ioan. 12. 54. *Marc.* 10. 32. Passio Christi nobis exemplum.

PUNCTUM II.

PRædicit discipulis Passionem suam, id aliàs fecerat bis: sed nunc distinctiùs. *Condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Toties meminit Passionis, quia eam semper gerebat in mente, & illius delectabatur memoriâ

Cur toties meminit passionis *Matth.* 20. 17.

riâ, quamvis rei acerbissimæ, ita ut etiam in glorioſa Transfiguratione ſua cum Moyſe, & Elia, de hoc exceſſu ſermonem miſceret. Utinam etiam mihi ſit, ſicut ſponſæ, *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.* Item ideo inculcat, quòd ignominioſa hæc de Chriſto minùs credere, & aſſequí poſſe viderentur, quàm glorioſa: & ut diſcipuli ſe ad illa compararent, ſervantes illud, *in die bonorum ne ſis immemor malorum.*

Cant. 1. 13.

Eccl. 11. 27.

PUNCTUM III.

ET ipſi nihil horum intellexerunt, & timebant eum interrogare de hoc verbo, & contriſtati ſunt vehementer. Nec modò omnes intelligunt, qui audiunt arcanum paſſionis dominicæ myſterium. Ideo autem Apoſtoli non intelligebant, quia intenti erant in honores potiùs & commoda, quæ à Chriſto expectabant: indéque triſtabantur, quòd flagellorum & crucis mentio ingereretur. Idem mihi eveniet, ut meditatione Paſſionis nihil afficiar; quia affectus ſum erga ſenſualia, & amore proprio plenus. Quin Petrus, poſt ſolennem illam confeſſionem, cùm Chriſtus de Paſſione ſua prædiceret, non jam revelante Patre cœleſti, ſed proprio ſuggerente ſenſu, etiam avertere Chriſtum à morte viſus eſt, dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc?* quem Dominus graviter increpuit: *Vnde poſt me Sathana: ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Hæc videlicet eſt cauſa & radix non intelligendi

Luc. 18. 34. & 9. 45.

Matth. 17. 22.

Pauci intelligunt Paſſionem.

Matth. 16. 22.

di verbum hoc ; quòd terrena sapiamus, & cupiamus.

MEDITATIO III.

Solemnis ingressus in Ierusalem ante Passionem. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.

PUNCTUM PRIMUM.

CAusæ, ob quas voluit ita Christus ingredi fuerunt quinque. 1. causa, ut ostenderet qua alacritate mortem adiret, qua invitati sunt Martyres. 2. ut intelligeremus, cùm postea tristitiam & agoniam ex consideratione Passionis sensit ; nihilominus in ijs ipsis secundùm spiritum exultâsse, quod nos facere oportet cum Paulo : *libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* 3. ut declararet benevolum suum animum erga ingratam civitatem, non obstantibus tot ibi contra se excitatis persecutionibus, quódque etiam post toleratam ibidem mortem paratus esset illam in gratiam recipere, modò resipisceret, quod quotidie fit, quando per peccatum mortale Christo cruci affixo, conculcatóque ejus sanguine, tamen is paratus est ad eandem animam redire, suáque gratia illam visitare. 4. ut doceret glorioſum esse pro Deo quævis pati, præsertim in oculis Dei, Angelorum, & hominum justorum, ut triumphare nos doceat inter ejusmodi opprobria. 5. ut tantò reddere-

Causæ ingressus tam celebris. 1. 2. 3. 2. *Cor.* 12 9. 4. Pati pro Christo glorioſum. 5.

Ps. 87. 16. *Isa.* 25. 13. tur major ignominia Passionis, quantò celebrior extitisset exceptio adventantis, juxta illud: *Exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus:* & apud Isaïam de Christo, *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.*

PUNCTUM II.

Matt. 21. 2. *Marc.* 11. 2 *Luc.* 19. 35. *Matt.* 21. 5. *Zach.* 9. 9. PRæparatio ad ingressum. 1. *Asinam* jubet adduci, aliàs semper pedes peragravit loca, ubi prædicavit: nunc verò non quadriga, aut phalerato equo utitur, sed *asello*, præferens insignia sui regni, paupertatem, & humilitatem, & mansuetudinem. *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinum*, 2. mittit duos, qui *solvant asinam*. Sociatos esse vult Apostolos charitate: Est Apostolorum officium solvere peccatores: si qui prohibeant (nam sunt, qui obsistant bono animarum) responderi jubet, *quia Dominus his opus habet*, non in suum, sed illorum bonum, & pro gloria Patris. Adducuntur, ut ijs insideat, frænet, ac dirigat, quò opus est. O infræna me Domine, & reduc me in via mandatorum tuorum.

PUNCTUM III.

Honor Christo exhibitus est à Patre. PLausus populi. Pater æternus, sicut Filium suum ingredientem in mundum in paupertate & humilitate clarificavit, misso ad Pasto-

res

res Angelorum exercitu, qui illius adventum celebrarent, canentes gloriam in altissimis Deo, & pacem hominibus bonæ voluntatis, ita nunc ad Passionem solemniter Ierosolymam venientem excipi facit à simplici populo, non dissimili plausu, dum canunt, *Hosanna Filio David, Pax in cœlo, & gloria in excelsis* : In cœlo pax, dum cœlites hominibus conciliantur: unde gloria in excelsis ipsi Deo auctori redditur, Vestimenta substernunt : ita ego mea, & me ad pedes illius abjiciam, felicitati ducens, quòd cedant in ipsius obsequium. *Luc.* 19. 39.

PUNCTUM IV.

INvidia Pharisæorum ; Unde Christum interpellant : *Magister, increpa discipulos tuos.* Tales non sunt capaces, quibus communicetur intelligentia mysterij Christi, sed populus simplex. Respondit autem : *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt* : vel, *illis tacentibus*, dicit Dominus, *lapides de me testimonium perhibebunt*, quos ante vos in terra jacere cernitis. Et verò lapides testificati sunt in morte Christi, quando *petræ scissæ sunt*, & cùm, in pœnam, non mansit lapis super lapidem, excisa funditùs civitate Ierusalem. Invidiæ malum. *Luc.* 19. 39. *Matt.* 27. 51.

MEDITATIO IV.

Flet super Ierusalem Luc. 19.

PUNCTUM PRIMUM.

Christus quare flevit.

CUr flet? flevit aliquoties, sed mirum, quòd nunc, quando excipitur tam gloriosè. 1. ut ostendat se nihil tangi aut affici illo honore, & plausu. 2. ex charitate, quia intimè dolebat cæcitatem Iudæorum; quódq; passio sua, ad quam appropinquabat, futura eis esset in ruinam. 3. in illa civitate Ierusalem (supra quam flevit) repræsentavit sibi totum mundum tot peccatis inquinatum, cujus deperditum statum deploravit, & mea nominatim peccata, ut & cæterorum.

1.
2.
3.

PUNCTUM II.

Luc. 19. 42.

VErba flentis, *quia si cognovisses, & tu, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* si cognovisses: ignorantia tum malorum impendentium, tum oblatorum bonorum causâ existit, cur Christus repellatur.

Ignorantiæ malum.

Pœna verò voluntariæ ignorantiæ, post alias, erit extrema verbis calamitas. *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ,* Fit mihi, si visitationes divinas, & inspirationes non recipiam, quas assiduè offert. *Milvus cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventûs sui,* & ego meum non observabo?

Ier. 8. 7.

vabo? Quòd si Iesus ita deflevit ruinam temporalem illius civitatis, quantò magis æternam, & illius & nostram?

PUNCTUM III.

GEsta à Christo in templo post ingressum: *Cæcos & claudos sanat*, & cùm tanta faceret, perversi non flectuntur. Pueri acclamant exemplo turbarum: *Hosanna*, atque id Pharisæi in odium trahunt; *Audis, quid isti dicunt?* quibus Christus: *utique non audistis, quia ex ore infantium perfeciſti laudem.* O absit à corde meo illorum durities! adsit autem horum simplicitas infantium. Christi bonitas. *Ps.* 8. 7.

Moratus usque ad vesperam, mira loquens, & faciens, *circumspectis* (ut ait Evangelista) *omnibus, abiit in Bethaniam cum discipulis*: Circumspexit, num ab aliquo hospitium offerretur, sed inter tot plaudentes nemo obtulit: sic vani sunt humani plausus.

Postridie rediens, arefecit maledicendo ficum infructuosam. Sic in secundo adventu faciet, æternam maledictionem imprecatus ijs, qui non benefecerunt proximis suis. *Ite maledicti in ignem æternum.* *Matt.* 25. 41.

MEDITATIO V.

Cœna in Bethania.

Exhibita Christo est pridie Palmarum, sed hic ponitur, quia inde Iudas cepit occasionem tradendi Christum.

PUNCTUM PRIMUM.

Ioan. 12. 2. *Matt.* 26. 7. Maria Magdalena bis unxit.

Maria ungit Christi pedes, & caput recumbentis. Bis unxit, semel in conversione sua, nunc in gratiarum actionem pro resuscitato fratre Lazaro: *Tersit capillis pedes* à pulvere & sudore, tum unxit, ac fidentior facta, *fracto vasculo, reliquum effudit super caput.* Et nos duplici debito tenemur, & reconciliatæ gratiæ, & beneficiorum acceptorum.

Alabastrum quid notet?

Alabastrum unguenti est cor nostrum, id frangitur contritione salutari, & mortificatione passionum & appetitionum. *Unguentum* fuit ex *spica nardi*, humili herba, *pysticum*, fidele ac purum, denique *pretiosum*. Hæc est *charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* 1. *Tim.* 1. 5. Ungendus Dominus in pedibus prius, exercendo nos inoperibus mortificationis, Christique passiones imitando, tum ad caput licebit assurgere, & illius divina contemplari.

Repleta est domus ab odore unguenti. In totam Ecclesiam facti hujus bonum exemplum dimanavit. Sim & ego bonus odor Christi inter meos, & ijs quibuscum versor.

PUN-

PUNCTUM II.

IUdæ obtrectatio, & aliorum discipulorum admurmuratio: nunquam deerunt, qui obtrectent benefactis, vel malo affectu, ut Iudas; vel zelo imprudenti, ut cæteri: nam prodigalitas videbatur in re parum necessaria, nec multum Christo grata, & indiscretio, cùm melius in pauperes distribui pretium unguenti potuisset. *Sed nolite judicare, & non judicabimini,* non intelligebant vel affectum Magdalenæ, vel intentionem Christi, id permittentis. Palliatur obtrectatio specie virtutis eleemosynæ: & constat, quòd Iudas intendebat de pretio fraudare: Ita passim fit. Credibile est murmur à Iuda cœpisse, indéque alios discipulos corripuisse. Sic unius improbi exemplo plures boni corrumpuntur: & ut ab odore unguenti tota domus repleta fuerat, ita pestilens unius afflatus alios discipulos infecit. eò tamen excusabiliores, quòd non pravo affectu, ut Iudas, ducebantur.

Judiciũ temerarium.

Luc. 6. 37.

Malum exemplũ nocet.

PUNCTUM III.

DEfenditur à Christo Magdalenæ factum. In quo apparet in primis Christi pro suis cura, dum ab obtrectatoribus eos defendit, quod maximè facit, cùm ipsi patienter ferendo rem totam Deo committunt, ut Magdalena egit, quam melius utique ipse defendit, quàm simultis se ipsa fuisset tutata.

Christus corrigit suos.

Benignè 2. Elucet benignitas in corripiendis discipulis, reddita ratione, quod pauperibus semper foret occasio benefaciendi, non item ipsi Christo in sua persona. Et quòd Magdalena præveniſſet vivum ipsum ungere, quem postea mortuum non posset: id, quod accidit; nam cùm venit, ut ungeret ad sepulchrum, jam IESUS resurrexerat.

Mala vertit in bonum. 3. Elucet providentia, qua Deus obtrectationem illam convertit in gloriam Magdalenæ: nam factum ejus per occasionem detractionis defensum à Christo, celebratur in universo mundo, quòd alioqui latuisset, aut non tantam haberet commendationem. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* *Rom. 8. 28.*

MEDITATIO VI.

Christus à Iuda venditur 30. argenteis. Luc. 22. Matth. 26.

PUNCTUM PRIMUM.

QVis venditur? Filius Dei, & Dominus omnium, qui natura sua inæstimabilis, & qui seipsum dedit pretium pro nostra redemptione, ut impleretur illud Isaiæ: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, sed non sine sanguine. Igitur vendi voluit, ut ego redimerer, & voluit propter nos sicut formam servi accipere, ita & pretio æstimari, quod est extre- *Is. 52. 3.*

extremæ vilitatis, ut tantæ humilitatis exemplo meam deprimeret superbiam.

PUNCTUM II.

QVis vendit? Discipulus: non ex vulgaribus, sed ex duodecim, quibus Dominus potestatem dederat pellendi dæmones, & sanandi infirmos, & tanquam amicis secreta sua manifestaverat. Vendidit autem ex cupiditate, *nam fur erat & loculos habebat.* Unde ægrè tulit unguenti effusionem, ex quo lucrum expectasset: nempe modica usurpare solitus, eo venit cupiditatis, ut etiam venderet magistrum suum, & talem magistrum. De quo ipse Christus: *Nónne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?* Sic nihil uspiam tutum in hac vita: è cœlo Lucifer, è paradiso Adam excidit. Quidni nos? Elige tu, ô anima mea, tutiora; & *qui stat, videat ne cadat.*

Judam avaritia impulit ad venditionẽ. *Ioan.* 12. 6.

Ioan. 6. 71.

1. *Cor.* 10. 2.

PUNCTUM III.

VEndidit impulsore diabolo. Iudas quidem, cupiditate sua urgente, exacerbatus fuerat: sed diabolus ea turbatione usus *misit in cor ejus, ut traderet Iesum.* Tanti est passio immortificata. Videtur autem eam prætexuisse apud se excusationem, quòd Christus suam necem prædiceret, & alioqui Iudæi in eam essent animati: ut quodammodo utrisque satisfaceret; si Iesum proderet, & interim ipse fraudatum unguenti pretium reciperet. Discam non admitte-

Diabolus suasit hoc malum.

mittere cogitationes, quæ animo affecto ac perturbato adveniunt : nam tunc se diabolus insinuat.

PUNCTUM IV.

Inimicis venditur.

QUibus venditur ? Inimicis : si matri, si discipulis, bene ei fuisset. Nec venditur sicuti Ioseph, ut qui liberaretur à morte, sed ut eam incurreret : nam venditus est sitientibus ejus sanguinem. Credibile est Iudam apud concilium prætexuisse causam venditionis honestam, quod Christus legem transgrederetur, quod admitteret profusionem rei prætiosæ ad delicias, & alia nescio quæ, ne sine causa deficere à suo magistro videretur ; & excipiebantur ejus omnia cum plausu. Id solatio est Præsulibus, cum à subditis calumnias patiuntur.

Fuit Christo ignominiosa.

Sed & alio modo hæc proditio fuit Christo ignominiosa, dum homines animadvertentes avaritiam discipuli tam enormem, ut magistrum venderet, inde faciebant judicium de magistro, & schola, unde talis prodibat discipulus.

PUNCTUM V.

Venditur pretio servi

PRetium venditionis, *triginta argentei.* Totidem solvebat pro vita servi, qui illum occidisset. Itaque venditur Dominus Iesus pretio servorum, & venditur ad necem. Videtur autem Iudas (quod ad majorem contemptum facit,

facit) pro quovis pretio paratus fuisse vendere Iesum, cùm ait: *Quid vultis enim dare? ego vobis eum tradam*: illi autem continuò pretium servile obtulerunt. At Chhristus quanto pluris facit te, ô Iuda? pretio sui sanguinis te, ingrate, vult redimere. Et ego quoties viliori adhuc æstimavi Dominum meum, quando pro vilissima voluptate, aut commodo posthabui ipsius gratiam?

Pluris fecit Iudam.

PUNCTUM VI.

POst venditionem quid Iudas, quid Iudæi faciunt? Iudas captat occasionem tradendi Christum, ideóque ad convictum illius revertitur: quem Iesus gestorum gnarus nihilominus benignè accipit, & de absentia rogat: ille autem simulare omnia. Iudæi autem læti de pacto, præstolantur cupidi exitum: & quamvis in concilio suo decrevissent, *ne in die festo* fieret, propter periculum *tumultûs* à plebe, tunc & isto, posthabito respectu, quandocunque parati sunt occasionem amplecti: ita videlicet disponente divina providentia, quæ festum & Paschalem diem veri Agni sacrificio destinaverat.

Matt. 26. 50.

Matt. 26. 5.

Christus passus in festo die

Collige duo documenta. 1. Quod in quavis congregatione necesse est reperiri aliquos degeneres, quantumvis sub industrio & sancto moderatore. 2. Valere id ad exercitium magnarum virtutum, patientiæ, mansuetudinis, & charitatis, quæ præcipuè inter filios rebelles enitent. Cujus rei exemplum præbere moderatori-

Cur sustinuit Iudam tamdiu.

1.

2.

ratoribus voluit Christus Dominus, sustinendo Iudam, & adnitendo ipsum juvare.

MEDITATIO VII.

Esus Agni Paschalis. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Zelus legis in Christo.

PRæparatio Agni. 1. Elucet in Christo studium observandi legem, quando idcirco Ierosolymam venit, ubi sciebat sibi parari necem, & præmisit, qui necessaria curarent, ne quis defectus committeretur in legali observatione. Sic ego studiosus sim divinorum præceptorum. 2. Duos præmisit ad hoc, Petrum, & Ioannem (in quibus fides & dilectio significantur) charissimos sibi discipulos. Disponunt eædem virtutes ritè animam ad esum veri Agni in sacta Evchariſtia. 3. Nuntiari jussit Domino domus: *Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Verba hæc ita fuerunt efficacia, ut confestim locum amplum, & reliqua præbuerit. O, audiam ego ex te, quòd apud me velis Pascha facere! Ecce totum cor & animam tibi offero, ubi cœnes.

2.

3.

PUNCTUM II.

Valedicit Matri.

CRedibile est, Christum, antequam Bethania postremò excederet ad hanc cœnam, vale-

valedixisse matri, imminentem passionem ac mortem sigillatim enarrâsse, tum commendâsse ei discipulos per hanc brevem absentiam, ut ipsos confirmaret. Ad quæ virgo icta est acerbissimo dolore; sed viriliter se in manus Dei resignavit, petiitque à Filio, ut liceret sibi luctuosæ actioni interesse.

PUNCTUM III.

Progreditur Ierosolymam, & discumbit cum discipulis. 1. Inter eundum variè afficiebantur, Christus exultabat venisse tempus complendi opus sibi à Patre impositum: Iudas gaudebat de occasione tradendi Magistrum: cæteri subtristes incedebant, voluentes verba Christi: *post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Levabat ipsos Christus suis sermonibus. 2. Cùm accubuissent, Dominus ait: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Sæpiùs manducaverat cum illis Agnum, sed hanc supremam manducationem summè semper expetiverat, tum quod in ea exhibiturus erat edendum verum Agnum in priore figuratum, tum quia mox ab hac cæna baptizandus ipse erat baptismo illo passionis à se tam exoptato. *Matt. 26. 2.* *Luc. 22. 15.* In Christo desiderium patiendi ingens.

PUNCTUM IV.

EDitur Agnus. Interea Christus eos ritus, qui in typo illo servabantur, ad se applicabat. Esus Agni typus

Christi patientis.

bat. Intuebatur Agnum supra mensam expositum, excoriatum & assum: & cogitabat sic se super crucem expansum iri, & flagellis ipsa cute exuendum, igneque tormentorum extorrendum. Secabatur Agnus in partes, sed integris ossibus: sic se toto corpore luxandum, non tamen ut latronum crura confringenda. Festinantes comedebant: ita in se rabie maxima adversarios ruituros: Baculum manu tenebant comedentes, in typum ligni crucis. Assumpto figurali Agno, obtulit se Patri ad complendum, quicquid in illo præfiguratum fuerat.

MEDITATIO VIII.

Lotio pedum. Ioan. 13. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

Amoris Christi proprietates.

PRo exordio passionis dominicæ enarrandæ ponit D. Ioannes ista verba: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* 1. Dilexit eos sicut se, imò plùs quàm se, cùm pro illis tradiderit animam suam dilectam.

1.

2. Dilexit constanter, usque in finem, dum ipse vixit, dum illi vixerunt, & usque in æternum.

2.

3. Dilexit summè, quod maximum potuit, pro illis agens & patiens, & majora cupiens facere.

3.

4. Dilexit in finem, ut assequerentur in hac vita, & altera id ad quod erant destinati & conditi.

4.

PUN-

PUNCTUM II.

EXcellentia persona se demittentis, quò est humiliatio major. Est enim Deus, quem adorat multitudo Angelorum, & hic humi prostratus lavat pedes vilium piscatorum. Qua Deus *decorem indutus est, & fortitudine se præcinxit*, dum omnia verbo creavit: & hic vestimenta deponit, & linteo se præcingit, ad abluendas sordes pedum. Sed & Evangelista majestatem personæ inde æstimat, quòd omnia sciat, omnia possit. *Sciens*, inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Sciebat cuncta, quæ sibi eventura erant; poterat autem quicquid Pater, à quo per æternam generationem exivit, & in mundum venit homo factus, rediturus mox ad Patrem, ut sedeat ad dextram Majestatis ejus in excelsis, secundùm assumptam naturam. Hic tantus *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se.* Considera, qua charitate & humilitate, ac studio ipse per se omnia facit, absque alterius adjutorio: ama tu etiam obsequia humilia, nam faciendo clamat: *Discite à me.*

Humilitas Christi lavantis pedes. *Ps.* 92. 1.

Illla ipsa obsequia spiritualiter exhibuit. Deposuit vestimenta gloriæ formam servi accipiens, sanguinem omnem fudit, ut lavaret nos, & pretiosa sua humanitate, tanquam linteo, quo erat præcinctus, tersit sordes nostras, unde ipsa humanitas sic deturpata fuit, ut *non esset ei species neque decor.*

Lotio pedum quid notet? *Isa.* 53. 2.

PUNCTUM III.

REpugnantia Petri: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Hæc ait stupefactus, quòd tanta majestas tam vili servo tam abjectum exhiberet obsequium. Admonetur, alto consilio id fieri: *quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Non ac quiescit tamen: *Non lavabis mihi pedes in æternum*: bono quidem humilitatis zelo repugnat; at Deo displicet, etiam per speciem virtutis, quævis inobedientia: quare Dominus minatur: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ita est Domine. *Quis* enim *potest mundum facere de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?*

Petrus humilis, sed pertinaciter.

Iob. 14. 4.

PUNCTUM IV.

REsignatio Petri: *Domine non solùm pedes, sed & manus, & caput*: sic aversatur seperari à Christo. Timor salutaris, non servilis, sed fidelis, Respondit Dominus: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Testimonium reddidit Petro, quòd sit in statu gratiæ, ut & reliqui, præter unum Judam, nam ait: *& vos mundi estis, sed non omnes; sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum.* Cæterùm etiam qui mundi sunt, lotione pedum indigent, qui facilè à terra pulverem contrahunt: hæc sunt peccata venialia, quæ ipsa sine Christi sanguine non lavantur, & impediunt partem cum Christo: quia cum illis nemo ingreditur cœlum: quare debent in hac vita, vel in purgatorio purgari.

Timor Petri filialis.

PUN-

PUNCTUM V.

JUdæ etiam lavat pedes, & haud dubiè cum singulari benevolentiæ significatione, ut illius pectus emolliret, sed frustrà. Discam diligere inimicos, & perficiam quoque illos demereri. Sed & cavebo à duritia cordis. *Impius enim, cùm in profundum venerit, contemnit.* Et: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. O aufer à me cor lapideum.*

Prov. 18. 3. *Eccl.* 7. 14. *Ezech.* 36. 26.

PUNCTUM VI.

CHristus exponit facti sui rationem, *Scitis, quid fecerim vobis?* nempe non omnis assequitur divinorum factorum arcanum, qui facta ipsa videt vel audit, sed opus est gratia Spiritûs Sancti. Porrò dicit, causam illius obsequij fuisse, ut *exemplum* inde *caperent* mutuæ inter se charitatis, & humilitatis præstandæ: siquidem ipse *Magister & Dominus* se usque eò demisisset.

Christi facta imitanda. *Luc.* 2. 47.

Nihil verò profuturum, si tantùm sciant, quid intenderit illo facto Dominus, nisi etiam expresserint imitando, *nam servus sciens, & non faciens voluntatem Domini sui, plagis vapulabit multis.*

MEDITATIO IX.

De præmissis à Christo ante institutionem SS. Eucharistiæ.

PUNCTUM PRIMUM.

Cur lotio Eucharistiæ institutionem præcedit.

INstitutioni Eucharistiæ præmissa est lotio pedum, ad designandam cordis munditiem, qua sumenda est Eucharistia, lotis videlicet etiam pedibus à levioribus peccatis per Sacramentum Confessionis, & aquam lacrymarum. non recepturis nobis eum fructum, quem planè mundati recipiunt.

Deinde mos fuit convivis pedes lavare, unde Christus Pharisæo ait: *Intravi in domum tuam. Aquam pedibus meis non dedisti*: significatur ergo exercitium humilitatis & charitatis, optimam esse præparationem accubituris huic sacræ mensæ.

Luc. 7. 44.

PUNCTUM II.

1. Agnus Paschalis figura Eucharistiæ.

PRæmissa item cœna Agni Paschalis. 1. Quia ut ille sacrificabatur in memoriam liberationis ex servitute Ægyptiaca: ita in Eucharistia immolatur Christus in gratiarum actionem pro liberatione ex priore servitute peccati & diaboli. In priore tingebantur Agni sanguine postes domorum, ut Angelus percutiens transiret, non percussis Judæis, qui intùs se continebant. Carnes autem Agni edebantur ad confortationem viæ. Ita in posteriore liberatione

per

per ſanguinem Chriſti Agni immunes reddimur à damnatione æterna, & carnibus ejus confortamur ad peregrinationem per hujus vitæ deſertum. 2. Quia ritus edendi Agnum, erudiebant nos, quemadmodum Chriſtus in Evchariſtia ſumendus ſit. *Renes accincti* per caſtitatem mentis & corporis: *Calceati pedes*, cuſtoditis affectibus, ne ſordeſcant ex rebus terrenis tanquam pulvere: *Baculos tenentes*, nonniſi merito S. Crucis, & in ejus virtute fidentes; *Edentes cum feſtinatione*, ſumma cum aviditate & guſtu: Adhibitis *panibus azymis* ſinceritatis & puritatis, nec non *lactucis agreſtibus*, quæ ſunt mortificationes ſenſualitatis; *Non crudum ex eo quicquam edendum*; ſed præmiſſa conſideratione tanti myſterij: *Nec aqua coctum*, quaſi languida meditatione affectuque: *Aſſum igni*, exardeſcendo in DEI amorem. Quàm ego abſum ab hac præparatione!

2. Ritus eſus: *Exod.* 12. 11.

PUNCTUM III.

PRæfatur Chriſtus: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei.* Sic ergo debeo ſummo deſiderio accedere ad hoc Sacramentum, ut qui maximè indigeo hac refectione. Et quia non alia cogitari poteſt excellentior. Deinde ſic comedam, quaſi ultimùm comederem, unde & viaticum vocatur: comedam tanquam nunc moriturus.

Luc. 22. 15. Comunicandũ cum deſiderio.

MEDITATIO X.

De loco, tempore, & convivis in Institutione sacrosanctæ Eucharistiæ.

PUNCTUM PRIMUM.

TEmpus institutionis fuit *pridie, quàm pateretur.* 1. ut sic magnitudinem suæ charitatis magis declararet, quando cùm maximè contra ipsum mortales conspirabant, tam eximium ejus donum conferebat. Ut vicissim nos nihil ab illius amore separare ullo unquam tempore valeat, quò minùs inter omnia adversa illi adhæreamus. 2. ut desiderium suum manendi nobiscum semper ita ostenderet, voluit in procinctu sui à nobis discessus per passionem relinquere semet in hoc divino Sacramento, 3. Quia hoc Sacramentum erat passionis suæ memoriale, & quia in passione sua cessabat legalis Agnus, & vetera sacrificia, debuit tunc novum substituere sacrificium, quo umbræ veritas, nocti lux succederet. Et tandem memoriale relictum in ipso mortis articulo teneriùs afficeret animas diligentium, quod solet evenire.

1. Ob amoris magnitudinem.

2. Desiderium manendi nobiscum.

3. Ut esset memoriale mortis Domini.

PUNCTUM II.

LOcus fuit *cœnaculum grande stratum :* in eodem, post Resurrectionem, Christus Discipulis apparuit, & Spiritus Sanctus in Pentecoste datus est. Fuit Ecclesiæ typus, in qua sola eden-

Locus est typus Ecclesiæ & animæ

edendus est hic cæleſtis Agnus ; ſed & animam ſignificat, in quam Chriſtus per Sacramentum Evchariſtiæ venit, quam charitate amplam eſſe oportet, ac ſtratam, ornatámque omni genere virtutum, tanquam cælum ſtellis. Non nominatur Dominus cœnaculi, quia apud Deum nihil intereſt, quiſquis ille ſit, quoad alios titulos, magnus an parvus, dum præbeat Chriſto idoneum hoſpitium.

Denique id cœnaculum evaſit in domum orationis ; indéque prodiêre primò ad annuntiandum Evangelium. Sic anima per Evchariſtiam fit Dei templum, indéque ad communicandum etiam alijs, quæ à Deo acceperit, foras prodit.

PUNCTUM III.

COnvivæ fuerunt Apoſtoli, & inter eos Judas, qui ſuo facinori intentus, quæ dicebantur à Chriſto, non attendebat ; nec ſi attendiſſet, credidiſſet, & ita ut panem communem accepit ; contrà alij devotè, & reverenter. Sed & jam *qui manducat, & bibit indignè*, inſtar Judæ, *reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, quaſi illum prodidiſſet.

Judas etiam communicavit ſed indignè. 1. *Cor.* 11. 17

MEDITATIO XI.

De Converſione panis in Corpus Chriſti.

PUNCTUM PRIMUM.

QVomodo in eo facto eluceat infinita Dei Majestas? 1. *Sapientia*, ut quemadmodum invenit modum conjungendi res dissitissimas, Deum & hominem in unitate personæ divinæ per incarnationem, ad salutem nostram optima ratione perficiendam; ita etiam invenit modum seipsum exhibendi jam hominem factum, in speciem alimenti ad nostram spiritualem nutritionem & confortationem, & quandam nobiscum admirabilem conjunctionem. 2. Infinita *potentia*: nam momento substantia panis in Corpus Christi convertitur, ut sola maneant panis accidentia velantia Christi Corpus atque sub ijs ita totus, ut sub quavis etiam particula nihilominus totum Corpus deliteſcat per ineffabilem unionē cum ipsis panis speciebus. Quod fieri posse ut credamus, sufficit eius omnipotentia: ut etiam factum esse sufficit ejus affirmatio, cùm ait: *hoc est Corpus meum.* Et hæc tanta operatur, ut me servum, atque vermiculum alat in vitam æternam. 3. *Bonitas, & Charitas.* Nam, sicut *Pater* æternus commendat charitatem suam, qua *sic dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: ita unigenitus ejus commendat suam, qua seipsum nobis intimè fruendum donat in hoc Sacramento. Porro, donando corpus suum, utique omnia simul, sanguinem, animam, divinitatem, quæ cum corpore & in corpore ejus sunt, merita etiam, & satisfactio-

1. Dei sapientia.

2. Potentia

3. Bonitas. *Ioan.* 3. 16.

factiones, quæ hîc nobis copiosè cõunicantur, donat. 4. Zelus ſalutis noſtræ ardentiſſimus, quando non habuit ſatis, quòd nobis ſalutem promeruiſſet: verùm ipſemet per ſeipſum fieri voluit medium & inſtrumentum, quo fructus ſuæ paſſionis nobis applicaretur. O ſi vicem reddam, & zelo gloriæ divinæ me totum impendam, & ſuperimpendam!

4. Zelus ardentiſſimus.

PUNCTUM II.

COnſideranda verba, quibus perfecit converſionem. 1. *hoc eſt Corpus meum*, non ſignum exhibet tantùm, & memoriale ſui: ſed corpus ipſum. Ut bona mater, quæ filios non dat alijs nutriendos, ſed proprio nutrit lacte. Totum corpus dat: ut ſicut Eliſæus ad ſuſcitandum puerum membra membris applicuit, ita ego ex membrorum Chriſti contactu totus incaleſcam, & ab ore ejus meum, ab oculis oculi, ſícque cætera membra & ſenſus mei ab illius membris ſanctificentur, rectéque ordinentur, ut in nulla te exorbitent, ſed agant, quod Chriſtus, in ipſis operatur. 2. *Quod pro vobis datur, vel tradetur.* His verbis magis magíſque confirmat dare ſe ſuum verum corpus, nempe illud, quod morte afficiendum erat. Et inſinuat, qua charitate ſe in mortem tradit pro nobis, eadem tradere ſe in cibum, & pignus ſalutis promiſſæ.

1. Chriſtus non ſui ſignum, ſed ipsũ corpus ſuum dedit. 4. *Reg.* 4.

2. *Luc.* 22. 19. 1. *Cor.* 11. 24.

Hoc igitur eſt corpus, in quo illa ſacratiſſima vulnera Redemptionis noſtræ inflicta ſunt,

quæ etiam nunc retinet, sed splendentia & gloriosa, in quæ introduci petam, & abscondi.

PUNCTUM III.

Apostolorum fides.

QVomodo Apostoli cõunicaverint. Credendum est, ubi Christus Corpus suum confecravit, simul interno lumine mentes discipulorum illustrâsse, ut crederent, & singulari modo apprehenderent ejus mysterij veritatem: unde maxima cum reverentia, & submissione illud de Christi manibus acceperint: deinde (qui est fructus hujus divini Sacramenti) magna interius spirituali lætitia, & dulcedine fuisse perfusos. Solus Judas, ut indignus, ita expers boni sensus & consolationis fuit.

Dulcedo spiritalis.

PUNCTUM IV.

Ipse Christus communicat.

QUòd Christus se etiam ipsum communicaverit, particulam Evchariſtiæ sumens. Ita plures Sancti existimant. Solus ille tali hospite, id est, se ipso dignum hospitium fuit. Gavisus est, & gratulatus sibimet de tanto mysterio à se instituto in sponsæ suæ Ecclesiæ tutissimum præsidium, & solatium singulare.

MEDITATIO XII.

De Converſione vini in Sanguinem.

PUNCTUM PRIMUM.

Hic eſt calix ſanguinis mei : non pars ſanguinis, ſed totus exhibetur, ſicut in paſſione totus effuſus eſt, cùm ſuffeciſſet, vel gutta ad ſatisfactionem ex juſtitia, & ſanguinem exhibet in vaſe ſuo pretioſo, in membris, & corpore ſuo contentum, in quo eſt anima & divinitas. Et *mei*, inquit, terreni Reges exſugunt ſanguinem ſubditorum, unde poſtea ſunt liberales : Chriſtus ſuum præbet, indéque nos ditat.

Chriſtus totum porrigit ſanguinem.

PUNCTUM II.

Sanguis novi Teſtamenti. Præſtat novum Teſtamentum veteri, quod vetus ſanguine pecudum confirmatum eſt: Novum autem ſanguine Chriſti, quia nimirum in veteri promittebantur ſolùm bona temporalia, in novo autem ſpiritualia & æterna, ac in primis ipſa remiſſio peccatorum, & dona gratiæ & virtutum, & tandem hæreditas æternæ beatitudinis. Nec fuit ſatis Chriſto, quòd ut iſta nobis promereretur bona, Sanguinem ſuum in paſſione fudit; ſed etiam voluit ipſum Sanguinem nobis relinquere, tanquam pignus ſeu tabulas authenticas, quibus teſtatam reliquit ſuam ultimam voluntatem de remiſſione peccatorum, & adoptione per gratiam, vitáque æterna nobis tribuenda.

Cur novi Teſtamenti.

Pignus futuræ gloriæ datur.

da. Unde hic Sanguis dicitur *Christi Testamentum*, seu sanguis *Novi Testamenti.*

PUNCTUM III.

Pro multis, quia non omnibus efficax.

Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Pro vobis, speciatim pro ipsis dicit effusum, ut ad compatiendum magis moveat. Et ita, si unus tantùm adfuisset, dixisset, pro te, quæ applicatio vim habet emolliendi cor, & consolationem adfert singularem. ergo mihi dictum cogitabo, *effundetur pro te*, & pro multis, & pro omnibus omnino, quantum est ex parte Christi. Et omnes verè dicuntur *multi*: quòd si *multi* intelligantur, quasi non omnes, sed quàm plurimi, tamen id est verum, quantùm ad fructus consecutionem, cujus omnes se faciunt participes.

Nullum Christus excludit.

Alioqui nemo omnino ab hujus sanguinis participatione excluditur, quamvis vilis & contemptus, imò quod ad divinum attinet judicium, tituli omnes mundi, donáque naturæ & fortunæ pro nihilo planè habentur, respectu participandæ gratiæ divinæ, seu fructus passionis dominicæ hominibus applicandi. *In remissionem peccatorum*, sine limitatione (non tam multa & gravia esse possunt, quin sufficiat hic sanguis ad expiandum) *effundetur*, copiam significat, non guttatim, sed quasi rivi fluent.

ME-

MEDITATIO XIII.

De Sacramentalibus Speciebus Panis & Vini.

PUNCTUM PRIMUM.

CUr instituerit sub duplici specie ? 1. ratio, ut quia convivium erat, in quo solet cibus potióque exhiberi, id etiam in hoc reperiretur. Etsi alioqui in singulis speciebus totum est, quod cibat, & sitim animæ sedat. 2. præcipuè, ut repræsentaret nobis, quòd per passionem fuerit totus sanguis à corpore sejunctus : atque hoc cogitare debemus, quando consecratus calix adorandus attollitur. Et quia quinque fuerunt effusiones sanguinis præcipuè in agonia, in flagellatione, in coronatione, in cruci affixione, in lateris perfossione, licet eas sub Missa commemorare, & offerre Patri æterno cum gratiarum actione.

1. Quia cõvivium erat.

2. Vt repræsentans sanguinis effusionem.

PUNCTUM II.

CUr voluerit sub speciebus ita latere, ut nullum tantæ rei indicium foris appareret ? 1. ad humilitatis & patientiæ exemplum : sicut per incarnationem sub humana specie latuit, ut pro quovis de vulgo haberetur, maléque etiam acciperetur, id, quod etiam hîc contingit, ut pro communi pane habeatur, ac etiam conculcetur aliquando : ita velim ego latere, & contemni. 2. ad exercitium fidei, quando sensus omnes

1. Christus latens hîc humilitatem & patientiam docet.

2.

Ad fidem allicit.

omnes contradicunt, & ratio non assequitur. Unde per excellentiam dicitur *mysterium fidei* in ipsa consecratione, nec sine magno miraculo mentes Apostolorum sic illustratæ in illa cœna fuerunt, ut tantæ rei sine dubitatione fidem adhiberent. Discurram per singulos sensus, expendens quomodo singuli tanquam de communi pane judicant. Et ego nihilominus divinis potius verbis, quàm meis sensibus firmissimè credam, non ampliùs esse panem triticeum, sed ipsum Christum Dominum, panem cœlestem, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. 3. ut occultatus fiduciam daret accedendi ad se, qui conspicuus, quasi averteret nos à se, & verecundaretur amor, minúsque liberè in illius rueret amplexus.

3. Fiduciã præbet accedendi.

PUNCTUM III.

1. Intimè vult nobis conjungi.

CUr in speciebus cibi & potûs? 1. quia voluit quàm intimè nobis uniri, & intra nos esse non tantùm foris in re aliqua præsens. Itáne, Jesu, non refugis hoc pectus, & viscera ingredi? 2. ut significaret se effectus omnes per hoc Sacramentum in anima nostra efficere, quos cibus & potus in vita corporali, nutrire, conservare, augere, roborare, lætificare, & innatum concupiscentiæ calorem compescere, ne viscera depascat. *Qui manducat me, vivet propter me*: & quomodo non appetam cibũ istum? 3. ad commendandam charitatem mutuam, siquidem panis ex multis granis, nec non vinum

2. Quod corpori cibus, hoc animæ Eucharistia. *Ioan. 6. 58.*

3.

ex

ex uvis coalescit: sic per hoc Sacramentum efficimur unus spiritus cum Christo, & inter nos. Unde & appellatur Communio: & quia panis non fit nisi granis commixtis, & vinum nisi pressis uvis & calcatis: ita oportet mortificare in se inordinatos affectus, ut illam spiritus unitatem, & Sacramenti hujus virtutem, & fructum participemus, & *gustare* possumus, *quàm suavis est Dominus.* Hinc dicitur communio. *Ps.* 33. 9.

MEDITATIO XIV.

Ritus à Christo usurpati in consecratione, & exhibitione Corporis & Sanguinis sui.

PUNCTUM PRIMUM.

PAnem *in manus accepit*: poterat positum in mensa transmutare, sed in manus accepit, ut significaret, opus id esse divinæ potentiæ, & divinæ manus: deinde opus esse maximæ liberalitatis. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Denique quòd suo labore, & meritis nobis illum panem acquisivisset, ita, ut nos labores manum ejus manducemus. Cur in manus accepit. *Ps.* 144. 16.

PUNCTUM II.

LEvavit *oculos in cœlum*: ostendens hunc esse panem de cœlo verum, & corda illuc pura

pura cum fiducia & desiderio hujus cibi erigenda esse, sicut in Missa admonemur : *Sursum corda*.

Gratias egit Patri pro tanto dono per ipsum hominibus collato, eâsque tantò ardentiores, quàm pro panibus egerat multiplicandis, quantò istud præstabat beneficium. Quas me agere convenit, cùm de illo pane participo?

Benedictio Christi efficax.

Et Benedixit: Benedicere Dei, & benefacere. Benedicendo igitur panem, eum transmutavit in corpus suum. O benedicte Domine! Benedic etiam mihi, & muta in virum alterum.

Verba benedictionis fuerunt, cùm dixit: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*, nam dicendo, fecit, ut essent, quod dicebantur.

Fractionis mysteria.

1.

2.

3.

Et fregit: integrum in manus accepit & benedictum fregit. 1. ad commendandam charitatem inter nos, qui de uno pane edimus. 2. causa mysterij, ut intelligatur, quòd diviso Sacramento, *tantùm manet sub fragmento, quantùm toto tegitur*. 3. docemur, hunc panem antequam edatur, accurata consideratione frangendum esse, meditando magno affectu singula, quæ in hoc Sacramento continentur, corpus, sanguinem, animam, divinitatem Christi, necnon & meritorum ejus, & satisfactionum infinitos thesauros.

PUN-

PUNCTUM III.

DIstributio Sacramenti. *Dedítque discipulis suis*, (ô beatum donum, & maximum) dicens: *Accipite & comedite.* Non exhibetur nobis adorandum tantùm, sed edendum, atque in viscera recondendum. Non fuissent alioqui ausi tam divinum panem edere. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, sed, quia jubes, edam, *& sanabitur anima mea.* Ecce dedit. *Matt.* 8. 8.

MEDITATIO XV.

De potestate conficiendi Evchariſtiam data tunc Apostolis.

PUNCTUM PRIMUM.

DAta est potestas Apostolis conficiendi corpus & sanguinem Christi per ea verba, *hoc facite in meam commemorationem.* In quo elucet 1. *Charitas* eximia erga hominem, cui soli, non Angelis dedit potestatem supra corpus suum, ut homo non jam diminutus sit *paulò minùs ab Angelis*; sed suprà illos exaltatus. 2. *Liberalitas*, qua sine ulla restrictione contulit hanc potestatem, non limitatam ad certum numerum personarum, neque ad qualitatem, puta ad sanctos tantùm, neque ad locum, aut tempus, sed ubique & semper confici possit. 3. Dignatio, ac velut obedientia, & humilitas incredibilis, ut ad Sacerdotis ritè ordinati Sacerdotalis potestas quanta. 1. 2. 3. Sacerdo-

ti Christus obedit.

vocem præsens infallibiliter adsit : quamvis sit impius & Sacramento abuti velit, & indignissima quæque exercenda essent in ipsum Sacramentum, & adeo in Christum ipsum : quantò istud majus, quàm quod voci Josuæ obedivit Dominus, solem sistens, ut Josue victoriam prosequeretur?

Iosue. 10. 12.

PUNCTUM II.

Sacrificium.

QVòd per eadem verba instituti sint Sacerdotes, ad offerendum Deo Patri sacrificium corporis & sanguinis Christi. Aliud enim est, sacrum conficere, aliud autem sacrificare : utrumque autem conjungitur in hoc mysterio, ita ut dum conficit Sacerdos Sacramentum, simul offerat Deo contenta in Sacramento ipso, tanquam hostiam sanctam, Deo placentem.

1. Quid sit?

1. Expende, quòd sacrificium est oblatio Deo facta rei ipsi gratæ : nulla porrò est vel pretiosior, vel gratior Deo, quàm ipsius unigenitus, homo factus ; quare est sacrificium omnium possibilium excellentissimum.

2. Sacrificii effectus.

2. Quòd unicum hoc habet omnes sacrificiorum differentias multò eminentiùs : nam est *Eucharisticum* (quòd nomen tanquam proprium obtinuit) quia nullæ gratiæ Deo acceptiores esse possunt, quàm quòd in recognitionem beneficiorum offeratur ipsi Christus, per quem nobis omnia donavit. Est *propitiatorium* ad remissionem peccatorum, & quorumvis suppliciorum condonationem : quia fructus Dominicæ

nicæ paſſionis per hoc ſacrificium efficaciter nobis applicatur, quando ipſemet dominus Patri offertur, immolatus in memoriam ejuſdem paſſionis. Denique eſt *Impetratorium* quorumvis beneficiorum, quia per hoc ſacrificium modo ſingulari & excellenti in nomine Chriſti petitur: promiſit autem ipſe, *daturum nobis Patrem, quicquid in nomine Filij ejus peteretur.* *Ioan. 16. 23.*

PUNCTUM III.

QUòd Chriſtus juſſit hoc ſacrificium *in ſui memoriam peragi*, nimirum in memoriam ſuæ paſſionis, in qua ſe obtulit cruentè pro redemptione noſtra. Duplex enim oblatio facta eſt à Chriſto ſui ipſius: una cruenta, per effuſionem ſanguinis, & realem mortem: altera incruenta in Evchariſtia. Ubi mors Chriſti repræſentatur per Sacramentales ſpecies, dum in altera corpus, in altera ſanguis conſecratur, tametſi utrumque ſub qualibet ſpecie contineatur, ideóque incruenta dicitur ſacrificatio, quia verè ſanguis non eſt extra corpus, neque hoc ſine ſanguine: ſed ex ipſis ſpeciebus una primò ſignificat corpus, altera primò ſanguinem, atque vi conſecrationis in una corpus tantùm, in altera ſanguis ſeparatur: cætera autem omnia concomitanter ſub utraque ſpecie continentur. Chriſti duplex ſacrificium.

Porro non potuit aptius memoriale paſſionis dominicæ, neque monumentum gratiarum pro

tanto beneficio efficacius inveniri, quàm ipsius-met passi Domini viva exhibitio, & præsens oblatio. Nec modò in memoriam passionis suæ, verùm etiam reliquorum ipsius gestorum, & excellentissimarum virtutum (quarum se præbuit vivum exemplar) exstare istud sacrificium: unde ad eas imitandas provocemur, alioqui parum grati futuri erga nostrum Redemptorem & Magistrum.

MEDITATIO XVI.

De insinuatione proditoris super Cœnam.

PUNCTUM PRIMUM.

Judas Christũ turbat. *Ioan.* 13. 21.

QUòd *Jesus turbatus est Spiritu.* Tanta erat indignitas rei, quòd à discipulo, & amico traderetur, & sic dolebat illius vicem, & dixit: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis, qui manducat mecum, & intingit mecum manum in paropside, tradet me.* Voluit autem indicare proditorem ob plures causas. 1. ut intelligerent patere sibi occulta cordium: unde non parum Christo aggerebatur doloris. 2. ut sic Judam ad sanitatem revocaret: quod efficere studuit, dum se conscium cogitationum, ac proinde Deum, & vindicem malefactorum significat. Deinde, quia Judas non videbatur magni facere, quòd Christum traderet, quando ipse professus fuerat, se neci dandum: mo-

Cur insinuat proditorem.

1.

2.

nes

net autem Christus, inde ipsum non excusari, cùm ait; *Filius quidem hominis vadit; verum tamen væ homini illi, per quem tradetur.* Et tandem minando supplicium: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Nec tot hísce modis potuit flectere proditorem. 3. Minatur

PUNCTUM II.

QUomodo affecti fuerint Discipuli ex hac insinuatione proditoris! *Contristati sunt valdè, & cœperunt singuli dicere: Nunquid ergo sum, Domine?* Bonæ mentis est timere, quando etiam sibi conscia non est. 1. *Matt.* 26. 22.

2. Noluit Christus palàm facere nominatim proditorem, quamvis mox ipso facto patefaciendus esset, ne Apostolorum in eum animi exacerbarentur, & ut parceret famæ: quod nobis imitandum, ne per nos fiat, quod etiam alioqui futurum est. 2. Peccata proximi occultat.

3. Patefecit tamen tum ipsi Judæ, cui interroganti: *Nunquid ego sum Rabbi? Respondit: Tu dixisti*: tum Joanni recumbenti supra pectus, cui indicium dedit: *cui ego intinctum panẽ porrexero*: porrexit autem Judæ, cum amoris significatione, ut eum emolliret: adeò non sunt etiam inimicis neganda benevolentiæ signa, ut *sic prunæ congerantur super caput eorum.* 3. Patefecit duobus. *Prov.* 25. 22.

PUNCTUM III.

OBstinatio Judæ, & pœna eum secuta. Non flectitur tot indicijs charitatis, sed insti-

tit cupiditati suæ pretium recipiendi pro vendito Magistro. Pœna fuit duplex. 1. Quòd ubi buccellam panis ex manu Christi accepisset, *ingressus est in eum diabolus*, instigans ad executionem designati facinoris, sicut priùs fuerat ingressus, quando *immisit in cor ejus, ut traderet Jesum*, & cum sacerdotibus pacisceretur. Ita qui cœlestem panem mala conscientia sumit, dat locum diabolo in corde suo, qui possessione illius accepta, præcipitat hominem in pejora semper. 2. Pœna, quòd desertus est à Christo, quando ait *quod facis, fac citò*: Habui te hactenus in meo comitatu, tótque modis servare studui, nunc vade à me. *Curavimus Babylonem: & non est sanata, derelinquamus eam.* Nec ideo te retrahere volui à facinore, quòd fugiam mortem, imò properari eam mihi cupio *fac citò, quod facis.* Plus ego appero mori pro te, & mundo, quàm tu me tradere inimicis.

1. Bis diabolus in Judam ingressus.

2. Deserit Judam Christus *Jerem.* 51. 9.

PUNCTUM IV.

Exitus Judæ Passionis initium.

QUòd, egresso Juda, Christus ait: *Nunc clarificatus est Filius hominis*, eo nimirum, quod ex cœtu suorum excessit impius. Absit à me, ut Deus sic clarificetur à me: sed præcipuè id dicit, quia abeunte Iuda, inchoabatur Passio, quam Christus gloriam suam ducebat, quòd per eam glorificandus esset Pater. O, sint mihi Passiones propter Deum gloriæ loco. Sic gloriabatur Paulus in *tribulationibus & angustijs*: sed & clarificatus est Christus in Passione, dum

2. *Cor.* 12. 10.

in

in ejus morte tot sunt edita prodigia, & quia per Passionem est gloriam resurrectionis consecutus, & ut *in nomine* ejus *omne genu flectatur.* *Phil.* 2. 10.

MEDITATIO XVII.

Contentio Apostolorum, & prædictio scandali.

PUNCTUM PRIMUM.

FActa est contentio inter eos, *quis eorum videretur esse major.* Obliti prioris tristitiæ, cùm ex ipsis aliquem proditurum esse Magistrum diceretur, primatum jam contentiosè ambiunt. Sic est impotens ambitio, & omnia postponit. Sanat Dominus humilitate ambitionem, aliter apud se agi oportere quàm in mundo, aliásque sui Regni leges esse, quàm terreni. *Qui major est in vobis, fieri debet sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Idque suo exemplo sanxit. Nam & *ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Ita præsum, ut serviam. Videlicet in humilitate præesse oportet, & lucra amare subditorum, non ipsum prælationis honorem. *Luc.* 22. 24. Ambitionem sanat humilitas.

Ne tamen despondeant, laudat ipsos: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Vel in testes adducit ipsos tribulationum quas passus sit, quódq; nihil minus, quam commoditates suas, aut gloriam quæsierit in omni vita: quod cùm ita sit, nec ipsos debere talia

ſpectare. Nam *ego*, inquit, *diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater*. Pater autem, ut videtis, per multas tribulationes voluit me ad regnum pervenire: ita & vobis continget. Quare & ſimile cum illo, quod Zebedæis reſpondit, affectantibus prima loca: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*? quaſi dicat, de calice cogitate in hac vita, non de honore.

Matt. 20. 21.

PUNCTUM II.

Cur lapſum ſuorum prædicit.

CHriſtus denuntiat ſcandalum, quod Apoſtoli paſſuri erant in ipſius comprehenſione: nempe, ut eum deſererent, & fortè dubitarent, num eſſet Chriſtus, qui ſic haberetur: ſcriptum eſt enim: *percutiam paſtorem, & diſpergentur oves* gregis. Hac prædictione avertere ipſos voluit ab illis ambitioſis cogitationibus, ſed præcipuè præmunire, ut ſaltem non planè concíderent animis, & reſipiſcerent, animadverſo eventu prædictionis. Promittit quippe ſolatium ſuæ præſentiæ. *Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*: ſalubris timor, ne deſeram aliquando Chriſtum: quod ſi contingat, confidam tamen, quia lapſo opem pollicetur.

Matt. 26. 3. *Zach.* 13. 7.

Petri triplex error.

Petrus reſpondet: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam*: fervor quidem, ſed abſque debita humilitate; unde errores tres.

1. 1. Quòd non viſus ſit habere fidem Chriſto aſſerenti de omnibus, quòd ſcandalizandi eſſent.

2. 2. Quòd alijs ſe prætulerit.

3. 3. Quòd de ſuis viribus

viribus nimium præsumpserit. Petri exemplo, *cæteri*, ne inferiores viderentur, *similiter dixerunt*: Etiamsi nos oportuerit mori tecum, non te negabimus. Oportebat potius cum humilitate depreçari Christum, ut averteret à se tantum malum, quàm præfidere de se.

PUNCTUM III.

PRiori reprehensioni addit solatium: ex quo tria eliciuntur. 1. Quòd tentatio non veniat absque permissu Dei: *Simon, Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum*, ut agitaret, & perderet: ita & Job. Quin nec in porcos licuit diabolo ingredi, nisi Christo sinente. 2. Quòd tentatio non vincatur, nisi Deo adjuvante, & auxiliante. *Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Licèt vacillet, non deficiat tamen: quin saltem mox resipisces, ex lapsu humilior & cautior. 3. Quòd conversus à peccato debet alios suo malo doctus, instruere. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: ut & illi resipiscant, & reddantur in fide constantiores. Hæ sunt grates, quas Dominus requirit à justificato, ut & alijs ipse fiat causa salutis.

1. Dæmon sine Deo nihil tentat.

2. Deo juvante superamus tentationes. *Luc.* 22. 32.

3. Conversus alios converte.

ME-

MEDITATIO XVIII.

Sermo Christi ad discipulos post Cœnam. Joan. 14. 15. & 16.

TRia Dominus munia sua in hoc sermone præstantissimè obit. *Magistri*, alta de virtutibus præcipiens ; *Consolatoris*, magna promittens ; *Advocati*; interpellans ardentissimè pro eis Patrem.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Amor Dei.

AMor in Christum commendatur. 1. Hortatur ut diligant ipsum, adhibita efficaci ratione : *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos : manete in dilectione mea.* Nihil magis amorem provocat, quàm amor, & eò magis, si fuerit singularis. Atqui meus est talis: nam *dilexi vos, sicut Pater me*, quo amore non alius major. Ergo manete in dilectione mea, me diligite constanter, ut meo in vos amori respondeatis. 2. probatio amoris: *Si diligitis me, mandata mea servate : qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* fructus hujus dilectionis triplex. 1. *qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* 2. *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* 3. *& manifestabo ei meipsum*, nunc per fidem, & contemplationem, postea facie ad faciem. 3. proponit seipsum exemplar amandi : *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea,*

Ioan. 13. 9.

2. Amorem probat obedientiâ.

3. Christus exemplũ amoris.

mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione. Manere in dilectione Christi, aut Patris, potest dupliciter exponi, vel quòd nos ipsum tunc verè diligimus, si præcepta servaverimus, vel, quòd ipse diliget nos. Utrumque est verum, & se mutuo includunt: nam *qui diligit, diligetur*: & qui à Deo diligitur, vicissim diligit, *ego* enim *diligentes me diligo*, ait Dominus. *Ioan.* 15. 10. *Prov.* 8. 17.

PUNCTUM II.

AMor proximi commendatur. 1. præceptum dilectionis proximi vocat novum, quia penè collapsum restituit. Et quia est fundamentum novæ legis, quæ est Amoris: & quia per illud renovamur Spiritu in adoptionem filiorum Dei: singulariter autem, quia nova amandi regula traditur. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos:* cùm antiqua norma foret, *diliges proximum tuum, sicut te ipsum:* denique quia est nota discipulorum Christi. *In hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* 2. vocat suum: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: pænè ob causas illis similes, propter quas vocavit novum, præsertim, quòd seipsum proponit exemplar amandi, *sicut dilexi vos*: & quoniam ipse implevit maximè illam perfectionem amoris, de qua ait: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, 3. Inculcat jam tertiò

Festo Simonis & Judæ.

1. Quare mandatum novum.

2. Quare suum dicit.

3.

tertiò hoc præceptum. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Innuit hoc sufficere, & in illo reliqua contineri, *plenitudo enim legis est dilectio.*

Cùm commendabat ut se diligerent, non est usus præcepti nomine, quod ultro videbantur id facturi, tot provocati beneficijs: ut autem inter se amarent, futurum erat difficilius. Voluit etiam exprimere, quàm sibi id esset cordi, quando tam gravibus verbis illud commendaret.

PUNCTUM III.

Ad orationē quæ necessaria.

COmmendatur vis orationis. 1. quia valet ad impetranda omnia, etiam miracula, modo in fide oretur, & in nomine Christi petatur, & pro gloria Patris. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo,* 1. *Joan.* 14. 12. *hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.* 2. Orationis efficacitas pendet ex unione cum Christo per charitatem, *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Qui sic unitus est cum Deo, nihil petit, nisi quod ex Dei voluntate sit, atque ita semper impetrat, quod petit. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* 2. *Psal.* 144. 19. 3. Inculcat eandem promissionem de impetrandis quæ petuntur: & hortatur ad petendum: fore enim, ut compotes facti gaude-

gaudeant. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis : usque modo non petistis quicquam, petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Circa hanc toties, & tam asseveratam promissionem considerandæ sunt aliquot circumstantiæ. 1. Quis promittit? qui vocatur fidelis & verax, qui nolit decipere, & possit præstare. 2. Quibus promittit? Discipulis, jam dimisso Juda, non pertinet promissio ad rebelles, & peccatores, nisi cùm volunt resipiscere. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Et suprà dixit : *Si manseritis in me, quodcunque petetis, fiet.* 3. Quem oportet petere? Patrem, qui verè & simpliciter Pater est : nam, *si vos cùm sitis mali, scitis bona data dare filijs vestris : quantò magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Sed & Filius, & Spiritus S. promptissimi sunt ad largiendum. 4. per quem petendum? in nomine Christi, per illius merita, & ut ipse glorificetur. 5. quæ petenda? quæ decet Patrem cælestem largiri, & in Christi nomine peti, & petenti expediunt. 6. quomodo petendum? cum fide & fiducia de liberalitate Dei promittentis, & de Christi meritis, per quem petitur, nec non perseveranter.

Ioan. 16.

Circumstantiæ orationis sex.

1.

2.

Prov. 28. 9.

3.

Luc. 11. 13.

4.

5.

6.

PUNCTUM IV.

COnsolatur Apostolos, & animas ad patiendum, idque facit pluribus rationibus. 1. ab exemplo

1. Ab exemplo Christi.

exemplo sui : *Mementote sermonis mei: non est servus major domino suo ; si me persecuti sunt, & vos persequentur ; absque synagogis facient vos : sed venit hora, ut omnis, qui interfecit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo : Et hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Hîc innuitur alia ratio libenter ferendi, quia propter Christi nomen. 2. quia est signum divinæ electionis : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* 3. quia vertetur in gaudium: *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Declarat exemplo mulieris parturientis. 4. Ab spe æternæ mansionis, & societatis gloriæ cum Christo : *in domo Patris mei mansiones multæ sunt, & ego vado parare vobis locum, & iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* 5. à præsenti ipsius Christi ope: *Non relinquam vos orphanos. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi. Vado & venio ad vos. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & ego videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Possunt hæc exponi de visitatione divina inter tribulationes, etsi fortè magis pertinent ad finem vitæ præsentis, cùm veniet, ut suos hinc abducat ad æternum gaudium. 6. A testimonio divini amoris

2. Est signum electionis.

3. Successio gaudij.

4 Præmium æternum.

5. Christi auxiliū.

6.

moris erga ipsos. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amâstis, & credidistis, quia à Deo exivi.* Amor Patris.

7. A spe vincendi: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, quia ego vici mundum.* 7. Victoriæ spes.

MEDITATIO XIX.

Oratio Christi ad Patrem in fine sermonis. Joan. 17. 1.

ORat pro se, pro Apostolis, pro omnibus fidelibus & electis: est exemplar perfectæ precationis, in qua attendendum, pro quibus petat, quid petat, quo titulo, & ordo petitionis.

PUNCTUM PRIMUM.

ORat pro se. 1. Attendi debet interna & externa reverentia orantis, verborúmque affectus, *sublevatis oculis in cœlum, dicit: Pater.* Orat pro se. 1. Reverenter.

2. quid petat. *Venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Petit clarificari in nocte passionis; & fecit pater, tot editis prodigijs in morte ejus. Item per gloriosam resurrectionem, & ascensionem suam in cœlum. Denique per exaltationem nominis ipsius toto mundo, dum creditur Deus, & Salvator. Petit autem hæc, non suam quærens gloriam, sed Patris, *ut Filius tuus clarificet te*: nam clarificatio illius in tuam cedit gloriam, qui illum mundo dedisti. Licet mihi usurpare eandem orationem 2. Ut clarificetur.

fine

sine temeritate, ut petam clarificari donis gratiæ, ut inde ipsum Deum clarificare valeam.

3. 3. quo titulo petat: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem, & nunc clarifica tu me, Pater! claritate, quàm habui priusquam mundus esset, apud te.* Licet obtendere apud Deum fidelia obsequia, cum debita submissione. Utinam ego haberem, quæ repræsentarem! at contrà, non nisi demerita habeo. Dicitur etiam, quòd, quæ Deus ab æterno destinavit, nihilominùs petenda nobis sunt, quia per tale medium dare constituit claritatem ergo, quam ante mundi constitutionem decrevit Deus electis, instanter ipsi ab illo petent. Sicut Christus hoc loco petit claritatem, quæ ab æterno ipsi fuerat decreta. Etsi, quoad Christum, potest aliter accipi claritas: nempe quòd sit verus Filius Dei, quam habuit ab æterno: petit autem eadem clarificari, hoc est, innotescere pro tali, & glorificari, sicut factum scribit Joannes: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

PUNCTUM II.

ORat pro Apostolis: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt:* Ubi simul continetur titulus, sub quo eos commendat Patri: *Quia tui sunt*, qui est efficax. *Tuus sum ego, salvum me fac.*

Pro Apo- Non orat pro mundo, & filijs tenebrarum, quia

quia indignos se faciunt, resistendo divinæ legi, & inspirationibus. Deinde petit pro illis tria. stolis petit tria.

1. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Petit, ut sint sub peculiari cura Dei, ac proinde inter se uniti, imò unum sint, sicut Pater, & Filius unum sunt, videlicet naturâ, & consequenter unius sensûs, & voluntatis, quod optat Apostolus. 1.

2. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed, ut serves eos à malo.* Nimirum inter malos esse, & ab eis pati, sæpè expedit? illud modò detur, ut sub protectione Dei cœli commoremur, & ipse inter tentationes mundi liberet nos à malo. 2.

3. *Sanctifica eos in veritate. Ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Precatur discipulis veram sanctitatem, atque perfectam, non tantùm declinationem à malo. Alio autem sensu de se dicit: *Ego sanctifico meipsum*, id est, devoveo & immolo, *ut ipsi sancti sint*: nam ex Christi morte nobis provenit sanctitas. 3. Quo titulo petit.

Tres titulos ad impetrandum Apostolis adhibuit. 1. *quia tui sunt.* 2. *serva eos* in nomine tuo, pro gloria tui nominis: 3. *quia ego pro eis sanctifico me ipsum*, morti offero.

PUNCTUM III.

ORat pro reliquis fidelibus *Non pro eis tantùm rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Itaque pro me tunc oravit, habuit enim tunc omnes cognitos, & in oculis singulos. 1. Quid pro eis petit? *ut omnes unums* Pro omnibus fidelibus petit. 1.

Charitatem. *unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Unum inter se, & cum Deo: ô beata unitas! Ex quo sequitur, *ut credat mundus, quia tu me misisti.* Tanti est vera unio charitatis, ut plurimum momenti adferat ad fidei propagationem, quia ibi verè digitus Dei est, ubi charitas. 2. Præterea petit: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Hæc summa petitionum omnium, ac desideriorum finis. *Volo, inquit,* & quis resistet voluntati tuæ? Dic obsecro pro me, *volo,* & fiet.

2. Vitam æternam.

Tituli sunt. Tituli seu motiva petitionis sunt illa, *qui credituri sunt in me. Et Pater, quos dedisti mihi.* Uterque enim respectus debet apud Patrem valere plurimum, ut largiatur illis primò unitatem illam in hac vita, cum Deo, & inter se per charitatem. deinde verò, ut assumat illos ad se: ubi videant claritatem, quam Filius à Patre accepit generatione æterna, *faciem Domini speculantes.* Fiat, fiat.

2. Cor. 3. 18.

MEDITATIO XX.

Christus pergit ad hortum, & tristatur.

Matt. 26. 30. Ioan. 18. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Consuetudinem.

CUr à cœnaculo ad hortum perrexerit? 1. causa, ut morem servaret suum à concionibus,

nibus, & consuetudine hominum recipiendi se ad orationem. Sic ego consueta exercitia non omittam facilè, quamvis impedimenta objiciantur : præsertim instante necessitate, ut hîc. 2. Ne crearetur aliquod incommodum Domino cœnaculi, ac ne fugere videretur periculum, eo se contulit, quo Judas sciebat, solitum se recipere Dominum. Unde abiturus ait, *ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus.* 3. ut quia in horto mala libertas peccandi cœperat, in horto etiam comprehenderetur veræ vindex libertatis, & initium saluti daretur. Erat hortus ad montem Olivarum, id est, misericordiarum, & per torrentem Cedron ad eum transivit Christus. Quia misericordia nobis à Christo exhibita multis ei constitit doloribus. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.*

tudo bona servanda.

2.

Ioan. 14. 31.

3.

In horto Adam peccavit, Christus pati cœpit.

Ps. 109. 7.

PUNCTUM II.

QVòd Christus voluit omne sensitivum solatium sibi adimere, quo leniri solent valdè cruciatus, ut ampliùs pateretur : & ita propositis malis omnibus sibi inferendis quàm efficacissimè, & cohibito omni solatio, quod à superiore parte animæ dimanare in sensus solebat, ita ut pati gestiret, laxavit habenas naturali appetitui, ut, quantùm valeret aversatus mala impendentia, immensa tristitia absorberetur.

Omnem lætitiam sibi ademit.

Assumit Timorē.

Internus hic Christi affectus ab Evangelistis variè nominatur, *timor, pavor, tædium, tristitia, agonia.* Timor est mali impendentis, qui sæpè magis cruciat, quàm ipsa mors. Et proponebat sibi Dominus singula disertè: unde ait:

Ps. 54. 5. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor & tremor venerunt supra me, & contexerunt me tenebræ.* Tædium

Tædium est quoddam rerum omnium fastidium, ut omnes accidant ingratæ & molestæ. Sic luebat Christus tædium, quo ego soleo laborare, rerum spiritualium, bonarúmque actionum. Tristitiam.

Tristitia est afflictio interna, tanquam de præsentibus jam malis, quòd ea apprehenderet ex divina dispositione, tanquam ineyitabilia, & adeò ut præsentia.

Porro sicut charitatis eximiæ fuit, quòd Christus *desiderio desideraverit* mori pro nobis, indéque gauderet, ita jam paris est charitatis, quod timet, tædet, tristatur, quo ita plùs patiatur pro nobis.

PUNCTUM III.

1. Peccata Christū contristarunt.

PRæter passiones ipsas fuerunt quoque aliæ causæ, Christi animam affligentes. 1. multitudo innumerabilis peccatorum; gravitas maxima ob offensam Dei infiniti, & damna æterna. Itaque Dominus hìc tristabatur, ut suppleret defectum in nobis, qui vix ullo tangimur doloris sensu ob nostra peccata, & ut illa ejus

2. pœna averteret à nobis æternas. 2. quòd videret

ret plerosque hominum non percepturos fructum ex tot ipsius laboribus & medijs, quæ offerebat : alios autem repidè usuros. 3. repræsentabat sibi passiones & afflictiones, quas plurimi passuri erant ipsius Christi causa : & eas ipsas, ut proprias sentiebat. 4. speciatim perditio populi sui, ex quo erat secundùm carnem, & variorum regnorum, quæ erant abjectura Christi fidem, & nominatim Judæ, ut cùm membrum ex corpore abscinditur. 5. scandalum discipulorum, & matris mœstissimæ afflictio.

Ignavia nostra.

3. Passiones electorum.

4. Perditio Judæorum.

5. Scandalum discipulorum.

PUNCTUM IV.

APerit suam tristitiam Petro, Jacobo, & Joanni. *Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hîc, & vigilate mecum.* 1. usque ad mortem, qualis est in ipsa morte : vel, quæ afferre posset mortem : nisi ad plura patiendum servarem meipsum. 2. Manifestavit ideo, ut constaret nobis interna ejus afflictio, quam propter nos subibat, ac, ut se probaret hominem talium capacem, & quoddam solatium ex communicatione doloris, more humano perciperet. 3. Illis tribus Apostolis communicavit, quia ijsdem gloriam glorificari corporis ostenderat. Unde intelligerent, quanti hominem amaret, cujus causa illam gloriam cum hac humilitate commutaret. Item monerentur, cùm Deus singulari beneficio suos afficit, præparari sic eos ad plura ferenda, & denique favorem

Matt. 26. 38.

1.

2. Tristitiã suam aperit.

3. Tribus Apostolis solum.

esse singularem non tantùm assumi ad speculandam gloriam in monte Thabor, sed etiam adhiberi ad communicationem passionum in monte Olivarum.

MEDITATIO XXI.

Oratio in horto. Matt. 26. 41.

PUNCTUM PRIMUM.

Luc. 22. 41. Tristitiæ tempore orandū.

IN ea tanta tristitia ad orandum se Dominus convertit, relictis tribus illis Apostolis. *Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis.* 1. docemur hinc in desolationibus recurrendum ad Deum per orationem, non per inania colloquia dissipandum animum. *Tristatur aliquis in vobis, oret. Et in die tribulationis Deum exquisivi, renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum.* 2. Hortatur etiam Apostolos, ut idem faciant: *Vigilate mecum.* Divulsus ab illis orat, quia secretum amat oratio, & removenda sunt impedimenta, & solatia postponenda.

Iac. 5. 23.

Ps. 76. 3.

Matt. 26. 38.

PUNCTUM II.

Luc. 22. 41. *Matt.* 16. 39. Oratio qualis?

ORat Patrem. 1. summâ reverentiâ & humilitate. *Positis genibus, procidit in faciem suam super terram.* 2. fiduciali amore: *Pater mi.* 3. Resignatione plena, non obstante immensâ tristitiâ: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

4. Pro-

4. Prolixè, ad horam continuavit, ut colligi potest ex illo : *Non potuistis unâ horâ vigilare mecum* ? Summa orationis fuit brevis, & variis affectibus producta. 5. Oravit: *si possibile est, transeat à me calix iste*, avertatur à me : potest & ita, ut citò expediatur, sit passionis tempus breve; sed non ad literam.

PUNCTUM III.

VIsitat discipulos, reperítque dormientes: ita sollicitus erat de illis, ut interrumperet orationem suam. Corripit dormientes, sed in spiritu lenitatis. *Sic, non potuistis unâ horâ vigilare mecum* ? præcavet deinceps, monens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*; quæ videlicet imminebat ex comprehensione Magistri : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, quæ proinde per orationem juvari debeat: vel est accusantis discipulos, quòd voluntatem promptam habeant, sed fragilitate carnis vincantur. Corrigit discipulos.

Hanc socordiam in tanto periculo dormientium imitor ego incurius salutis, & profectus mei. Urgente tristitiâ, imperfecti contrahunt tædium, & soporem : perfecti autem inde urgentur ad instantiùs orandum, ut Christus facit.

PUNCTUM IV.

PRimò orat: *Pater mi! omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non* Marc. 14. 39.

Ostendit magnũ amoris affectum

quod ego volo, sed quod tu. Transferri seu transire calicem à se in homines cupit, hoc est, fructum passionis: quòd si illum participare nequeant, nisi Christus ipse bibat illum, & passionem subeat, fiat voluntas Dei: quasi petat salutem conferri hominibus, absque passione sua: si autem fieri secùs non valet, paratum se offert ad exhauriendum.

PUNCTUM V.

Marc. 14. 40

SEcundò visitat discipulos, & *invenit*, ut priùs, *dormientes*: *nam oculi eorum erant gravati* præ tristitia, *& ignorabant, quid responderent ei.*

Christi desolatio.

Sciebat illos dormire, visitat tamen, curam exhibens circa illos. Undique bonus Jesus solatio destituitur, intempesta nocte, in loco solitario, consopitis discipulis, nec à Patre exauditus est post longam repetitam orationem, nec ideo frangitur, aut queritur, sed urgetur ad impensiùs prolixiúsque jam tertiò orandum. Et ego velim statim exaudiri? nequaquam, nisi perseveravero pulsans.

Cur Pater differt responsum.

Sed cur tam diu differt Pater responsum? ut necessitas passionis ejus magìs commendaretur, & Dei erga nos charitas, quandoquidem tam instanti diuturnáque obsecratione Filij non est flexus Pater æternus, ut ipsi condonaret calicem, aut remitteret: nisi enim summa esset passionis, mortísque Christi necessitas non se permitteret tam diu rogari: nisi hominem infinitè

nitè amaret, non abnueret, etiam cum dispendio hominis quàm primùm Filio gratificari.

MEDITATIO XXII.

Confortatio & sudor sanguineus.

PUNCTUM PRIMUM.

TErtiùm oranti *apparuit Angelus de cœlo confortans eum*: haud dubiè missus à Deo Patre, & fuisse Gabrielem credibile est, qui ad obsequium humanitatis Christi peculiariter fuit destinatus. Sic Deus perseveranti in oratione impertit in tempore solatium, & auxilium. *Luc.* 22. 43. Ab Angelo confortatur.

Confortavit Christum, proponendo necessitatem passionis ejus, & gloriam inde Patris secuturam, & ipsius Christi, similésque rationes. Quas licet ipse Dominus perspectas haberet, submissè tamen ex Angelo accepit, inde seipsum animans, & confortans pro conditione humana. Discam non dedignari ab inferiori dirigi, & solatium admittere, quando etiam nihil novi, aut ignoti profertur: fit enim, ut illuminemur magis à Deo, propter humilitatis obsequium.

PUNCTUM II.

OB dicta Angeli, *factus in agonia prolixiùs orabat.* Agonia fuit conflictus internus, dum ex una parte timorem & tristitiam vehementem efficerent obversantes cogitationi cru- *Luc.* 22. 43.

ciatus; ex altera autem respectus Dei & salutis nostræ, ad amplectendam mortem incitaret.

Pugna tristitiæ cum zelo gloriæ Dei.

Inter hæc *factus est sudor ejus sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram :* adeò fuit vehemens utrinque conflictatio. Erat in potestate Christi timorem, & tristitiam cohibere; sed specimen exhibere voluit pugnæ mox ineundæ cum ipsis tortoribus & tormentis: deinde exemplum dare repugnandi nostris passionibus usque ad sanguinem. Denique docet, difficultates omnes, quæ in Dei servitio occurrere possunt, præmeditari, atque adversus illas obfirmare animum, ut præsentes minùs feriant, quippe jam antea devictæ.

Christi liberalitas in effusione sanguinis.

Hæc spontanea sanguinis effusio est instar myrrhæ primæ ac probatissimæ, quæ sponte fluit ex arbusto, priusquam vel pungatur, vel cortex detrahatur : ita nunc Christus fudit sanguinem toto corpore, effusurus postea totum, flagris concisus, clavis ferróque perfossus, & spinis punctus. Quare cogitandum est in hac agonia per vehementissimam singulorum cruciatuum apprehensionem passum fuisse Dominum omnes simul dolores, quos postea tortores intulerunt ex cruciatione corporis. Vide charitatem.

Dolor de peccatis nostris.

Voluit etiam repræsentare nobis immensum dolorem, quem concipiebat ob peccata nostra, & Dei offensas, ut satis ei non foret lacrymis eas deflere, sed ad eluendas [illegible]nguine opus fore.

Repræ-

Repræsentavit etiam in seipso passiones, quas corpus ejus mysticum subire debebat, & ita quodammodo cum singulis martyribus, & confessoribus patiebatur, quantò decet magis, ut ego ipsius Christi tormenta pro me obita intimè sentiam, & meo sanguine demerear? Sensit passiones electorum.

Tandem considera, quàm ex isto sudore, & agonia manserit debilitatus, nullo interim adhibito levamento, vel absterstione sudoris.

PUNCTUM III.

TErtiò surgit ab oratione, *invenit discipulos etiam dormientes præ tristitia.* Alacer surgit, ad confligendum cum morte: hæc fortitudo est fructus orationis. Non coarguit discipulos, sed indulget: dormite jam, & requiescite: vel indicat rem jam peractam, propter quam eos vigilare jusserat. Monet tamen evigilare ob præsens periculum, quando moniti, ut orarent cum ipso, non fecerunt. *Sufficit, surgite eamus, ecce appropinquat, qui me tradet.* Non ille dormit sicut vos: pudeſiam de oscitantia mea in Dei servitio præ inimicis Christi ad eum offendendum.

MEDITATIO XXIII.

Applicatio sensuum internorum circa effusionem sanguinis Christi.

ME-

MEDITATIO XXIV.

Oſculum Iudæ & præcedentia comprehenſionem Chriſti.

PUNCTUM PRIMUM.

Judæ proditoris nequitia.

IUdas unus ex duodecim, dux comprehendentium Chriſtum factus eſt: venit ad locum, quem ſciebat Jeſum orationis causâ frequentare; pro teſſera dat comprehenſoribus oſculum, alioqui pacis ſignum, atque audacter accedens, *oſculatus eſt Jeſum dicens. Ave Rabbi*: atque hoc fecit totum, ut vile pretium venditionis reportet. In quale profundum præcipitat hominem cupiditas! & quale Dei judicium, permittentis in ſuo diſcipulo talem lapſum! ſalutari ego timore concutiar, & deprecabor à Deo ſimilem cæcitatem: *Ne quando dicat inimicus, prævalui adversùs eum.*

Marc. 14

Pſ. 12. 5.

Chriſti charitas erga Iudam.

1.

Deinde conſideretur, quemadmodum Chriſtus excipiat Judam ſumma charitate, & manſuetudine. Non abnuit oſculum: quidni confidam quamvis peccator, ad eum accedere indulgentiæ causâ, quando non rejicit proditorem?

2. *Joan.* 15. 14.

Imò compellat amicum: *Amice ad quid veniſti?* quærit, diſſimulans pravam illius intentionem. Appellatione autem *amici* revocat ipſi in mentem, quòd pro tali habitus fuerit à ſe. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos,* quódque habe-

habere etiam in poſterum paratus ſit, modò perfidus ipſe velit. O manſuetudo!

Objectat nihilominus proditori crimen, ſed benevolentiſſimè: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* tradis, & oſculo tradis, venenum melle admiſcens? O Juda! blanda appellatio. Filium hominis contemptim ſe nominat: quòd ſi tantùm crimen, prodere Filium hominis, quantùm erit, quòd Filium Dei tradis? neque ſic emollitur. Judam corripit.

PUNCTUM II.

CHriſtus verbo proſternit comprehenſores. Voluit documentum dare ſuæ potentiæ, & quòd nihil contra eum poſſent, niſi quantùm ille ipſis permitteret. *Ego*, inquit, *ſum*. Aliter hæc vox ſonat in auribus pij & juſti hominis, aliter impiorum. Illi eſt plena ſolatij, ac ſi dicat, *ſalus tua ego ſum*; dilectus tuus & omnia: peccatoribus autem eſt terribilis. Quod ſi nunc: quanto terribilior in magno die judicij? *Et abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Retrorſum, qui lapſus eſt periculoſiſſimus, & in quo non videt cadens, quò ruat: ita peccatores non advertunt, in quæ mala peccando revolvantur. Non ſic cadam ego, ſed in faciem meam per humilitatem & agnitionem propriæ culpæ, verámque pœnitentiam, ut emendatus reſurgam. Oſtendit potentiam ſuá. *Dan.* 10. 5. Retrorſum qui cadunt.

PUN-

PUNCTUM III.

Obstinatio Judæ & militum.

CUm è terra surrexissent, qui fuerant prostrati, Christo permittente, secundò interrogavit *quem quæritis? illi etiam dixerunt: Jesum Nazarenum.* Vide cæcitatem, tanto miraculo conspecto, insistunt adhuc malè cœptis. Jesum Nazarenum quærunt, profitentur illum (quamvis nescientes, & nolentes) quod verè est, Salvatorem & sanctum. Interest, quomodo quæratur Jesus: quæram ego, non, ut necem inferam, sed, ut vitam referam ex illo, *Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Sic bone Jesu, tuis consulis, tibi non consulis. Et fuit verbum potens, ne attingerentur discipuli ejus, sed in ipsum solum rabies ministrorum Sathanæ verteretur.

Sinite verbum efficax.

PUNCTUM IV.

PEtrus amputat auriculam Malchi. Petitâ prius veniâ: *Domine, si percutimus in gladio?* sed non expectato responso, quod tale fuit: *sinite usque huc*, abstinete factum autem redarguit pluribus modis. 1. *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Hæc erat tunc lex talionis: quomodo mansuetus Agnus pateretur, se defendi per effusionem sanguinis alieni, qui suum dare venerat? 2. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* non ego mortem

Luc. 22. 49. *Matt.* 26.

Reprimitur Petri fervor tribus modis.

1.

2.

mortem aspicio, ut intentatam ab inimicis, sed ut imperatam à Patre meo, ac ita, ut optatissimam: ægrè fert impedimentum objici implendæ voluntatis Patris. Sic ego oblatos labores amplectar, & pro Dei munere ducam. 3. *An putas quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* Possem quidem petere, & impetrare: sed nolo, quia volo, ut Patris voluntas fiat: ita hoc dicit, sicut in horto orans dixerat: *Omnia tibi possibilia sunt*: poterat absolutè id fieri, ut transferretur calix, & legiones Angelorum in auxilium venirent; sed ex suppositione divini decreti, non poterat: quòd ita Christus servatum volebat, ut etiamsi posset illud effringere, nequaquam vellet.

Commendatur hinc efficacitas orationis, ad impetrandum auxilium à Deo, etiam multorum Angelorum. Unde Elisæus dicebat: *plures nobiscum sunt, quàm cum illis*: deinde conformatio cum divina voluntate: quæ debet esse in orante. 4. Reg. 16.

PUNCTUM V.

Malchus conversus hoc miraculo.

SAnat auriculam Malchi, volens reddere bonum pro malo, & non ferens propter se alicui damnum illatum, & ne exacerbati ministri læderent discipulos. Credibile Malcho redditum simul fuisse auditum fidei, & obedientiæ, quia

quia Christus solitus erat cum corporali sanitate conferre spiritualem, & miraculum in se patratum potuit ipsum permovere, tametsi alios nihil movreit. O, sanetur in me auditus ad excipiendas inspirationes divinas! *audiam, quid loquatur in me Dominus.*

MEDITATIO XXV.

Comprehensio Christi.

PUNCTUM PRIMUM.

CHristus facit potestatem sui adversarijs. 1. Improperat, quòd tanquam ad latronem capiendum venirent armati. Habet ille nomen prædatoris apud Isaïam: *velociter spolia detrahe, citò prædare:* sed prædas agit animarum, ex potestate diaboli in libertatem vindicando. Velim, ut sic deprædetur cor meum, & sibi illud asserat. 2. Exprobrat, quòd, cùm quotidie cum ipsis fuerit, docens in templo, non eum tenuerint: quasi pro doctrinæ labore rependant hanc mercedem: vel notat imbecillitatem, quòd, cùm in manibus eum habuerint, & pridem capere exoptaverint, non tamen sint ausi: nempe, non fuisse eis à Deo concessum. 3. Nunc autem, *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Permitto me vobis, & ipsis dæmonibus, qui vos instigant ad me perdendum: virtute hujus concessionis potuerunt in Christum, quicquid ipsi fecerunt. Et sine exceptione se eis tradit, non sicut Job traditus

Isa. 8. 1.

2. Ingratitudo Judæorũ

3. Dat sui potestatem.

tus est, excepta vita. Magna charitas & dignatio, quòd etiam Dæmoni super suum corpus tradit potestatem, ut ego eripiar. O Domine! posside ita corpus meum & animam, totúmque me, nec sit alteri potestas super me.

PUNCTUM II.

IRruunt in Dominum, tradunt, prosternunt, calcant, ligant, collo manibúsque injecto fune, & *exultant sicut victores capta præda.* 1. Perpende *humilitatem*: qui sedet super Cherubim, substernitur pedibus impiorum: quantò id majus, quàm, quod in cœna ad pedes discipulorum accidens, eos lavit: huc pertinet illud Psalmi: *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, conculcaverunt me inimici mei.* Faciunt hoc ipsum peccatores omnes, qui *Filium Dei conculcant & sanguinem illius polluunt*, teste Paulo: Justi autem glorificant & portant Deum in corporibus suis. 2. *Patientiam* admirabilem, nullo edito signo indignationis, aut querimoniæ, & tamen *circumdederunt te vituli multi, tauri pingues obsederunt te, aperuerunt super te os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Et poteras nutu omnes perdere. O discam ex te patienter injurias sustinere. 3. *Charitatem*, qua ma[illegible]us offert ligandas, cùm meliùs quàm Samson, [illegible] filia disrumpere funes, catenásque potuisset. [illegible]on funes, sed charitas ipsius erga nos vincieba[illegible]nus, manus operatrices mirabilium: & im[illegible]um est illud: *Funes peccatorum cir-*

Isa. 9. 3. Christi virtutes. 1.

Ps. 52. 2.

Heb. 1. 29.

2.

Ps. 12. 13.

3.

Ps. 118. 61.

circumplexi sunt me, ego autem legem tuam non sum oblitus : legem scilicet charitatis, qua jussisti, ut ponerem dilectam animam meam pro peccatoribus.

PUNCTUM III.

1. Inconstantia discipulorum.

TUnc *discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* 1. Ex parte discipulorum æstimanda est eorum infirmitas, quos tot visa miracula, & credita de Christo mysteria, sermo ille postremus, & jactata ab ipsis promptitudo moriendi, & Eucharistici Sacramenti in hoc sumpti firmamentum, hæc totque alia nequiverunt à turpi desertione dilecti Magistri cohibere. sic pedes illi paulò antè loti tam eximio charitatis atque humilitatis exemplo turpi fuga fœdati sunt. Nec deseruerunt tantùm; sed fide quoque nutarunt. Utinam non ego etiam sim amicus mensæ & prosperitatis : in arduis autem & tentationibus desertor Christi. 2. Ex parte Christi consideretur intimus sensus, quo tulit hanc sui gregis dispersionem, usurpans illud : *Longè feciſti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi,* quasi abominabilem me devitarunt.

2. Dolor Christi Ps. 87. 9.

MEDITATIO XXVI

Ducitur Christus ad Annam.

PUNCTUM PRIMUM.

Ioan. 18. 13. ADduxerunt *eum ad Annam primùm; erat enim socer Caiphæ, qui Pontifex anni illius*

illins. Quàm crudeliter trahitur, & impellitur! & quia properabant, & confertim Christum cingebant, opus fuit aliquando impingere Dominum, & cadere. Et erat alioqui à sudore sanguineo debilitatus, & laxatis inde poris, debuit in hac agitatione iterum sudare, licèt non cruentè: in transitu etiam torrentis Cedron impingebat in saxa, lædebátque sacratos pedes pro meorum culpis, qui veloces sunt ad malum. O, *dirige gressus meos in semitis tuis!* In ipso etiam ingressu civitatis insolentiùs egisse ministros, militésque credibile est, ipso tumultu clamoribúsque veluti triumphantes de præda. Quàm iste ingressus ab illo diversus ante paucos dies? confer illius obsequia, & acclamationes cum vi & petulantia istius. Et inter hæc, qua humilitate & patientia bonus Jesus sustinebat omnia, & qua offerebat Deo charitate! Christi sudor & defatigatio. *Ps.* 16, 5.

PUNCTUM II.

POntifex Annas interrogat Jesum de discipulis suis, & doctrina. Aderant legis Doctores scientia sua inflati, qui irrisoriè Christum exceperunt, ut solent tales subsannantes, quòd jam in potestate eum haberent. Absit à me scientia inflans!

Interrogant Jesum, quid docuerit, & quales habeat discipulos, studio calumniandi. Audit patienter & mansuetè, is qui unus est Magister, & Sapientia ipsa, stans constrictis manibus coram Christi examen.

ram arrogantibus legis Doctoribus. Aliter hîc, quàm cùm annorum duodecim: *Stabat in medio Doctorum, audiens illos & interrogans, stupentibus omnibus super illius responsis*: nunc autem cavillantibus.

Luc. 2. 46.

PUNCTUM III.

Ioan. 18. 20. Responsio libera & prudens.

REspondit Jesus de doctrina sua: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Ac si dicat, non clanculum docui, occultare volens, sed ita palam, ut omnibus constare queat. Pergit: *quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt.* Impavidum & liberum responsum pro veritate doctrinæ suæ: quod imitari oportet in profitenda veritate. Nascitur ea fiducia ex conscientia bona, & indubitata notitia veritatis.

Non respondet in particulari quidquam, sed ipsos generatim ad suosmet hostes ablegat: sanè prudenter: quo factum ut omnes conticescerent, à conscientia propria redarguti.

De discipulis tacuit, quod parùm sibi honori essent, cùm fugissent, nec pro sua modestia arguere illos vellet. Et aderat Judas, qui etiam dedecori sibi erat. Quare sentit omnino animi dolorem; contuens seipsum planè sine discipulis ullis.

ME-

MEDITATIO XXVII.

Alapam accipit, & amandatur ad Caipham Pontificem.

PUNCTUM PRIMUM.

Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens, sic respondes Pontifici! 1. Fuit crudelis alapa, quippe à furente, & assentante domino suo. 2. Valde ignominiosa in tali confessu, & ei homini, qui hactenus fuerat veneratione omnibus, quam & insita vultui majestas conciliabat. 3. Calumniosa pro justissimo ac prudentissimo responso. 4. inde etiam acerba, quod aliorum plausu excepta, causámque præbuit ut alij in Christum talia auderent. O facies decora, in quam desiderant Angeli prospicere! en ut erubescis tum à plaga, tum ab innato pudore ob maximam confusionem!

Alapæ crudelitas. 1. 2. 3. 4.

PUNCTUM II.

Respondit Jesus: si malè locutus sum testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? satisfacere voluit, ne videretur injuria affeciſſe Pontificem. Respondit autem mansuetè & modestè, absque ullo signo turbationis? sic autem efficaciter, ut nihil replicarent; nec tamen ejus defensio locum invenit. Ut ego non turber, quando mihi simile continget, ut rationes, vel excusationes non recipiantur.

Ioan. 18. 23.

PUNCTUM III.

Misit Annas Jesum ligatum ad Caipham, ad quem, ut Pontificem, res propriè pertinebat. Ligatum misit, ut antea, vel etiam magis pro majori cautela: sed quò stringebatur arctiùs, eo charitas illius dilatabatur ampliùs, ad plura ferenda propter nos.

Ductus est, ut priùs tumultuosè prodeuntibus etiam ex domibus spectatoribus, séque turbæ adjungentibus & colludentibus. Interea Jesus solita pace, & patientia ferebat omnia, & offerebat pro salute ipsorummet.

MEDITATIO XXVIII.

Triplex negatio Petri.

PUNCTUM PRIMUM.

Matt. 26. 58. *Petrus sequebatur Jesum à longè, & ingressus cum alio discipulo atrium Pontificis*, accedens ad alios ministros, *calefaciebat se, quia frigus erat.*

Lapsûs Petri causæ.

1. 2. 3.

Lapsûs Petri hîc quasi progressus fuit. 1. sequebatur à longè; refrixerat, in anima ejus amor, unde notavit Evangelista, *quia frigus erat.* 2. ingressit se in occasionem, præsidens sibi. 3. Oblivioni tradidit prædictionem Christi. Cavebo diligenter ista. Ille alius discipulus (qui putatur Joannes) non negavit, præcipuè Deo protegente: sed & quod non ita præsume-

rat

ret de se, nec in occasionem se inferret, immiscens se ministris.

PUNCTUM II.

PRima negatio occasione ancillæ: nam ancilla ostiaria cùm vidisset Petrum sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit ad circumstantes, *& hic cum illo erat*; & ad Petrum. *Numquid & tu ex discipulis es hominis istius?* Imo *tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit dicens: Non sum: non novi illum, nescio quid dicas.*

Nota 1. quod per mulierem primò diabolus Petrum aggreditur, ut in Paradiso Adamum, est enim mulier audacior & mollior. 2. attende fragilitatem humanam. Ille filius columbæ, ille à Christo beatus pronuntiatus, tam levi flatu dejicitur! quid ego? 3. Timor ipse vel mortis, vel damni prostravit athletam. O, quoties me respectus à recto avertit, aut sensualitatis illecebra, quasi ancillæ vox. 4. proh, quanta Christo injuria irrogatur! Non sum, non novi, & quid sensit Magister bonus, dum sic à charo discipulo posthaberetur?

1. A muliere quanta mala.
2.
3.
4.

PUNCTUM III.

SEcunda & tertia negatio Petri: semel prostratus, foras egreditur, & Gallus primò cantavit, sed præ turbatione non advertit: post pusillum reversus ad ignem, secundò interpellatur: *Nunquid & tu ex discipulis ejus es?* certè &

Petrus ter negat Christũ.

tè & tu ex illis eras. *Iterum negat cum juramento, quia non novi hominem.* Tertiò adhuc, intervallo facto quasi horæ unius, qui astabant, dicebant Petro: *Verè tu ex illis es*: & probabant, *nam & Galilæus es, & nonne ego te vidi in horto? Tunc cœpit detestari & anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum quem dicitis.* 1. adverte, ut alias super alias machinas diabolus adhibuit, ad deturbandum Petrum. Ita facit, quo fortiorem oppugnat, ut nisi in magna solidatus humilitate non subsistat. O Domine! *ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* 2. Vide quàm pernitiosum sit, animadverso periculo, non declinare illud. Non vitavit Petrus post primam negationem, quod fuerat ei occasio, sed ad consortium malorum reversus est. Vide etiam uti ex malo in pejus dilabitur, à simplici negatione ad jusiurandum & perjurium, ab hoc ad execrationem. Diabolus extrema intendit, illud urgens, *exinanite, exinanite usque ad fundamentum.* 3. Ut Petrus post cœnam præsumens ter contestatus fuerat se non negaturum, potiúsque moriturum, ita in pœnam ter labi permittitur, ut suæ sit conscius imbecillitatis: à primo lapsu si se statim humiliasset, occurrisset secundo.

1. Astus dæmonis.

Ps. 35. 12.

2. Occasio peccati fugienda.

Ps. 136. 7.

3. Trina præsumptio causa trinæ negationis.

PUNCTUM IV.

Marc. 14. 72. POEnitentia Petri, ubi tertiò negavit, statim gallus secundò cantavit, & *recordatus*

tus est Petrus verbi Jesu, quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et conversus Dominus, respexit Petrum; & egressus foras, flevit amarè. Petri cõversio.

1. Vide, ut Jesus, inter suas vexationes, non obliviscitur discipuli, quantumvis ingrati, sed absentem respexit misericordiæ oculis. Respicet me & omnes peccatores, ut ad te convertantur. 1. Christi charitas. 2. lachrymæ Petri non jam ex timore, sed ex amore fundebantur, dolentis toto corde, quod tam bonum Magistrum & benefactorem sic ingratus offendisset. 2. Petri lachrymæ. Et intelligebat probè illud: *Quia malum & amarum est reliquisse Deum tuum*: unde & amarè flebat: quæ ipsi lachrymæ juges fuerunt tota vita. *Ier. 2. 19* 3. Observa progressum conversionis. 3. Progressus. 1. *Recordatus est verbi Jesu*: unde timorem, fiduciam, & amorem concepit. 1. 2. egressus est foras, impedimenta relinquens, & occasiones. 2. 3. Flevit ex vera pœnitentia. 3. Adde his, quod prima omnium causa extitit, *quod conversus Jesus respexerit* Petrum.

MEDITATIO XXIX.

Accusatur apud Caipham, & condemnatur.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera 1. quàm fuerit perversa forma judicij. Judices erant invidia & ambitione 1. Judicij perversitas.

Matt. 26 9. ne depravati, & ipsimet *quærebant falsum testimonium contra Jesum.* Accusatores & testes falsi & corrupti. Inter hos reus agebatur Filius Dei, ipsa innocentia : contra quem cùm diligenter exquisivissent falsum testimonium, & multi falsi testes accessissent, non tamen invenerunt quod arguerent : juxta illud, quod *Ioan.* 14. 30. ipse dixerat : *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* 2. Diluit Dominus accusationes silentio, ut ægrè ferret Caïphas, surgénsque diceret : *Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur* : *Jesus autem tacebat* : sicut prædictum : *qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Valet ad exemplum, ut Deo remittamus defensionem, præsertim in manifesta veritate : & vincitur ita glorioſius, quando nihil respondendo diluitur calumnia : nam solet in talibus captari ex responso occasio calumniandi aliquid, ut hîc statim factum.

2. Silentiũ Christi. *Ps.* 37. 13.

Vincit qui tacet.

PUNCTUM II.

ADjuratio Caïphæ. Cùm accusationes non procederent, instituit Caïphas quæstionem. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei benedicti.* 1. observa reverentiam, quam Dei nomini Christus detulit, ut contra propositum suum, per illud adjuratus responderit. 2. respondit autem, fa-

1.

2.

ten-

tendo ſe eſſe : *Tu dixiſti* : ac ne moveat vos mea hic præſens conditio, quam à Filio Dei alienam ducitis, & ideò nihil minùs vobis perſuadetis, quàm me eſſe talem, *dico vobis* : *amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* 3. *amodò*, inquit, id eſt, poſtmodum : nam apud Deum *mille anni, ſicut dies heſterna quæ præteriit.* Ita ſolabimur nos ipſos in adverſis, quia poſtmodum erit finis, & cuſtodiemus nos in proſperis metu imminentis judicij.

Chriſti de ſe confeſſio.

3. *Pſ.* 89. 4.

PUNCTUM III.

SEntentia lata in Chriſtum à concilio. *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua* (ritus erat deteſtantis blaſphemiam in Deum) *dicens, blaſphemavit.* Pronuntiat eum blaſphemum : probat autem ex facti evidentia : *quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam.* Rogat ergo ſententias : *quid vobis videtur* : *at illi reſpondentes dixerunt* : *Reus eſt mortis.* Si bone Jeſu! pro blaſphemo haberis, & condemnaris : & quæ major blaſphemia eſſe poteſt, quàm hæc iſtorum in te? Quid ibi ſenſit Chriſtus, deteſtabatur injuſtiſſimam ſententiam, & ſacrilegorum hominum impietatem : nam ſe eſſe Chriſtum per omne prædicationis ſuæ tempus ſufficienter comprobaverat : ſuſcepit tamen libenter, & pro ſalute omnium acceptavit iſtam contumeliam.

Caïphæ hypocriſis.

Chriſti humilitatis.

ME-

MEDITATIO XXX.

Illuditur, & exagitatur apud Caipham.

PUNCTUM PRIMUM.

Matt. 26. 66. UBi blasphemus & reus mortis proclamatus est à concilio, *tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Quinque insignes contumeliæ Christo factæ: 1. quod ab illis consputus est is, qui sputo suo dederat lumen cæcis, mutis vocem, surdis auditum: ea facies, quam Angeli venerantur, justi desiderant; *ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Et consputus est à vilissimis & improbissimis hominibus per summam contemptionem, ita ut oppleretur totus. Porro Agnus mansuetus faciem suam non avertebat ab increpantibus & conspuentibus: sed singulari modestia, & vultus serenitate excipiebat omnia. Fuit usitata Judæis contumelia: quin ex lege *spuebatur in faciem illius, qui non vellet suscitare nomen & familiam fratris* defuncti absque liberis. Et de sorore Moysis, quod murmurasset, scribitur: *spuisti in faciem ejus, & illa apparuit candens lepra, quasi nix.* Poteras, Domine, in illos spuere, ut efficerentur leprosi: at maluisti ipse fieri, ut nos à peccati lepra mundares, sicut leprosus & percus-

1. Contumelia exspuitio in faciem. *Ps.* 74. 4. *Deut.* 25. 9. *Num.* 12. 20.

cussus à Deo. Nec jus fuit spuendi in te, quasi nolles suscitare semen fratris; venisti enim reparaturus genus Adæ. Sed, an non spuunt in faciem tuam passim peccatores? an non peccata sunt tibi detestabiliora?

II. Quod faciem ejus velarunt, aliter quàm Moyses suam: is enim, ut audire illum possent Filij Israël loquentem; isti autem, ut illudant Christo protervius. Et quanto, quam Moysis, facies Christi lucentior: *qui est splendor Patris æterni, & figura substantiæ illius*: & quali putas operimento velarunt? vili haud dubiè, & fœdo. Velant Dei faciem, qui, ut liberiùs peccent, sibi persuadent illud: *nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Sed hoc non est velare oculos Dei, *qui ubique contemplatur bonos & malos.* sed est seipsos cœcos facere, dum ita æstimant. Velabo ego faciem Dei sicut Seraphim, submissè profitens, *habitare eum lucem inaccessibilem.*

II. Velatio faciei Christi.

Hebr. 1. 3.

Iob. 22. 14.

Prov. 15. 3.

1. *Tim.* 6. 16.

III. Quod *colaphis & alapis eum ceciderunt, & palmas in faciem ejus dederunt*: pugnis contuderunt caput, os, cervices, dorsum: ut livore, & tumore deformaretur: palmis autem, hoc est plana manu, sacras genas percusserunt, quod est etiam dedecorosius. Ipse autem implens consilium suum, *percutienti dexteram præbebat & sinistram.* Nec jam dicebat: *cur me cædis?* sed cæde, cupiens *saturari opprobrijs.* Porro cædebatur à multis, & certatim, impetúque maximo,

III. Percussio Christi & alapæ.

Luc. 6. 29.

Ioan. 18. 23.

Thren. 3. 30.

mo, quod, quasi ex zelo, contra blasphemum agerent: atque, ut gratificarentur suis dominis, quisque volebat eminere.

Pugno cædunt Christum, qui contracta manu per avaritiam de suo non juvant Christi pauperes, aut etiam affligunt: palma autem, qui effundunt omnia, ut ambitioni, voluptati, & vitijs serviant.

IV. Capillorum evulsio. *Isa.* 50.6 *Iud.* 16.4

IV. Quod barbam & capillos evulserint: quod, etsi Evangelistæ non exprimunt, significat tamen Isaias: *dedi genas meas vellentibus.* Barba Aaron unguento defluente ex capite delibuta est: & tua, sacerdos magne, discerpitur! Samson Nazaræus, Deóque consecratus, amore Dalilæ capillos perdidit: tu meliore amore impulsus finis te ignominiosè decalvari?

V. Irrisio Christi.

V. Quod verbis insultaverint, & prosciderint Christum: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* irrisoriè, Christum appellant, & signum petunt, quo se probet Christum, prodendo percussorem. At prodidit antea sæpè internas etiam cogitationes nostras.

Convitia innumera in Christũ.

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum; quot & qualia furor infernalis ministrabat. Ibi vetera in eum convitia renovata sunt, cùm Samaritanum, dæmoniacum, voracem, potatorem, amicum peccatorum, violatorem Sabbati, seductorem, blasphemum vocitabant. Ut verum esset, quod in persona Christi Job dixit: *aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam*: *Job* 16. 11.

satiati

satiati sunt pœnis meis. Et hæc omnia enarrant Evangelistæ tanquam ad ipsius Christi gloriam spectantia: nam verè in gloriam verterunt. Ita & nobis continget, si in hac vita socij fuerimus Christi passionum.

PUNCTUM II.

QVid nocte reliqua passus sit? Nam recedentibus ad quietem primoribus, manssit Christus arctissimè vinctus, & custoditus à ministris Pontificis & militibus, qui vices mutantes absque cessatione ulla Christum exagitarunt usque manè. Ille interea pernoctans erat in oratione Dei, palantes suos discipulos Patri commendans, & nostram omnium causam. Tota noctæ vinctus illuditur.

PUNCTUM III.

QVod Joannes (ut credi potest) nuntiaverit B. Matiæ, quomodo ageretur cum Filio, & doloris gladius pertransiverit animam ejus. *Magna est sicut mare contritio tua, quis medebitur tui?* illa tamen ad orationem confugiens, orabat, ut Filius: *si possibile est: veruntamen fiat voluntas tua.* Et credendum, fuisse illam divinitùs confortatam, confirmatséque socias Magdalenam, & alias. Dein legendis Prophetis, quæ de Christo erant, dedisse se: quartum consideratione *plorans ploravit in nocte, & lachryma ejus in maxillis ejus, nec erat qui consolaretur eam ex omnibus charis ejus.* B. Virginis compassio. *Thren.* 2. 13. *Thren.* 1. 2.

ME-

MEDITATIO XXXI.

Trahitur ad Pilatum. Iudas desperat.

PUNCTUM PRIMUM.

Fraudulenter interrogant Christũ.

ITerum manè sistitur in concilio Caïphæ. Expetiverat Christus illud manè, illam diem, qua compleret opus Redemptionis nostræ: Judæi autem, ut explerent cupiditatem, suámque crudelitatem exsaturarent. Iterùm quærunt: *si tu es Christus dic nobis*: fraudulenter: ut, si negaret, sibi esset contrarius: si confirmaret, damnaretur: alioqui ea interrogatio, veritatis indagandæ studio, non fuisset improbanda.

Detexit Christus malignitatem respondendo sic: *si dixero, non credetis mihi: si interrogavero, non respondebitis mihi: neque dimittetis.* Hoc tamen vobis affirmo: *ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.*

Sed voluerunt expressam confessionem elicere: unde ajunt: *Tu ergo es Filius Dei? qui ait. Vos dicitis quia ego sum.* At ego alia mente quæram ex illo: Tu ergo es Filius Dei, qui sic tractaris, qui ab impijs judicaris?

Itaque concluserunt: *quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus.*

PUNCTUM II.

Trahitur ad Pilatum

DEducitur ad præsidem Pilatum: videlicet, tradunt eum judicio seculari, ut atrociùs punia-

puniatur: disposuit autem id Deus, ut, qui pro Judæis & gentibus moriebatur, ab utrisque pateretur.

Ducebatur, uti alias, cum tumultu, & properanter: sed jam tantò ignominiosiùs, quòd clara luce, & maximo concursu hominum, qui tunc ob Pascha aderant plurimi, comitantibus ipsis sacerdotibus & senioribus, quorum aut horitate vulgus movebatur, ut insultarent liberiùs Christo, tanquam insigni malefactori, qui in tanto festo, sacerdotibus agentibus, ad tribunal raperetur.

PUNCTUM III.

DEsignatio Judæ. 1. tunc videns Judas, quòd Jesus damnatus esset in concilio Judæorum, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum & seniorum, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Ita fit, excæcat Diabolus hominem, ut peccet: ubi fecit, ponit ob oculos, ut desperet. Ita & Cain dicens: *major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Sed ego non sic, mi Deus, sciens, *quia voluntatis tuæ non est mors impij, sed ut convertatur à vijs suis.* 2. pœnitentia Judæ constitit suis partibus. Doluit, confessus est peccatum, restituit sacrilegum pretium; sed defuit spes divinæ misericordiæ. Nec videretur ritè confessus, ut David. cùm dixit: *Peccavi Domino:* unde statim audijt: *Dominus transtulit peccatum tuum.* 3. Responsio sacerdotum: *quid ad nos?*

Excæcatio Judæ. *Ezech.* 18. 23.

2. Imperfecta pœnitentia. *2. Reg.* 12. 13.

3.

Dura responsio: *quid ad nos? Matt. 27. 5. Act. 18.*

tu videris. Sic obstinati erant, & profligata conscientia. Dura responsio Judam in desperationem impulit: unde, *projectis argenteis, in templo abiens laqueo se suspendit, & crepuit medius, & diffusa sunt viscera ejus*; quippe expertia misericordiæ erga Magistrum. Excipiendus infirmus in spiritu lenitatis: quomodo excepisset Christus, si ad ipsum confugisset, uti filium prodigum. Quò te, Juda! tua cupiditas præcipitavit? illa ipsa pecunia, pro qua prodideras Magistrum, possessa excruciabat animam tuam, ut potius abjicienda tibi fuisset: sic expleta cupiditas est ipsa tortor peccantis.

PUNCTUM IV.

QVid de pretio factum? *Sacerdotes dixerunt, non licet eos mittere in corbonam* (arcam templi) *quia pretium sanguinis est.* valdè videlicet Religiosi! sed Deus ita significavit, pretium sui sanguinis non fore usui sacerdotibus illius templi, & sequacibus eorum impietatis. *Hebr. 13. 14.* *Emerunt autem ex illo agrum in sepulturam peregrinorum*: in signum, quòd æterna requies pretio Christi paratur peregrinis, qui *non habent hîc civitatem permanentem, sed futuram inquirunt.*

Notari etiam potest Christi amor peculiaris erga pauperes, in quorum voluit utilitatem cedere pretium sui sanguinis.

ME-

MEDITATIO XXXII.

Accusatur apud Pilatum.

PUNCTUM PRIMUM.

PRæsentatur Christus Pilato, & acerbè ab illo excipitur, quòd valdè scelestum esse oporteret, qui tali die, & tanto primorum, plebísque concursu sisteretur tribunali: ait ergo: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* sic tu traduceris, bone Jesu, sic contemptui haberis. *Matt.* 27. Acerbè excipitur à Pilato Christus.

Respondent superbè: *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sufficere volunt, quòd ut reum tradant, absque alia criminis discussione. Malefactor diceris Christe, qui bene omnibus facis, & fers humiliter. Feram & ego cùm reddetur malum pro bono. Superbia accusatorum.

PUNCTUM II.

PIlatus remittit eis judicium, sed recusant: proferunt autem tres calumnias accusatores. Recusant dicentes, *nobis non licet occidere quenquam*: lapidare poterant, sed volebant atrociùs mutilari. Accusationes fuerunt. 1. *hunc invenimus subvertentem gentem nostram*: si subvertere est ad pœnitentiam atque ad omnem virtutem inducere. Quin de Scribis, & Phariszis dicebat suis: *quæcunque dixerint vobis servate & facite*: adeò non subvertebat. 2. *& prohiben-* Accusationes calumniosæ. 1. *Matt.* 23. 2. 2.

hibentem tributa dari Cæsari : qui contrà jus-
Matt. 22. 21. Luc. 20. 25. ſerat : *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, & ipſe *tributum ſolvit* cum Petro. 3. *& dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe:* imo cùm *vellent Regem*
3. *facere*; *fugit.* Erat autem Rex, quia Chriſtus,
Ioan. 6. 15. ſed non terrenus. Potuit innocens Dominus facilè diluere : ſed tacuit. Pilatus de poſtrema accuſatione ipſum interrogavit : *Tu es Rex Iudæorum* ?

Reſponſio Chriſti. 1. 1. Reſpondet : *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, quale habet Cæſar, ac proinde, non eſt, quòd ſibi à me timeat. Confirmat autem, quia, *ſi eſſet ex hoc mundo*, haberet utique miniſtros, qui ipſum tuerentur : atque conſtat ipſum agere vitam humilem, & pauperem ſine miniſterio
2. & ſatellitio. 2. Colligit Pilatus : *Ergo Rex es tu?* quomodocunque tandem : cui Chriſtus : *Tu dicis, quia Rex ſum ego* : nec abnuo, ſed non talis. Mi Jeſu ! debebatur tibi, ut Rex eſſes ſuper omnes Reges, etiam temporaliter : at tu prætuliſti
3. humilitatem, quam ego imitarer. 3. Chriſtus ad amovendam omnem ſuſpicionem exponit inſtitutum ſuum ; *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Id egit docendo, & miraculis aſtruendo, necnon exemplis demonſtrando. Veritas ejus fuit abſque admixtione ullius falſitatis : teſtificatus eſt uſque ad mortem : nec in
4. 1. Ioan. 5. 6. eo ſuam gloriam, ſed Patris quæſivit. 4. Concludit Dominus : *omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam*, id eſt, recipit veritatem, cre-

den-

dendo & agendo quod doceo. Ex veritate esse, idem est, ac ex Deo esse, seu Filium Dei & veritatis. *Deus* enim *veritas est*: talis audit vocem veritatis, & exequitur. 5. Quærit Pilatus: *quid sit veritas*: sed responsum non expectat. Quæram ego ex te, Domine: *Ego*, inquit, *sum via, veritas, & vita*, & quonam modo? quia *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Hæc est via, & non alia ad salutem: hæc veritas prima, & fundamentum aliarum omnium, hæc vita æterna. Nam quod modò per fidem, postea revelata facie contemplabimur. Hujus summæ veritatis capax non extitit Pilatus. 5. *Ioan.* 14. 6. 17. 3.

PUNCTUM III.

PIlatus pronunciat Christum innocentem. *Nihil invenio causæ in hoc homine*: nam amota tam prudenter suspicione affectati regni, reliqua diluebantur.

Nihilominus instabant Sacerdotes accusantes eum in multis, quæ Jesus silentio diluebat, *ita ut miraretur Præses vehementer*, quod in summo periculo pro se non loqueretur, quando id etiam judex expetebat, volens ipsum liberare. *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me.* Quanta mansuetudo & patientia! quis contemptus mortis! *Pone, Domine? custodiam ori meo*: Discam silere, quæ est summa sapientia. *Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & fræ-* Silentium Christi. *Ps.* 38. 2. *Ps.* 140. 3. *Eccl.* 22.

nos ori tuo rectos, & attende ne labaris lingua. Aurum & argentum sunt virtutes tum affectûs, tum intellectûs : hæ omnes sunt necessariæ ad rectè loquendum : *Si quis in verbo, non offendit is perfectus est vir*, omni virtute ornatus. *Iac. 3. 2.*

MEDITATIO XXXIII.

Mittitur ad Herodem, à quo illusus remittitur ad Pilatum.

PUNCTUM PRIMUM.

Luc. 23. 25. VRgentibus Pharisæis quòd *commovisset universam Judæam, incipiens à Galilæa : indéque intelligens Pilatus, quòd Galilæus esset, & de Herodis potestate, remisit Christum ad Herodem, qui & ipse tunc erat Ierosolymis.* En, quomodo labores, & peregrinationes Christi, *Act. 10. 37.* *qui bene faciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, pertransierat Galilæam & Judæam*, pro seditiosissimo mortalium habetur. Et ecce, jam tertiò per plateas Jerusalem rapitur ad tribunalia, & tunc quidem ad Regis incestuosi, qui fratris viventis uxorem dixerat, & beatum *Joannem Baptistam decollaverat.* *Marc. 6. 17. 27.*

PUNCTUM II.

EXcipitur Christus ab Herode humaniter, spe videndi aliquod miraculum ab eo fieri : sed Christus detestatus est illius scelera : nec curiositati servire voluit, & optatam sibi mortem

tem noluit impedire. Imò *tacuit nihil respondens*, quamvis starent *sacerdotes & scribæ constanter accusantes eum*.

PUNCTUM III.

SPernit Christum Herodes cum exercitu suo, & *illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum, & facti sunt amici.* 1. Quòd non responderet quidquam, habitus est pro stolido, quodque ex stultitia faceret se Regem, quare *illusus est veste alba*, quæ Cæsares utebantur. Exagitatus etiam est dicterijs & pulsatus. Et erat is æterna sapientia: sic medebatur meæ superbiæ. Contingat mihi pro Christo ornari iisdem insignibus. 2. Qua irrisione per vias est reductus! *Deridetur Justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* 3. Aucta & renovata confusio apud Pilatum, cùm in ea veste comparuit, ministris quoque illius fabulam promoventibus. Ego autem affecto videri sapiens: *si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.* 4. Alba vestis innocentiam Christi designat, cui à mundo illuditur. Optem illam consequi, licet foris humilier & vexer, sicut Sponsa, quæ ait: *Nigra sum, sed formosa*: gloria ejus abintus, foris autem obscura & afflicta. 5. *Facti sunt amici* per hanc Christi vexationem: scilicet ejus passio unire debebat utrumque populum in unam Eccle-

Luc. 23. 11. 1. 2. *Iob.* 12. 5. 3. 1. *Cor.* 3. 18. 4. *Cant.* 1. 5. 5.

am, Judæos, & Gentiles. Nota etiam, quomodo valet ad conciliandos animos deferre alteri: nam eò quòd remisit quasi subditum ad Herodem, conciliati sunt: sed & in illis verificatur: *Astiterunt Reges terræ & Principes, convenerunt in unum adversus Dominum; & adversus Christum ejus*; sed *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Ps. 2. 2.

MEDITATIO XXXIV.

Christus Barrabæ postponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Componitur cũ Barraba.

CUm propter solennitatem Paschatis soleret populo donari unus ex vinctis ob aliquod maleficium, excogitavit Pilatus hac ratione se posse liberare Christum quem innocentem judicabat: quod ut certiùs obtineret, elegit perditissimum latronem, homicidij, & seditionis reum, quem cum Christo proponeret; fore evidens ut potius Christum, quam tam sceleratum hominem populus liberari peteret. Sed inprimis hæc ipsa comparatio Christi & latronis, ad insignem Christi ignominiam cedebat.

Barrabæ postponitur à Sacerdotibus.

Deinde, cùm populus proclivis esset ad id quod erat rationabilius, princeps Sacerdotum & seniores persuaserunt populis, ut *peterent Barrabam: Jesum verò perderent*, videlicet calumniosè contendendo, quod pejor, & perniciosior esset ipso latrone: Quod intuens Christus dole-

dolebat sic decipi populum simplicem. Tandem detestabilissimum est, quod cùm latro tot haberet patronos, Christus neminem. Qui proinde dicere Patri æterno potuit. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Ps. 9.14.

PUNCTUM II.

Populus petit Barrabã.

ACclamatio populi pro latrone: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.* Si proponi simul maximus fuit contemptus, quantus erit, fuisse ei prælatum facinorosum? Vere Jesu bone, dixeris: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Ps. 21.

Judicij perversitas.

En qualia sunt hominum judicia: & quis velit ab eis pendere, sive laudent, sive vituperent? bene est, quòd ab eis non pendet bonum nostrum, & salus: quare spernam illa, in utramvis partem sint, illud unum curans, qualis sim apud Deum.

Peccator Deo præfert Barrabam.

Huic perverso judicio simile est, quod peccator facit, cùm præfert creaturam Deo in quovis lethali peccato: nam in tentatione ei proponitur, utrum malit: ac ratio quidem suggerit pro Deo; sed mali instigatores, Diabolus & caro evincunt, ut præeligat brevem gustum infinito bono, cùm ipse est alioqui infinitis obstrictus debitis.

PUNCTUM III.

Pilatus pusillanimis.

PIlati responsio: *Quid igitur faciam de Jesu?* obstupuit Pilatus, quod optassent latronem, posthabito homine innocente. Malè autem in-

terrogat ipsos; sed debuit pro officio Christum innocentem absolvere, quod non est ausus homo pusillanimis : Quid autem Judæi respondent ? *dicunt omnes : crucifige, crucifige.* Rabie acti ingeminant, & poscunt mortis genus crudelissimum. Peccata idem clamant, ipsa te crucifigunt: sed bene est, quòd ipsamet crucifigantur tecum, sicut dicit Apostolus tuus, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* O destruatur in me, ne *ultra serviam peccato, rursum crucifigens mihimet ipsi Filium Dei* !

Peccata clamant *crucifige* Rom. 6. 6. Heb. 6. 6.

MEDITATIO XXXV.

Christus flagellatur.

PUNCTUM PRIMUM.

Pilatus addixit Christum flagellationi, quamvis innocentem agnosceret: ut sic satisfaceret furori Judæorum, eúmque à morte liberaret: nam ait: *Nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, & emendatum dimittam.* Quod si id non succederet, flagellatio illa esset pro ea, quæ ex more Romanorum infligebatur crucifigendis : quamvis sunt, qui colligant, secundò fuisse flagellatum, cùm damnatus jam esse mortis.

Flagellatio Christi. Luc. 3. 16. 22.

Iniqua hæc fuit sententia, cùm sciret esse innocentem ; ignominiosa, quòd supplicium servorum ; crudelis, eò magis, quòd credibile est Pila-

Pilatum jussisse ita Christum tractari, ut miseratione illius immania corda Judæorum flecterentur. Acceptavit Jesus patienter, nihil pro se allegans, aitque: *Ego autem in flagella paratus sum; & qua non rapui, exsolvebam.* *Ps. 27. 28. Ps. 68. 5.*

PUNCTUM II.

CHristus nudatur ad flagella, & ut aliqui putant, brachijs in altum porrectis, ligatur ad columnam: quanta illa confusio! ut mihi stolam gloriæ promereatur, qua ipsa ego me sponte expoliavi sæpè, & quam abjeci, sine pudore. Vestibus nudatur.

PUNCTUM III.

FLagellatur crudeliter: id æstimandum. 1. ab instrumentis quæ feruntur fuisse triplicia, virgæ spinosæ, nervi durati, & catenæ ferreæ. 2. à complexione corporis delicata: & ex priore sudore sanguineo, totiúsque noctis exagitatione, valdè afflictis viribus. 3. ab immanitate tortorum, urgente etiam jussione præsidis, & diaboli suggestione, quo ad impatientiam induceretur, & succedentibus sibi percussoribus. 4. à multitudine plagarum quæ fuerunt innumeræ haud servata lege Moysis, quæ infra quadraginta esse jubebat. 1. 2. 3. 4. *Deut.* 25. 3.

Itaque *à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas, non species, neque decor: vidimus eum, & non erat aspectus, & nos putabamus* *Isa.* 1. 6. *Isa.* 53.

mus eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum : excipiebat autem ictus summa patientia & absque ullo turbati animi signo, adeò ut quidam ethnicus scriptor de eo sic locutus fuerit ; ô virum infractum animo, qui nec precem, nec lachrymam fudit ! & Sanctus Petrus *qui cùm pateretur, non comminabatur.* Et ego corpori meo indulgebo?

v. 53. 2. Patientia Christi summa.

1. Pet. 2. 23.

MEDITATIO XXXVI.

Christus coronatur spinis.

PUNCTUM PRIMUM.

Coronatio Christi.

QVòd milites novum excogitaverint inventum probrosè & crudeliter excruciandi Christum. Non erat amori ejus satis communia pati : Sed studium quo mortales excogitant semper alios modos indulgendi cupiditatibus suis, debuit extraordinarijs Christi supplicijs coargui, & reprimi. Ad hæc milites illi, qui Christum flagellarant, ad spectaculum convocant reliquam cohortem, ut ludibrium fiat insignius.

PUNCTUM II.

Nudatus denuo.

EXuunt *proprijs vestibus, & induunt clamydem coccineam.* Iterum igitur nudatus exhibetur in tanta militum corona, & quia plagis adhæserat tunica interior, revulsa est cum ingenti dolore, præsertim cùm violentè detrahere-

heretur. Injiciunt Christo vestem purpuream, uti regiam, ut quod honori summo alijs esse solet, idipsum Christo esset despectui. En, ut sponsus tuus, ô anima, candidus est & rubicundus, ab Herode, prius alba, nunc à Pilato rubicunda veste circumdatus. Peccata nostra sunt hæc purpura Christi humeris imposita. Purpura induitur

PUNCTUM III.

Plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput ejus: Coronari solebant reges triumphantes, dij. Illuditur ergo Christo ut vano Regi, qui paulo antè more triumphantis intraverat Ierosolymam, & qui se filium Dei faceret. Egredere anima, & *vide Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua* synagoga, ex qua est secundùm carnem. Siccine tamen ille, *gloria & honore coronatus*? Nec ad contumeliam tantùm coronatur sic, sed etiam ad immanem cruciatum, spinis fodicantibus sacrum caput, & cruoris rivos elicientibus, qui largiter fluentes, venerandum vultum, os, oculos oppleverunt. Apage superbia, apage voluptas, dum ita Rex meus luditur, & configitur spinis. Impressio coronæ. *Cant.* 3. 11. *Ps.* 83. 6.

PUNCTUM IV.

Arundinem in manus dederunt pro sceptro, notantes ejus regnum esse inane & ludicrum. Accipit tenétque fortiter irrisionis insigne. Terreni Reges ex auro solido conficiunt Arundinis gestamen.

sceptra

sceptra, cùm contra illorum regnum sit inane & fluxum, tanquam baculus arundineus, qui frangitur, si innitaris, & manum perforat. Addunt ad insignia regia ludicram adorationem: nam genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: *Ave Rex Judæorum.* Per lusum vos adoratis: at Angeli seriò; salutatis irrisoriè, quem laudant Angeli atque Archangeli. Salutavit & Judas Christum, sed corde ficto, cùm mortem ei moliretur, quem salutabat: isti autem palam irridentes salutando. Sic inter peccatores sunt alij simulati, alij aperti. Adorant uno genu, ut plerique mortalium, ex parte tantùm Deo servientes, non toto corde, mente, & viribus.

Illusoria adoratio

PUNCTUM V.

Percussio alapæ.

QVem ut Regem irriserant, tanquam vile mancipium atrociter tractant: nam *accipiunt arundinem, & percutiunt caput ejus, & alapas dant, & expuunt in eum.* Similia in domo Caïphæ perpessus fuerat: omnia injuriosissima. Sed quod arundine tundebatur caput, etiam fuit acerbissimum, sentibus coronæ sic altius infixis, & fœda flegmatum colluvies horrorem & nauseam creabat. Ferebat autem omnia humiliter, & patienter, nemine ex tot circumstantibus compatiente, sed omnibus ex spectaculo miserabili voluptatem capientibus, risúmque captantibus.

ME-

MEDITATIO XXXVII.

Producitur ad populum coronatus Rex.

PUNCTUM PRIMUM.

PRoducitur ad populum. Sic fuerat deformatus, ut putaret Pilatus mitigari illius aspectu posse rabiem Judæorum: quare ex editiore loco eum ostentat. *Exivit ergo Jesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum.* Qualis confusio sic inimicis ostentari! qua id demissione tulit mitis Jesus! O quàm alius in monte Thabor apparuisti! *Io. 19. 5.*

Ait ergo illis: *Ecce homo,* qui sic est deformatus, ut figuram hominis non habeat, & est tamen homo, & homo illle, quem vos ambitûs accusastis: O speciose præ filijs hominum! ubi species, ubi decor? O velim sic exterius deformari, ut reformer interius! Ecce homo. Varia consideratio hujus dicti.

Deinde cogitabo quòd Pater æternus per Pilatum sic nobis exhibeat Filium suum, dicátque: *Ecce homo.* Homo quidem, sed & Deus, & Angelorum Dominus, & Redemptor tuus, qui huc se abjecit propter te. Vicissim quæram: An ipse est, cui vicissim testimonium in monte dedisti, quòd sit Filius tuus? ubi ergo nubes lucida? ubi testes Moyses, & Elias? ubi reliqua? *Protector noster aspice, Deus, & respice in faciem Christi tui.* *Ps. 38. 10.*

PUN-

PUNCTUM II.

Crudelitas Judæorũ.

JUdæi adeò non moti sunt illa Christi specie, ut exarserint magis Pontifices, & ministri clamantes : *Crucifige, Crucifige eum.* Perge, comple quod cœpisti. Quid ibi sensit Christus, visâ pertinaciâ ingrati populi, in quem tot contulerat beneficia, & quòd idcirco deserendi essent à Deo ? Tu contrà, acue studium, & fervorem placendi ipsi, in quandam pro eâ injuriâ compensationem. Pilatus ipse commotus tantâ pertinaciâ, à se removet judicium, dicens : *Accipite eum vos & crucifigite. Ego enim non invenio in eo causam.*

Responderunt Judæi : *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et prætextu legis accusa-
Phil. 2.6 tur blasphemiæ, & reus mortis agitur, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* : sic filij sæculi, alioqui divinæ legis contemptores, prætexere zelum legis solent, quando ad suas cupiditates abuti illa volunt.

PUNCTUM III.

EX accusatione Judæorum, quòd Filium Dei se faceret, timere cœpit Pilatus tanto magis ; nam mores Christi, & insita majestas suf-
Pilati superbia fragabantur tali existimationi. Quare sine arbitris eum interrogat, *unde es tu* ? Cui cùm Jesus nihil responderet, fastu tumidus objectat, *mihi non loqueris* ? & potestatem suam jactat,

qua

qua possit Christum vel crucifigere, vel dimittere pro libito. Tunc Jesus, non jam pro se dicturus, sed pro Patris æterni gloria respondit: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de super: propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Cordi fuit Christo, ut constaret, voluntarium esse sacrificium, ex ordinatione divina.

PUNCTUM IV.

QVærebat adhuc Pilatus dimittere Jesum. Judæi autem *clamabant, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari*: quibus conterritus *adduxit foras Jesum, & sedens pro tribunali dixit Judæis, Ecce Rex vester*: En qualis Rex, à quo scilicet metuere Romani debeant: vel si instinctu divino dictum accipiatur; En, ille Rex vobis expectatus, Redemptor Israël. Inspiciam ego ipsum, illis repellentibus: nam clamabant denuo: *tolle, tolle, crucifige eum.* *Ioan.* 19. 12.

PUNCTUM V.

INstat adhuc Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* responderunt Pontifices, *non habemus Regem nisi Cæsarem.* Quid ita? an non Christum expectatis? & quomodo solum Cæsarem, qui vos servitute premit, & quem pejùs angue odistis? sic, ut odium suum expleant in Christum, quidvis cæci agunt. Veniet in vos Cæsar, ac Deo ordinante, pœnas à vobis exiget abnegati Rabies Judæorũ

negati Christi Regis. O quoties ego posthabeo Christum mundo, variisque respectibus à vero abducor! Et en, ut est cæca passio animi, cæca invidia, & odium in aliquem semel conceptum.

MEDITATIO XXXVIII.

Damnatur ad Crucem.

PUNCTUM PRIMUM.

Matt. 27. 19. Visio uxoris Pilati à quo causata.

UXor Pilati nunciat marito sedenti pro tribunali. *Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum per visum propter eum*: id potuit accidere à malo genio, qui, visa Christi virtute, & patientiâ inter tot acerbitates, veritus sit ne regno suo malè cederet illius mors. Tantùm valet eximia virtus, etiam apud hostem & improbum. Vel etiam à bono Angelo suggerente, judicium illud fore marito eius exitiale. Nempe voluit Deus sic etiam testatam reddere innocentiam in ipso damnationis articulo.

PUNCTUM II.

Matt. 27.

VIdens *Pilatus quia nihil proficeret* suadendo, *lavit manus, dicens*: *innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis*. Præambulum sententiæ in Christum fuit, profiteri ipsum justum. Frustra autem in alios crimen rejicit.

Sanguis Christi

Respondit universus populus, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. ô dira in seipsos im-

imprecatio, quæ & apprehendit illos! Ego aliter mihi imprecabor illum sanguinem, ut lavet, & sanctificet me. Lavit Pilatus foris manus, non intùs conscientiam: idque fit, cùm prætexitur malè factis excusatio apud homines. Ego in primis cor habere mundum velim.

aliter super malos quàm bonos.

PUNCTUM III.

Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Quanta injustitia reclamante conscientiâ! *Et Jesum tradidit voluntati illorum, ut crucifigeretur*: nam hoc petiverant. Quanta crudelitas! qui plausus furentium consecuti! Christus autem libens sententiam acceptavit, uti decretam in tribunali divino pro hominum salute. Ubi Matri renunciata est, obriguit: sed & acquievit divinæ dispositioni.

Mortis sententia injustissima.

MEDITATIO XXXIX.

Bajulatio Crucis, & iter ad Calvariam.

PUNCTUM PRIMUM.

EXuitur chlamyde, & proprijs induitur vestimentis, crúxque portanda ei porrigitur. Delusus fuerat Rex: jam ut latro detrahitur purpura; sed non corona, ne cruciatu levaretur: & significatur ejus regnum permanens: pro sceptro autem arundineo trabs ei traditur. Ad

Exuitus chlamyde.

Crux portanda cum Christo.

portandam crucem debeo exui inordinatis affectibus, & Christi moribus indui, quibus agnoscar discipulus ejus. Cùm porrigeretur Christo crux, haud dubiè intimo corde salutavit verius quàm Andreas, tale quid dicens : Salve crux pretiosa, diu desiderata, sollicitè amata, & aliquando concupiscenti animo præparata ! Amplexum & osculum dat, sacríque imponit humeris. O, sic ego oblatam crucem amplectar !

Illuditur à latronibus.

Ad cumulum ignominiæ duo simul latrones educuntur, qui oblatas cruces aversati sunt cùm eas meriti fuissent. Christus autem innocens suam pro alienis peccatis lubens tulit.

PUNCTUM II.

Bajulatio crucis.

PRodit inter duos latrones, *bajulans sibi crucem* per plateas Jerusalem, præcone proclamante supplicij merita. Sustinetis hoc Angeli, & tu Pater æterne ! videlicet, ut præfiguravit Abraham, ligna filio tuo Isaac imponis : tu fers ignem & gladium, ignem charitatis: qua *sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares* ; gladium autem justitiæ, quâ pœnas exigis nostrorum scelerum ab immaculato Agno. Adure, ô Domine, isto igne cor meum.

Figura in Isaac.

Ioa.3.16

Succumbit crucis & peccatorũ ponderi.

Succumbebant gravi ponderi delicata membra, exhaustáque tormentis : cespitabat Jesus, impingebat, cadebat ; & recrudescentibus plagis, rigabat cruore vias. O Angeli, cur non

sublevatis ? O si potuissem ego ! Et an non pretiosum sanguinem colligitis ? imo non peribat ex eo quidquam.

Porrò gravabant Jesum multò magis peccata nostra : *Omnes enim quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum : principatus ejus super humerum ejus.* *Isa.* 53. 6.

PUNCTUM III.

CRux transfertur in Simonem Cyrenensem. Crucem ferenti Christo petulanter insultabant ; at quòd deficeret sub pondere, veriti Sacerdotes ne vita destitueretur, aut nimis serò ad locum supplicij veniret, pro desiderio, quo tenebantur ipsum crucifigendi, substituerunt alium. Confidam ego de divina bonitate, quod opportunè me sublevabit in cruce ferenda. Potuit Christus sibimet addere vires ad ferendum, sed noluit uti miraculo : ut ita etiam significaret quod crux eius foret etiam alijs communicanda : nam & invitaverat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Suam, inquit : nam propria est, quòd viribus cujusque accommodata ; & Christi est, quia ab illo, & ad illius imitationem, & ex ipsius amore.

Cur crucem alteri permittit imponi ?

Luc. 9. 23.

Cogi debuit Simeon ad portandum : nam Judæi pro maledicto habebant vel tangere : quia in lege vocatur *maledictus homo, qui pendet in ligno.* Milites gentiles probro ducebant,

Cogitur Simeon. *Deut.* 21. 23.

discipuli & amici non aderant, vel non audebant se ingerere.

Qui crucem detractant 1. 2. 3. *Phil.* 3. 18.

Sic crucem detrectant. 1. infideles, qui ejus virtutem non agnoscunt. 2. mundani & ambitiosi, qui dedecori habent. 3. sensuales, quòd carni aversetur. Flebat Paulus, *multos esse inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum.*

Non coactè, sed sponte amplexanda crux.

Coactè omnes portant, quatenus natura abhorret. Quo ad voluntatem autem, quidam coactè, quia planè refugiunt, & impositam impatienter ferunt alij, quia non sponte suscipiunt; sed visa tamen necessitate, tolerant pacatè, ut Simeon iste; alij denique obvijs manibus occurrunt illi, & gaudent. Ex quibusnam tu es? stude ut sis ex postremis.

PUNCTUM IV.

Portans crucem sit Simeon.

CIrca substitutum in ferenda cruce Christi considerandum quod vocatur *Simeon*, id est obediens: quæ virtus vincit repugnantiam voluntatis ad tolerandam crucem. Et eadem sublevat Christum, & qui ejus loco sunt Superiores, ut cum gaudio, & non gementes præsint. Christi obedientia usque ad mortem crucis commendatur.

1. Obediēs

2. Peregrinus.

2. Simeon iste peregrinus erat, & ex villa veniens Ierosolymam. Sic oportet esse peregrinos, & tendere in cælestem Ierusalem, quibus occurret Christus, ut ab eo crucem accipiant. 3. labor Simeonis fuit brevis, me-

memoria huc usque glorioſa, erítque. Ita continget nobis.

PUNCTUM V.

ALloquitur mulieres: *ſequebatur turba multa*; alij, ut affigerent cruci; alij, ut fruerentur ſpectaculo, ut ſacerdotes; alij curioſitatis causâ; alij commiſeratione quadam; nullus, ut juvaret, aut cum eo moreretur. Alloquitur mulieres flentes ipſum: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*: non prohibet lachrymas commiſerationis; ſed præfert compunctionis, quibus delentur peccata tum propria, tum aliena: indicat etiam luctuoſiſſimas pœnas, quæ, ob crucifixum Dominum, conſecutæ erant gentem Judæorum. Rationem autem reddit: *nam ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* ſi tam ſpecioſa & fructuoſa arbor ob alienam culpam ſic exſcinditur, quid ſupplicij manet peccatores, quaſi inutilia ligna, & ſolùm igni apta? Diverſitas ſequentium Chriſtum.

PUNCTUM VI.

BEata Virgo admonita de condemnatione Filij, occurrit eunti, viſáque à Filio, ſe mutuo aſpectu convulnerarunt. Igitur relicta civitate, ad Calvariæ montem pervenit: utique relictâ, quæ ob infidelitatem abjicienda erat, fructúque mortis Chriſti privanda. Occurrit B. Virgo

MEDITATIO XL.

De loco & tempore crucifixionis, de oblato felle, ac denudatione.

PUNCTUM PRIMUM.

I. Elegit locum apertum

DE loco,& tempore mortis Dominicæ. Locus fuit mons Calvariæ. In aperto voluit mori, ut pateret omnibus,qui pro omnibus moriebatur : & in infami ſupplicij loco, ad majorem ignominiam: & in Calvariæ loco, ad horrorem, quod ibi reorum calvariæ congeſtæ eſſent, atque ut ſignificaret ſuâ morte ſe vivificaturum defunctorum oſſa.

II. Tempus meridianum.

Tempus elegit meridianum, ut confuſio eſſet major,in clara luce; &,ut intelligeretur ſummus ardor charitatis, quâ ſe offerebat in holocauſtum, & in die Paſchatis, quando conveniebat Ieroſolymam innumerabilis multitudo. Nativitati autem elegit noctem mediam, & locum ignobilem, & gloriam ſuam occultaret.

PUNCTUM II.

Felle potatur & cur.

POtatur vino felle mixto, cùm alijs ad ſolatium præberi potus ſoleret, & ſic inventus modus cruciandi ipſum, etiam intus. Diſcam ferre ingrata palato : & quod, pro levamine, inferatur mihi moleſtia. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Nos comedimus uvam acerbam : & dentes tui, ô Domine, obſtupuerunt.* Opera ex ſe bona, at malâ

Pſ. 60. 22. *Ier.* 31. 29. *Ezech.* 18. 2.

malâ intentione, alijsve circumstantijs infecta, verè sunt vinum felle mixtum: Quàm rarò nostræ actiones puræ sunt absque imperfectionibus? contrà, nobis propinat Christus vinum meraciſſimum, corpus, & sanguinem suum, & liquidiſſimas consolationes.

PUNCTUM III.

Ultimò vestibus nudatur & quare.

DEnuo exuitur vestibus, usque ad nudum, in oculis tantæ multitudinis, & petulantium militum, atque irrisorum: fert patienter ignominiam hanc peccatis nostris debitam, præbet exemplum nuditatis Evangelicæ: docet ferre defectus rerum. Hac sua nuditate tegit nuditatem primi Adæ, comparans illi stolam gloriæ. Tanquam alter Noë, meliore vino inebriatus, vino charitatis, à suo populo, quasi filio ludibrio habetur. Nudatio hæc fuit etiam acerbiſſima, quod interior tunica carni adhæresceret conciſæ vulneribus, quæ refricari necesse fuit, & alicubi pellem etiam à carne detrahi.

MEDITATIO XLI.

Christus Cruci affigitur.

PUNCTUM PRIMUM.

Christus extendit se obedienter super crucem.

EXtenditur super lignum Crucis, ad mandatum tortorum: obedienter se locat super crucem, extendítque sacras manus, pro eo, quòd Adam extendit manus ad pomum arboris

vetitæ. Extendo ego manus meas ad mandata tua, Domine, & configi cruci malim, quam ab eis recedere.

Gratias agit Patri.

Sic extensus, levatísque in cœlum oculis gratias agit Patri, quod tempus adduxerit perficiendi sacrificium: tum offert se pro salute mundi in odorem suavitatis. Ita Isaac colligatus super struem lignorum, expectabat ictum paternæ manus, ut modo Christus, impiorum carnificum. Ast ibi Abraham cohibitus est ab Angelo; hîc æternus Pater non cohibet tortores: ibi satis fuit Deo promptitudo voluntatis; hîc autem consummata obedientia postulatur.

PUNCTUM II.

Transfixio manuum & pedum.

CLavis configitur: dolor acerrimus in corpore delicato, & partibus tenerrimis, & nervosis. Dein verò, quod, manu unâ confixâ, nervi contracti sunt, oportuit vi maxima corpus distendere, quoad foramen in cruce factum manus altera pertingeret: quo facto luxata sunt membra cum incredibili cruciatu: quo spectat: *foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*: nam in exhausto corpore per distensionem illam ossa singula discerni poterant. O verè *virum dolorum*! *O manus, in quibus abscondita est fortitudo Dei!* O Jesu, *quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* quis ausus tantum facinus? Ego: perversa mea opera foderunt manus tuas, & inordinati affectus tuos pedes perforant.

Ps. 21. 17.

Isa. 53 3 *Haba.* 3. 4. *Zach.* 13. 6.

Con-

Convulsio ossium in mystico Christi corpore efficitur per animorum dissensionem : absit à nobis. O, si dinumerare mihi liceat omnia ossa tua, Domine ! si internas tuas virtutes illuminatis oculis aspicere, ad imitandum ; quid retribuam Domino vicissim ? *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis est tibi* ? Vires impendam omnes, ut laudem te & uni tibi serviam, quia tu solus es. Noli, ô homo! obliviscì Matris, cujus cor auditi malleorum crudeles ictus penitus transverberarunt. *Ps.* 34. 10.

PUNCTUM III.

Elevatio Christi. 1. Dolorosa.

ELevatur Crux in altum, & impetu in paratam fossam demittitur : res doloris plena; dum sic manus pedésque lacerantur, unde quatuor rivi sanguinis tanquam totidem ex paradiso flumina dimanant, ad irrigandam universam faciem terræ, nec habet ubi caput suum reclinet: nam si ad lignum, spinæ altius infigebantur.

2. Ignominiosa.

In elevatione Crucis factus est omnibus conspicuus, cum confusione maxima, & plausum dederunt inimici cum ingenti clamore & irrisione, gratulantes sibi. At pias mulieres, & si qui aderant ex amicis, ac, imprimis Matrem, quanto aliter affecit miserabile spectaculum ! Si amici Jobi, viso illo, ita obstupuerunt, quanto major hic, & quanto habitus indignius ! & hæc patitur tui causâ.

ME-

MEDITATIO XLII.

Mysteria in Christo crucifixo.

PUNCTUM PRIMUM.

Quis crucifixus? I. Deus.

CHristum pendentem considerabo ut Deum: quare sub cruce positus, ab ea in cœlum oculos mentis attollam, & eundem illum in cœlo Empyreo tanquam in throno sedentem conspiciam: *cujus cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum ejus.* Et hic, *qui ascendit super Cherubim, & ambulat super pennas ventorum, quique appendit tribus digitis molem terræ*: hic tribus clavis trabi affixus ipse pendet, etsi non tam ferreis illis, quam in corporeis alijs, amore in nos, obedientia erga Patrem, & zelo gloriæ illius. O, his configar ego etiam cruci! & Trisagion illud in actionem gratiarum pro tribus clavis canam, *Sanctus, sanctus, sanctus,* velans interim alis meis, ut Seraphim, faciem, & pedes Christi, ac profitens incomprehensibilem ejus esse tum majestatem gloriæ, tum humilitatem crucis.

Is. 66. 1. *Ps.* 17. 11 *Isa.* 41. 13.

PUNCTUM II.

II. Sacerdos. *Heb.* 6. 20. 1. *Pet.* 5. 4. 6. 2. 25. Sacrificij virtus.

COnsiderabo in cruce Christum tanquam *Sacerdotem magnum, Principem Pastorum, & Episcpum animarum nostrarum*: offerentem non sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed proprium, eúmque totum, in holocaustum suavissimum. Cujus tanta est virtus, ut rigo-

rigore justitiæ valeat ad satisfaciendum pro omnibus, quamvis infinitorum hominum, vel graviſſimis peccatis, & quod offerens ſit ipſe Filius Dei; unde illius paſſiones vim accipiunt infinitam, tam merendi, quàm ſatisfaciendi.

Habet Sacerdos iſte inſignia ſua: pro tiara coronam ſpineam: pro virga paſtorali crucem (quamquam hæc etiam altaris vices ſubit) pro annulis clavos: pro veſte ſacerdotali carnem variè conciſam, & ſanguine purpuratam. Offeram ego viciſſim aliquid, *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*: offeram & ſacrificium laudis. *Pſ.* 50. 19.

PUNCTUM III.

COnſiderabo ut doctorem veritatis nobis à Deo datum, qui cùm per omnem vitam verbo & exemplo docuiſſet, ſub finem, ex cruce, quaſi ex cathedra, veluti compendio, expoſuit totius doctrinæ ſummam. Docuerat antea pluribus, qui ſint beati verè habendi, earúmque beatitudinum paradigma ſeipſum in cruce exhibuit. Ut maximè quadret illud: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Et illud: *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* III. Doctor. *Exod.* 25. 40. *1. Cor.* 2. 2.

PUNCTUM IV.

COnſiderabo ut ducem, ac bellatorem fortiſſimum, qui in monte Calvariæ, tanquam de- Bellator fortiſſimus.

destinato pugnæ loco, tartareas potestates devicit, eásque in suo corpore triumphavit. Ipsius
Gen. 3. 15. imprimis serpentis *caput contrivit* : qui primis hominibus in fraudem inductis, originale peccatum introduxit mundum, & per peccatum, mortem : ex quo peccato septem alia tanquam capita pullularunt : quod monstrum est, sicut
Apoc. 12. 3. 9. *Draco ille rufus* in Apocalypsi *habens capita septem* : atque hunc etiam per crucem prostravit, in qua justificamur à peccatis. *Virga* crucis
Exod. 7. 17. *devoravit virgas* Pharaonis, id est, omnes diaboli conatus eludendo, ut homines tandem à servitute illius vindicaret.

Confracta est testa in manibus Gedeonis,
Iud. 7. 17. ut inclusa *lux* emicans perstringeret ac *sterneret Madianitas*. Ita passo Christo in carne, Divinitatis in ea habitantis infinita vis foras exeruit sese, omnésque invisibiles adversarios, peccatum, mundúmque debellavit.

MEDITATIO XLIII.

De Titulo Crucis.

PUNCTUM PRIMUM.

Marc. 15. 36. VErba tituli, in quo, ut ait Marcus, continebatur caussa ejus, id est, Christi, ob quam crucifixus fuit.

Luc. 2. 21. JESUS. Hæc prima caussa mortis, ut, juxta nomen suum, salvaret nos in sanguine suo. Unde & hoc nomen ipsi est impositum, cum effusio-

fusione sanguinis in circumcisione. Nunc autem superponitur cruci, supra caput ejus, tanquam jam consummata salvatione per totius sanguinis effusionem, qui largiter fluebat ex perforatis membris. *Oleum effusum nomen tuum:* sanas enim vulnera nostra sanguine tuo effuso, tanquam oleo salubertimo. Esto mihi JESUS, ô Domine, & salva me: esto oleum & medicamentum. *Cant.* 1. 2.

NAZARENUS. Id est, floridus. Secunda causa, ut in arbore crucis positus produceret flores pulcherrimos, & suavissimos excellentium virtutum. Verè, Jesu, dicere potes: Lectulus noster floridus: is est crux.

Significat etiam sanctum: quo significatur, hunc, qui crucifixus est, non ob sua peccata pati, sed propter aliena: sicut ait Isaïas: *Justificabit ipse servus meus justus multos, & iniquitates eorum portabit.* *Is.* 53. 11

Ergo: *sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo. Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus,* fructus salutis ex floribus crucis provenientes. *Cant.* 2. 3. *c.* 7. 8.

REX. Hæc tertia causa ex parte Judæorum, cur sit crucifixus, quod se Regem faceret, ut illi interpretabantur, temporalem: at verè Rex erat, sed cælestis, cujus Regnum in cruce fundatum est. Quia *Dominus regnavit à ligno:* Si conregnare volo, crucifigi simul debeo. *Ps.* 95. 10.

JUDÆORUM: quantumvis illi nolint: nam

Ioan. 1. 11. nam *sui eum non receperunt* : est autem constitutus à Patre, *Rex super Sion montem sanctum* *Ps.* 2. 6. *ejus, prædicans præceptum ejus.* Porro regnat si minùs super Judæos carnales, certè super spirituales, qui confitentur, & dant gloriam illi, quæ est notio vocabuli.

Scriptus erat titulus literis Hebraicis, Græcis, & Latinis : quo significabatur amplitudo regni illius super omnes gentes , ut sicut ait *Phil.* 2. 11. Paulus : *omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

PUNCTUM II.

Ioan. 19. 20. IUdæi contenderunt emendare titulum, petierúntque à Pilato, ut non diceretur *Rex*: sed quòd se *Regem fecisset.*

Diversitas legentiũ. Titulum hunc legerunt triplices homines. 1. Inimici Judæi, qui non intelligentes, voluerunt corrigere. Tales sunt hæretici sacras Scripturas pravis glossis corrumpentes. 2. Curiosi & obiter legentes : qui nec satis capiebant, nec curabant de sensu. Tales sunt fideles, qui Scripturam legunt per transennam, unde non referunt fructum. 3. Amici, ut B. Virgo imprimis, & discipuli, cum pio affectu & studio. Tales fiunt participes latentium mysteriorum.

1. 2. 3.

PUN-

PUNCTUM III.

PIlatus recusat mutare titulum, dicens: *Quod scripsi, scripsi.* Inspiratum hoc responsum à Deo, quo sancitur verum esse titulum, quem nulla delebit potestas, Regnúmque Christi esse æternum. Imitabor hanc constantiam in bonis propositis, & similiter respondebo mundo, carni, & diabolo aliud suadentibus.

Tituli veritas & firmitas.

MEDITATIO XLIV.

Partitio vestium, & blasphemiæ in Cruci affixum.

PUNCTUM PRIMUM.

PArtiuntur vestes in oculis ipsius Christi, & cum irrisione, & eas vestes, unde *virtus exibat & sanabat omnes, qui illas tangerent.* Abdicavit se Christus ipsis vestibus, & jus in miseros crucifixores transtulit, ad exemplum perfectæ paupertatis. Liberalitas etiam fuit, quòd se totum & sua dedit, usque ad vestes, quæ in quatuor dividuntur partes, quod ex omni mundi plaga ad Christum venientes stolam gratiæ accipere valent.

Luc. 6. 19.

Paupertatis veræ exẽplum.

PUNCTUM II.

DE tunicâ sortiuntur, ne dividatur, erat enim *inconsutilis desuper contexta per totum,* & quidem à Christi Matre, quæ ut tinctam

Ioan. 19 23.

sanguine Filij in manus talium cedere conspexit, indoluit vehementer. Hæc, inquit, tunica filij mei est, *fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.*

Gen. 37. 33.

Tunicæ integritas quid notat.

Ea vestis significavit sacram Christi humanitatem, in utero Virginis, operante Spiritu sancto, indissolubiliter contextam, nefas enim Christum solvere, & humanitatem à Deitate sejungere, cùm sit verus Deus, & homo.

Significat etiam unitatem Ecclesiæ indissolubilem; quæ est vestis Christi: & quia vestis fuit duplex, exterior; & interior: illa est rituum externorum communicatio, hæc autem charitatis, atque internorum donorum communio. Væ qui hanc vestem dividit!

PUNCTUM III.

Matt. 27. 36.

SEdentes *milites servabant eum.* Id petierunt Judæi, quoad usque extinctum viderent, ne fortè ab aliquo deponeretur, aut solatio aliquo levaretur. Interea etiam subsannabant illum, & contumelijs appetebant.

PUNCTUM IV.

Luc. 25. 37. Matt. 27. 41.

VAriè blasphematur Christus in cruce: *Prætereuntes movebant capita sua dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud! salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.* Imò idcirco manebit, ut salvet multos. Diabolus qui aliàs suggessit, mitte te deorsum: nunc peristos, *descende de cruce.*

I. Prætereuntium insultationes.

ce. *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labijs & moverunt caput, aperuerunt super me os suum. Et plauserunt super me manibus omnes transeuntes per viam sibilaverunt ore suo.* Ps. 21. 8. Thren. 2. 15.

Item Principes sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant: *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult, eum: dixit enim quia Filius Dei sum.* 1. Exprobrabant impotentiam salvandi seipsum. 2. Præsumptam Regis dignitatem. 3. Fiduciam vanam quam in Deo ponebat. 4. Filiationem Dei inanem. II. Sacerdotum exprobrationes. 1. 2. 3. 4.

Præterea etiam milites illudebant ei. *Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac*: necnon *latrones improperabant & convitiabantur*: & universè Lucas ait: *stabat populus spectans*; quod inter opprobria ponit. *Ipsi verò conspexerunt me & inspexerunt me.* Erat aspectus illusorius. O, si aspexissetis, ut oportebat! retulissetis utique salutem inde melius, quàm olim ex aspectu serpentis. Quam aliter aspiciebat Mater, & piæ mulieres! & illa quantum ex tot maledictis dolorem hausit! III. Militum subsannationes. Ps. 21. 8.

MEDITATIO XLV.

Orat pro crucifixoribus.

PUNCTUM PRIMUM.

Primum Christi verbum est amoris. *Matt.* 5. 44. *Cant.* 8. 7. *Isa.* 53. 12.

HOc primum verbum locutus est in cruce. Non petit ignem de cœlo, ut Elias : nec maledicit, ut Noë & Elisæus irrisoribus suis: sed inter convitia & blasphemias, petit veniam inimicis, perfectè implens præceptum suum : *Diligite inimicos vestros & orate pro ijs, qui vos persequentur. Aquæ multæ* persecutionum *non poterunt extinguere charitatem :* & hoc sigillatim prædixit Isaias : *Et pro transgressoribus rogavit.*

PUNCTUM II.

Patrem curro-gat. *Matt.* 5. 45.

SIngula verba expendantur. *Pater*: Christus ipse, ut homo, ignoscebat; sed vult, ut Deus ignoscat. Patrem appellat pro fiducia orationis, & ad demerendum : monet etiam quòd ipse sit Pater omnium, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Dimitte illis*, non exponit certum peccatum, quia vult omne eis dimitti. Nec dicit, crucifixoribus meis, ne ex indignitate rei provocet iram Patris ; sed ait, *illis*: Et quia volebat omnes peccatores complecti, cùm omnes sint crucifixores Christi. *Quia nesciunt quid faciunt.* Etiam excusat, & extenuat. Ignorantia erat supina & crassa, & ita inexcusabilis : tamen adducit pro qualicunque ex-

excusatione, sicut Paulus, cùm ait, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: si cognovissent, utique ita ut æstimarent, quod erat. Ideo excusat nos ut fidamus ipsius misericordiæ, siquidem sic excusat. Monemur etiam ut proximorum facta excusemus, quando planè defendere nequimus: tantùm abest ut illatæ injuriæ sint exaggerandæ, aut vindicta optanda. 1. Cor. 2. 8.

PUNCTUM III.

EXaudita est oratio, de qua S. Paulus, *in diebus carnis suæ preces supplicationésque cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ*, id est, vel pro submissione sua, qua preces obtulit, vel pro merito suæ dignitatis, cùm esset Filius Dei. Efficacitate hujus orationis multi ex præsentibus postea conversi sunt, ut die Pentecostes ad tria millia. O Jesu! fac sim particeps hujus tuæ precis. Audijt Maria orationem, & tanta charitate est ipsa quoque emolita, ut similter oraret. Effectus orationis Christi. *Hebr.* 5. 7.

MEDITATIO XLVI.

Secundum verbum Christi in Cruce ad latronem.

PUNCTUM PRIMUM.

MEdius inter duos latrones crucifixus est, juxta vaticinium: *Et cum sceleratis reputa-* Humilitas Jesu

in medio latronũ. *Isa.* 52. 12. *tatus est*: & fuere haud dubiè ex infamioribus qualis Barrabas. Consentiunt extrema primis. Nascens in medio duorum animalium, locatus est moriens inter duos latrones: sic studuit commendare nobis humilitatem. Et hic est, qui *in monte Thabor inter Moysem & Eliam glorioſus apparuit*: est *lapis angularis*: utrumque populum connectens in unum; *est judex vivorum & mortuorum*, residens inter bonos à dextris, malos autem à sinistris; quodque maximum est, is est Divina persona, inter Patrem, à quo procedit, & Spiritum sanctum, qui ex ipso quoque procedit, media constituta. Et hic tantus, quasi insignior latro, medius inter latrones trabi affigitur.

Matt. 17. 2. *Ephes.* 2. 20. *Act* 10. 42.

PUNCTUM II.

Latro à sinistris blasphemat. *Luc.* 23. 39. ALter latronum blasphemat Christum, *si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos:* id autem Pharisæi exprobraverant: per summam contumeliam irridetur, quòd se mentiatur Christum.

Latro à dextris tuetur Christũ. At alter latro loquitur pro Christo, cotripiens socium: *Nec tu times Deum, qui in eadem es damnatione?* quasi dicat: minùs mirum quòd alij iujustioſi sint; at, quòd tu, qui animam agis, exprobres consorti pœnarum, improbissimum est. Atque hæc defensio fuit actus eximiæ charitatis. Exercuit etiam humilitatem, agnoscens suum reatum. Et, *nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Præterea confite-

tur

tur Christi innocentiam : *Hic verò nihil mali gessit* Dignus profectò, cui retribuatur illud: *omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matt. 10. 32.

Collige tres ordines patientium; alij dignè, sed impatienter, ut malus latro; alij dignè, sed patienter, ut bonus latro; alij immerito, & patienter, ut Christus. Cupiam ex his ultimis esse. Sim ex secundis saltem, dicens: *Iram Domini portabo; quia peccavi ei*; & illud: *peccavi & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Patientium ordines. Mich. 7. 9. Iob. 33. 27.

PUNCTUM III.

ORatio latronis, ex agnitione proprij delicti, & charitate Christo exhibita, animatur ad petendum: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Inter tot opprobria confitetur Dominum, & Regem; non hujus mundi, sed alterius sæculi, quò ibat: non petit à præsenti morte liberari, nec evectionem aliquam peculiarem, sed tantùm, ut meminerit sui: haud dubiè melius recordabitur, quam, Pincerna Pharaonis recordatus fuit Josephi concaptivi sui. Oratio devota.

Movit latronem, præter singularem illustrationem divinam, quod voluerit Deus hoc testimonium Christo dari tunc à tali, ad confusionem Pharisæorum & Sacerdotum; qui visis tot mirabilius, non crediderunt Christo: præter hoc, inquam, movit latronem admirabilis pa-

tientia Christi, & charitas illa, qua pro inimicis oravit. Tam hæ virtutes sunt potentes, utique & apud Deum multò magis. Discam à latrone orare cum humili agnitione propriâ, & confessione strenuâ laudis divinæ, & me ipsius bonitati committam.

PUNCTUM IV.

II. Verbum liberalitatis.

REsponsio Christi: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Vocatio & conversio hujus latronis extitit fructus precationis Christi in cruce, & fuit tantò mirabilior, si ille ipse prius blasphemaverat Christum, ut aliqui colligunt, quia Matthæus dicit, *latrones improperabant ei.* Efficacia item sanguinis Christi enituit, dum peccata omnia, & pœnas etiam temporales perfectè remittit, & aptum cœlo statim facit. Reddit autem securum sic asseverando: *Amen dico tibi*: & sui consortium promittit, *mecum eris*, juxta illud, *ubi sum ego, illic & minister meus erit*, Nec differt: *Hodie*, inquit. Te beatum, ô latro! qui undecima venisti hora, atque ex novissimo factus es primus.

Efficacitas sanguinis Christi.

Ioan. 12. 26.

PUNCTUM V.

Duo latrones signant Electos & Reprobos.

AD exemplum horum latronum inter homines cujusque status, sunt alij, qui assumuntur efficaciter ad gratiam, alij autem qui relinquuntur, sicut de extremo tempore locutus est Christus: Tunc duo erunt in agro, duo in lecto, duo in molendino, *& unus assumetur, alter*

Luc. 17. 34.

alter relinquetur. Valet hoc, ut nemo, quamvis maximus peccator, desperet, quin aliquando possit converti: contrà verò, ne quis licentiosè vivens, præsumat. Gratulata est Virgo Mater, quod Filius in eo articulo reperisset defensionem, quodque reserari cœli januas ea die tandem audiret.

MEDITATIO XLVII.

Tertium Christi verbum, commendat Matrem Ioanni.

PUNCTUM PRIMUM.

Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus, cum mulieribus & Joanne. Ita videlicet, quo quis Christum magis amat, propior fit cruci, & illius particeps esse cupit. Accessit Virgo intrepida, non verita contumelias & vexationes: & illa duce, Joannes, & aliæ mulieres sunt ausæ. Non magis corpore accessit, quàm spiritu, quo fuit Christo confixa tribus clavis, nempe vehementi apprehensione pœnarum illius, amore ardentissimo, & compassione tali, ut spinæ, flagella, clavi, & reliqui cruciatus Filij, animum Matris perinde affligerent, ac si in corpore suo illos omnes excepisset. Ut verè Martyr Martyrum, sicut Virgo Virginum dici debeat. Nam & optavit omnia pati, & passa est per vehementem compassionem. O imiter ego, affli-

Ioan. 19. 25.

Quis propior cruci? B. Virg. Compassio.

gendo carnem meam; & animam, per abnegationem appetitionum, & desiderium patiendi, castigando!

PUNCTUM II.

III. Verbum est sollicitudinis suorum. Joannes B. Virgini in filiũ datur.

CUram gerit Matris inter dolores & opprobria: sic nunquam officium deserendum. Ait autem: *Mulier, ecce filius tuus.* Non vocat matrem, ut nec aliàs solitus: tum, ne blando nomine magis eam percellat: tum, ne carni indulgere videretur, qui totus esset in Patris voluntate implenda. *Ecce filius tuus* Joannem ostendit. Is tibi pro filio erit, loco mei; tuíque curam geret: sed & tu pro filio eum habebis, ut & reliquos meos Apostolos, confirmando ipsos maternâ providentiâ. Quid Virgo Mater sensit, quando pro Jesu Joannem suppleri audijt? proh, quàm dispar commutatio! sed & verba illa: *Ecce filius tuus*, aliter accepta repræsentant Matri ipsum Jesum usque eò mutatum à suo decore. Ecce, is, quem à Spiritu Sancto concepisti, Virgo, ille Filius Altissimi, ille regnaturus super solium David, ille *speciosus forma*, & talia multa. Commendavit sub eodem verbo nos omnes Christi fratres per gratiam, in tutelam Matri suæ.

PUNCTUM III.

B. Joannes accipit B. Virginem in Matrem

JOanni autem dixit: *Ecce mater tua.* Hanc ama, observa, juva, ut Matrem. Verba Christi sunt efficacia, perficiúntque, quod dicunt: ac ita

ita Joannes spiritum filij erga B. Mariam corde concepit & exhibuit. O mihi dari petam, ut bene mihi sit. Potissimum Joanni commendavit Matrem, ut Virginem Virgini, & quia Joannes ad crucem usque adhæsit Christo: ita castimonia & imitatio patientis Christi idoneos faciunt tali filiationi. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, lætus tali munere: tum quia à Magistro veniebat: tum quia servire tali Matri glorioſissimum ducebat.

MEDITATIO XLVIII.

De tenebris & quarto verbo.

PUNCTUM PRIMUM.

A *Sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Factum id est à Deo, ad detestationem sceleris, quò justitiæ soli vitam impij adimebant; atque ad significandum quantænam sint interiores cordis tenebræ improbæ gentis, & exteriores, quibus erat addicenda, ob tantum nefas. Causæ tenebrarum. 1.

Deinde, ut tanto prodigio clarificaretur Christus, cujus mortem sol lugeret, luctúque terram operiret, & utique exterriti malevoli, cessarent interea à subsannando vexandóque Domino. 2.

Tandem voluit ipse Christus, per silentium tenebrarum, recipere sese ad orandum, ut aliàs per noctem solitus erat, causámque nostram, & extremum illum actum Patri instantiùs commendare, ad exemplum nobis. 3.

Quale quid

quid etiam tunc feciſſe Dei Matrem & Joannem, neutiquam dormientes, ut in horto diſcipuli, fas eſt credere.

PUNCTUM II.

IV. Verbum doloris. Triplex deſertio.

CIrca horam nonam clamavit voce magna: *Eloi, Eloi, lamma ſabacthani, quod eſt: Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquiſti me?* clamor & magna vox, ſunt magni affectus ſigna. Deſertus erat in pœnis, quæ diu protrahebantur, cum dolore immenſo; ſiquidem reclinare caput nequibat, quin compungeretur magis à ſpinis, & corpus, è clavis pendens, lacera-

1. retur. Item deſertus erat omni ſolatio in parte inferiore animæ, quod à divinitate haurire alioqui poterat, ſicut in horto ipſo deſtitutus fuit,

2. ut ab Angelo fuerit confortandus. Tandem videbat ſe à diſcipulis deſertum, & à gente ſuâ, & deſerendum à pleriſque mortalium, quibus incaſſum forent tot illæ, ac tantæ pœnæ: ſic deſeri voluit, ut non deſerar ego à miſericordiâ divinâ: ac ut in deſolatione diſcam eſſe con-

Pſ.70 9. ſtans, exemplo Magiſtri: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

PUNCTUM III.

PRæter verba illa quæ magna voce dixit, credibile eſt, ſequentia ex eodem Pſalmo 21. ubi paſſio Chriſti, & quæ tunc agebantur, ad vivum exprimuntur fuiſſe à Chriſto ſubmiſsè recitata. Beatam verò Matrem, in Pſalmis exercita-

citatam, simul recoluisse, & contulisse vaticinium cum re, eundem Psalmum recitando. Potero etiam ego Psalmum illum cum attentione & mora recitare. Sed in ijs ipsis verbis irrisus est Christus à ridiculè interpretantibus illud: *Eli, Eli, Deus meus, Deus meus*, quasi Eliam in auxilium vocaret, quod seipsum salvare nequiret: sic undique captatur occasio exagitandi te, Deus meus! *Ps.* 70. 9.

MEDITATIO XLIX.

De quinto Christi verbo: Sitio.

PUNCTUM PRIMUM.

QVòd Christus verè magnam pertulerit sitim: nam à præcedente vespera non biberat; & interea tot circum loca pertractus fuerat cum impetu, & sanguine penè toto exhausto, *aruerat tanquam testa virtus ejus, & lingua ejus faucibus adhæserat.* In figuram hujus, *Samson*, interfectis inimicis ad mortem, *sitivit*: sed providit ei Deus de *mandibula asini*, qua prostraverat Philistæos. Christo meo non item. *Moyses percussit petram virga* & hæc aquas largissimas dedit: *Petra autem erat Christus*: qui in ligno crucis percussus, non aquam reddit, qua refrigeretur ipse, sed sanguinem, quo nos lavemur, & potemur in vitam æternam. Discam tolerare sitim, & gulæ incommoda.

V. Verbum desiderij

Ps. 21. 16. *Iud.* 15. 15. 19. *Exod.* 17. 6.

PUN-

PUNCTUM II.

Sitis. 1. Obedientiæ. 2. Passionis 3. Salutis animarũ

SCiens Jesus quòd omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: *Sitio*: Triplex sitis Christi. 1. obediendi Patri, & ita ut sciens hoc deesse ad implenda, quæ Pater voluerat eum pati, ut aceto potaretur, ultro moneat: *Sitio*. 2. patiendi plura adhuc, nec enim ad refrigerium quærendum aperuit sitim suam: sed ut hanc etiam acerbitatem sentiret, paratus ultro plura pati, si Patri placuisset. 3. salvandi animas, qui erat illius cibus & potus. Nota quod non petit, sed indicat tantùm necessitatem: sic præsertim religiosus repræsentabit necessitates suas Deo vel Superiori, indicasse satis habens, non flagitans, siti etiam illa triplici debet ardere.

PUNCTUM III.

SPongiam aceto plenam, cum amara hyssopo, in arundine exhibent. Non fuit, qui refrigerium exhiberet: sed magis affligeret sitientem: ut ego liberer ab illa Epulonis siti æterna, cui nec gutta datur. Ad hunc modum peccatores potant Christum, quando cor ei præbent inane, ut spongiam, & à peccatis acerbum & amarulentum, in hastili vanitatis & inconstantiæ, quæ res magis Christũ contristat, quàm acetum & hyssopus. At ille, quantò aliam nobis potionem præbet sanguinem suum? *& calix tuus inebrians, quàm præclarus est!* optas-

set

set pia Mater filium refrigerare; at non licebat, & intellexit illa sitim Filij esse præcipuè aliam, de qua suprà : sed & illam veniendi ad Patrem, & *intrandi in gloriam suam.*

MEDITATIO L.

De sexto verbo: Consummatum est.

PUNCTUM PRIMUM.

VI. Verbum est triplicis Cõsummationis.

AD tria Christus respexit, ac inprimis ad labores & pœnas quas ordinaverat Deus, ut per omnem vitam pateretur, & gratulans quod explesset omnes, dixit: *Consummatum est*: nam & propterea dixerat, *Sitio*: ut ea etiam impleretur quæ restabat, sicut ait Scriptura: *Sciens quia consummata sunt omnia, ut impleretur Scriptura dixit*: *Sitio*. Ergo bone Jesu, impletum jam est illud desiderium, quo *avebas baptizari*! ut angustiæ tibi essent, donec perficeretur: & sicut *spes dilata affligit animum*, ita *lignum vitæ desiderium veniens* & impletum. O beatum, qui in fine vitæ id dicere poterit!

1. Laborũ. *Luc.* 12. 50.

Prov. 13. 12.

PUNCTUM II.

DEinde respexit ad finem, ob quem missus fuerat: nempe ut *consummaretur prævaricatio, & finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas terræ, & adduceretur justitia sempiterna:* quod per illius mortem completum est, attrito serpentis capite, destructâ morte, spolia-

2. Officij. *Dan.* 9. 24.

to

to inferno, cœlo reserato, novâ lege conditâ, novis sacramentis & sacrificio novo, vitæque perfectæ normâ traditâ, exemplóque firmatâ. O consumma in me propter quod venisti, destrue penitus peccatum, perfice charitatem.

PUNCTUM III.

3. Figurarum & prophetarum. *Matt.* 5. 18. In fine mundi dicetur. *Consummatum est.*

TAndem respexit ad prophetias & figuras veteris Testamenti, quæ erant de Christo, quæ, adveniente veritate, cessarunt: de quibus dixit: *non veni solvere legem, sed adimplere: Et jota unum non præteribit, donec omnia fiant.* Facta sunt & consummata.

Veniet idem in fine mundi, dicetúrque: *Consummatum est.* Transiit gloria mundi, expiravit tempus bene merendi, agendíque pœnitentiam, defijt regnum diaboli, completus est numerus electorum: idem unicuique dicetur in morte: quia quoad singulos tunc omnia finem accipiunt. O dicere tunc valeam: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*: ut liceat etiam dicere, quod sequitur: *Reposita est mihi corona justitiæ.*

2. *Tim.* 4. 7.

MEDITATIO LI.

De septimo verbo: commendat & emittit spiritum.

PUNCTUM PRIMUM.

VII. Verbum summæ Pietatis. Clamat alta voce.

COmendat spiritum, clamans voce magna: Ideo voce magna, ut testaretur sibi vim esse

ad

ad producendam vitam, sed animam sponte reddere, sicut dixerat: *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso.* Ioan. 10. 18. Deinde ut exprimeret naturalem sensum animæ in separatione à corpore. Denique in signum triumphi de diabolo, peccato, & morte: sicut Gedeon, *confractis lagenis, clamorem edidit victoriæ de Madianitis.* Iudic. 7. 20. Fuit autem ea vox miraculosa in corpore exangui. Gratias agam pro illa emissione spiritus voluntariâ, petam confortari in sejunctione animæ meæ per mortem: gratulabor de victoriâ per mortem reportatâ.

PUNCTUM II.

VErba clamoris: *Pater! in manus tuas commendo spiritum meum*, sunt ex Psalmo 30. Credi potest, recitasse illum totum: cúmque ad hæc verba venit, vocem extulisse. Mysteria septimi verbi 1.

Patrem appellat, in fiduciæ & affectus filialis signum, qualis in morte nobis necessarius est: & est idem, ac petere ut adsit nobis, ut Pater, atque ad hæreditatem æternam inducat.

Commendat *in manus*, quæ psalmaverunt ipsum in quibus sunt *sortes nostræ*, & vera securitas: nam quis est qui nos de manu tua possit eruere? At ego meum etiam in tuas commendo spiritum, bone Jesu! qui expansas habes in amplexum ad te confugientium, & *nemo potest rapere de manu tua.* 2. Ps. 30. 16.

Non honorem aut corpus suum commen-

3. *Ioan.* 10. 28. 4. 1. *Cor.* 6. 17. dat, sed *spiritum*, cui cum bene est, per omnia bene est, dum suum commendat, simul nostrum, quem pro suo habet: nam, *qui adhaeret Deo, fit unus spiritus cum illo.* Deponit in manus Patris, post triduum corpori redditurum. Discam mori.

PUNCTUM III.

ET hæc dicens, inclinato capite, tradidit spiritum. 1. Inclinat sponte, in signum obedientiæ quam perficiebat, moriendo. 2. humilitatis, & paupertatis. 3. peccatorum nostrorum, prægravantium Christum ipsum usque ad mortem. 4. designans limbum, quo spiritus pergebat.

Quomodo tradidit spiritum. *Ps.* 18. 16. *Ps.* 4. 9. B. Virg. dolor. Tradidit autem spiritum ita sponte sua, & non coactus, ut tamen cruciatus sufficerent ad naturalem mortem. Perfecit *gigas viam suam: à summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*, ab Oriente ad Occidentem, *in pace, in idipsum dormijt & requievit.* Quid Mater sensit, quæ cum illo mori desideraret, & pro illo? Fortè adstitit Sathan: sed & multitudo Angelorum ad reverentiam. Adsit mihi morienti ad defensionem, ne tunc inimicus meus prævaleat adversum me.

ME-

MEDITATIO LII.

De prodigijs in Christi morte factis.

Edita sunt ad clarificandum Christum, ad sceleris detestationem, ad effectus indicandos ex morte Christi proventuros.

PUNCTUM PRIMUM.

VElum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. 1. sicut Caïphas scidit vestes, quòd Christus se dixisset Filium Dei, ita Pater æternus scidit, velut ad enorme facinus, quod crucifixus & occisus fuerit Christus, quod se talem diceret. O Deus! sciude cor meum, ut sentiat tantæ rei indignitatem. 2. Quia per mortem Christi patebant arcana mysteria regni Dei, discussis umbris & figuris, atque via ad cœlum aperiebatur. O accipiam ego lumen, ad illa intelligenda, & ad vivendum juxta illa!

Veli scissio quid notet. 1.

2.

PUNCTUM II.

ET terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. Ad duritiem illius populi detestandam, quæ major esset, quam petrarum, & ad redarguendum me, qui non scindor, aut emollior à Christi passione, cùm videam illum in cruce tremiscentem; & qui verè est petra, divisum per separationem spiritus à cor-

Terræ commotio & scissio petrarū &c. 1.

corpore, & denique apertum, & hiantem vulneribus.

2. II. Significatur fore ut per Christi mortem terrena corda concutiantur, & quasi sepulchra mortuorum pateant ad sinceram culparum confessionem, sícque resurgant ad vitam gratiæ.

PUNCTUM III.

CEnturio, & qui cum eo erant custodientes Jesum, his visis timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat, & justus: & de turba, *percutientes pectora sua revertebantur.*

En effectus prodigiorum, nec non orationis Christi, qui pro illis oraverat in cruce: percutiam ego pectus, qui Christo causa extiti mortis meis peccatis.

MEDITATIO LIII.

De Lateris apertione.

PUNCTUM PRIMUM.

JVdæi rogaverunt Pilatum ut frangerentur crucifixorum crura, ne remanerent in cruce Sabbato. Non tam zelo religionis, quàm quòd vellent Christum citò extinctum, novóque tormento affectum, sublatúmque ex oculis plebis, quam videbant compunctam, visis prodigijs: scilicet Pharisæi & Sacerdotes inde indura-

durabantur, unde ſimplices compungebantur. O, abſit à me tam perverſa obſtinatio!

Jubebat quidem lex ut cadaver ſuſpenſi eadem die ſepeliretur: quia *maledictus eſſet à Deo, qui pendebat in ligno*, & ne contaminaret terram. Atque hoc eſt, quod ſanctus Paulus ait, *Chriſtum pro nobis factum eſſe maledictum*. Mira dignatio! ut in ipſo nos benediceremur. *Deut.* 22. 23. *Gal.* 3. 13.

Chriſti crura non fracta ob myſterium.

Latronum crura fregerunt, Chriſti autem minimè, quòd inveniſſent eum mortuum; ſed præcipuè, quia prædictum fuerat: *Os non comminuetis ex eo*, quod ad literam de Agno Paſchali, ſed tanquam figura Chriſti mandatum fuerat. Videlicet charitas, fortitudo, patientia Chriſti frangi nequiverunt in paſſione; ita etiam ſervos ſuos Deus ex omnibus tribulationibus ſuis liberat, & *cuſtodiet omnia oſſa eorum, unum ex eis non conteretur*. Contingat id mihi. *Ioan.* 19. 36. *Exod.* 12. 46. *Pſ.* 33. 21.

Sed & divinitas per oſſa ſignificata eſt, quæ non eſt paſſa.

PUNCTUM II.

Cauſæ apertionis. I.

CUM *vidiſſent mortuum, unus militum lancea latus ejus aperuit*, vel inſultandi gratiâ, vel explorandi, an eſſet mortuus? Non ſenſit dolorem exanime corpus; at ſenſit Mater illius, in hoc *implens, quod deerat paſſionum Chriſti*. Sentiam & ego.

Crudelitas militum. *Gloſſ.* 1. 84.

Voluit ipſe Chriſtus ita ſuum cor transfigi, in remiſſionem peccatorum, quia ex corde exeunt, quæ

II. Peccata noſtra.

quæ coinquinant hominem: ex Christi autem corde vita procedit. Tale sit cor meum.

III. Christi charitas. *Cant.* 4. 9.

Deinde ad testandam charitatem, quâ passus fuerat tanta, cor ipsum quasi effundit. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*: primò vulnerasti amore, quia te summè dilexi, secundò vulnerasti lanceâ, unde pateret tibi cor meum, amor meus. Tu vicissim vulnera cor meum, Deus! charitate, ut dignè amem te, & introduc me in cor tuum, tanquam in clibanum charitatis, ubi totus igneſcam.

Ps. 103. 18.

Hæc vulnera sunt *petra refugij herinaceis*, hoc est, peccatoribus, qui peccatis horrent tanquam spinis, sunt justis requies, & quasi nidus.

Ps 54. 7. *Cant.* 2. 10. 14.

Quis dabit mihi pennas sicuti columbæ, & volabo, & requiescam? Elongavi fugiens & mansi in solitudine: surge, propera anima mea, & veni, in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ. Figam mihi tria tabernacula unum in pedibus, considerans gressus tuos, ut sciam, qua mihi tendendum sit ad vitam sempiternam; alterum in manibus, considerans opera tua propter me; tertium in latere, ibi æstimans charitatem tuam.

Sed ubi alæ columbæ, ut istuc volare queam? eæ sunt cogitationes sanctæ, & affectus puri, gemitus autem columbæ, sunt dolor offensarum, & suspiria ad Deum.

Ostium Arcæ Noë fi-

Vulnus lateris & ostium in latere arcæ à Noë positum, quo ingrederentur animantes diluvium evasuræ: Est ostium, quo *oves ingrediun-*

tur

tur & egrediuntur, & pascua inveniunt. Vulnera hæc, sunt lapides quinque de torrente, quibus superbus Goliath prosternitur. gura hujus vulneri..

PUNCTUM III.

ET continuò exivit sanguis & aqua. 1. Ad significandam vim Christi mortis, per quam aquâ abluimur à peccatis, sanguinis ejus virtute, nec non extinguitur in nobis ardor pravarum cupiditatum, & ut in deserto percussâ petrâ, fluxerunt aquæ largissimæ, quibus refocillati sunt filij Israël, ita hîc: unde impletur illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* 2. Ad significanda Sacramenta vim habentia ex Christi sanguine: aquâ enim regeneramur in novam creaturam. Et in Evcharistia aqua vino miscetur. 3. Significatur, quod sicut ex Adami latere dormientis formata est Eva, ita Ecclesia ex Christo per mortem consopito. Causa tracti sanguinis. *Isa.* 12. 3 Sacramentorum vis.

Facta sunt hæc, ut impleretur Scriptura: videbunt, in quem transfixerunt: videbunt peccatores, qui ipsi causa extiterunt. Utinam videant compunctionem, ne serò videant ad confusionem. Absit à me Domine Jesu! Impletio Scripturæ.

MEDITATIO LIV.

Depositio Christi de Cruce.

Matt. 27. 56.

PUNCTUM PRIMUM.

Providentia Dei erga suos.

COnsideranda & admiranda providentia Dei erga suos : nam, cùm Mater cum aliis sollicita esset de acquirendo corpore ad sepulturam, ac ne indignè mortuus etiam à militibus tractaretur, providit in tempore de viro divite, & nobili Joseph, qui auctoritate valeret, nec non bono & justo, qui & ipse expectabat Regnum Dei, uti decebat sanctitatem illius funeris ; quique erat *discipulus* Jesu, *occultus autem propter metum Judæorum* : cui addidit animos ad petendum audacter corpus Christi à Pilato.

Ioa. 19. 38.

Christus obediens post mortem.

Itaque Deus solatus est afflictos, & consuluit gloriæ Christi tunc statim à morte : disposuit autem, ut sicut ex obedientiâ Patris Christus ascenderat crucem, ita non nisi ex obedientia Magistratus, juxta legem, deponeretur de cruce.

PUNCTUM II.

Societatis utilitas.

JOsepho ab Arimathia adjunxit se socium alter Discipulus item occultus Nicodemus, vir etiam nobilis & justus : ut sic alter alterum animaret. *Joseph emit sindonem novam*, ad involvendum, quia non decebat ut usui : antè fuisset.

Nico-

Nicodemus verò contulit *mixtum myrrhæ & aloës, quasi libras centum ad ungendum.* Qui se addicit Christo, ostendat id operibus: ea autem sint pura, cum mortificationis studio, & devotionis, quæ sunt aromata.

PUNCTUM III.

DEponitur è cruce manibus illorum duorum, & in demendis clavis ipsi sacrum corpus sustentant, devotione ac reverentia maxima, nec sine lachrymis. Depositum excipit Mater, & impletur illud: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Quantum illic dolorum, gemituum, lachrymarum? quid dictum, factúmque circa sacrosanctum spolium, tum à Matre, tum ab alijs mulieribus, & Joanne, æstimetur ex amore.

Depositio pia.

Cant. 1. 13.

MEDITATIO LV.

De Christi sepultura.

PUNCTUM PRIMUM.

UBi satisfactum est amori, sacrum corpus ungitur per totum, & munda sindone involvitur, caput sudario: coronam spineam & clavos chara pignora Mater sibi servat. Unctio significat Christum per omnem vitam multa mortificatione & laboribus fuisse exercitum, ut corpus suum mysticum à corruptione

Unctio corporis Christi quid notat.

2. *Cor.* 4. 10.

servaret, in quo imitandus nobis est, ut *mortificationem Jesu in corpore nostro circumferamus, quo vita ejus manifestetur in nobis.* Habuit Christus in sua sepultura omnia aliena, sepulchrum & alia, in hoc etiam paupertatis præferens exemplum.

PUNCTUM II.

Funeris divini portatio Comitatus.

EFfertur ad sepulchrum prosequente Matre cum piis mulieribus, sicut vidua apud Naim civitatem, quam solatus est Dominus, resuscitato filio: sed oportebat Mariæ filium manere in corde terræ tribus diebus ac noctibus. Comi-
Is. 33. 7. tabantur funus etiam *Angeli pacis, amarè flentes*, ut hinc etiam sepulchrum ejus redderetur glorioſum.

PUNCTUM III.

Sepulchri qualitates.

QVale fuerit sepulchrum. 1. in horto, ut sicut primus Adam in horto peccavit, &
1. mortem incurrit; ita secundus, qui morte suâ sustulit peccatum, in horto mortuus locaretur.
2. 2. fuit novum, quia novus Adam, & sicut veniens, elegit uterum virginalem, ita decedens
3. simile sepulchrum. 3. excisum erat in petra inferni, quia sepeliebatur in illo vera petra multis
4. ictibus dolata. 4. Infertur in specum splendor gloriæ, ut nos à tenebris eruamur.

Præparatio ad S. Communionem.

Applica ad sacram communionem: Nam illius consecratio exhibet Christum passum, & pro nobis mortuum: sindone specierum involvitur:

vitur : conditur in nobis, qui ideo esse debemus instar horti amœni & sepulchri novi, à fœtoribus immunis, & excisi in petrâ, per tolerantiam mortificationum, & laborum. Et juxta montem Calvariæ positi per assiduam Crucifixi memoriam. Tunc ad nos Christus libenter veniet per sacram Communionem. Apponitur autem lapis ad ostium monumenti, per custodiam diligentem cordis & sensuum.

MEDITATIO LVI.

Solitudo B. Virginis post sepulturam.

PUNCTUM PRIMUM.

REcedit à sepulchro, comitantibus Joseph & Nicodemo, atque ex itinere revisens crucem, supplex eam adorat, ut in quâ peracta fuisset redemptio olim in suo utero inchoata, & quæ suis brachijs excepisset Christum jam virum, quem infantem ipsa gestaverat : cavit autem ne vestigia cruoris sparsi ipsa aut alij calcarent. Reversa domum, gratias egit viris illis, simile quid precata. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro, & sepeliviſtis.*

B. Virgo crucem adorat.

1. Reg. 2. 1.

PUNCTUM II.

TRansegit eam noctem, partim sola inter limbum & sepulchrum filij discurrens, partim cum Joanne, & alijs commemorans acta ejus diei, à Joanne audiens quæ super cœnam acta

Thren. 1. 1.

acta dictáque fuissent : *Plorans ploravit in nocte, ac, lachrymæ ejus in maxillis ejus ; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Age, solatium cape : nam granum hoc terræ conditum reddet fructum uberrimum.

B. Virgo corroborat Apostolos in fide.

Inspiravit Christus Apostolis suis, ut convenirent, ubi erat Mater : ante alios Petrus, qui humi procidens deflevit, & veniam petijt suæ negationis, tum alij. Collegit illos, ut gallina pullos suos, quando ad conspectum milvi fugiunt. Confirmavit in fide resurrectionis : quia post passionem suam quam prædixerat, credendum pariter erat fore ut resurgeret juxta promissum suum. Indoluerunt omnes, cùm adverterent deesse ex ipsis unum qui Magistrum prodiderat

PUNCTUM III.

Magdalenæ & sociarum devotio.

MAgdalena, & aliæ sedentes contra sepulchrum, diligenter observaverunt, quomodo poneretur corpus, cogitantes, transacto sabbato, venire ad ungendum : quare iverunt, ut adhuc eo die emerent aromata, non contentæ centum libris, quæ fuerant insumptæ. Imperfectio quidem fidei, sed pia affectio. Ita oportet, recepta sacra Communione, cum quiete expendere, quomodo ad nos Christus veniat ; tum ad paranda unguenta excurrere, ad opera boni odoris se accingere, pro utilitate corporis Christi mystici, & gloria Dei.

ME-

MEDITATIO LVII.

De custodia sepulchri.

PUNCTUM PRIMUM.

Inimicorum Christi feritas.

SAcerdotes & Pharisæi ipso sabbato manè convenerunt apud Pilatum, petentes ut juberet custodiri sepulchrum : *Quia seductor ille dixerat post triduum resurgam.* Concitati odio & invidiâ, non curant sabbati observantiam : *seductorem* vocant veritatis Doctorem, vanè timent ne à discipulis corpus auferatur, fingántque resurrexisse illum. Frustrà conantur obfuscare gloriam Christi, quam magis sic illustrarunt.

PUNCTUM II.

ILli ergo *munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.* Nec illis credidérunt ideóque sigillum appossuerunt suum, adeo anxij erant. Signabo ego cor, postquam Christum in Evchariſtia accepero, ne evanescat devotio.

PUNCTUM III.

Corpus Christi mansit in sepulchro duabus noctibus.

MAnsit corpus in sepulchro tribus diebus, noctibus, sumpta parte pro toto : fuere duæ noctes integræ & una dies : per illas significata est mors duplex, animæ & corporis, à quibus nos Christus suâ morte liberavit, per diem

ctibus, & die uno.

diem autem vita gratiæ, quam nobis acquisivit. Non fuit corruptum corpus juxta vaticinium: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quia si corruptum fuisset, utique & à persona Verbi destitutum: nihil autem reliquit, quod semel assumpsit. Utinam à corruptione peccati ego præserver, ne à Deo unquam deserar!

Ps. 15. 10

Amen.



PARS

PARS QVINTA MEDITATIONVM *DE RESVRRECTIONE Christi, & consequentibus mysterijs.*

INTRODVCTIO V. PARTIS.

De Scopo Viæ Vnitivæ.

MEDITATIONES *Viæ Vnitivæ* finem seu scopum habent *Vnitionem* cum Deo, de qua S. Apostolus: *Qui adhæret Deo, unus Spiritus est* cum eo. 1. Cor. 6. Et quamvis hæc propriè *perfectorum* sit, tamen ad eam etiam *incipientes* ac tirones suo modo aspirare debent. Quod uti faciliùs intelligatur, sciendum est unitionem tribus præcipuè modis fieri. 1. *Intellectu*: 2. *Voluntate*. 3. *Vita* ac moribus ipsis. Intellectu fit, cùm Deum intra nos ipsos portamus, memoriâ nostrâ quasi hospitio illum excipiendo, eúmque cognitione plena atque integra percipiendo, ut paulatim intellectus noster fiat viva quædam imago atque exemplar vivum ipsius Dei, in quem *revelata facie transformemur tanqam à Domini Spiritu,*

2. Cor. 3. *ritu*, & addidit *speculantes*, ut intelligamus hanc transformationem per meditationem præcipuè fieri, conando, ut ea quotidie in nobis clarior, atque perfectior evadat. 2. *Voluntate* fit ista unitio, cùm illa à seipsa egrediens, bonitatem intellectu cognitam amplectitur, eam amando, in eâ sibi complacendo, & quam conjunctissimè fieri poterit, eadem perfruendo ; prout in magno illo mandato (*Diliges Dominum Deum, ex toto corde, anima, mente, viribus*) indicatur, omnes videlicet affectiones, desideria, atque intentiones in eum trahendo, atque transferendo. Ex quo varij affectus sequi solent, quales sunt isti, 1. *admiratio* tantæ majestatis & perfectionum ejus, 2. *gaudium*, eò quòd Deus tam excellens sit, & tanta faciat. 3. *laus & gratiarum actio* pro tot donis; cum desiderio eum videndi, possidendi, honorandi, eique obediendi, optando ut omnes illum agnoscant, ament, illique serviant. 4. *Zelus* fervens divinæ gloriæ & salutis animarum. 5. *Fiducia* de ejus bonitate, providentia; unà cum timore non illo servili (quem *charitas foràs mittit*) sed filiali, verendo ne ab eo unquam separetur, aut quid committat, unde justè tanta majestas offendatur; dolendo etiam de peccatis omnibus, quibus justam ejus offensionem olim potuit incurrisse. 3. Unitio est similitudo quædam *in vita & moribus*, fundata in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divinâ, in omnibus, tam prosperis, quàm adversis : Ex quâ ori-

Luc. 10.

1. Ioa. 4.

2.

3.

oritur exercitatio virtutum omnium ad Christianam perfectionem spectantium, quibus homo Deo assimilatur, dicente Domino: *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matt. 5
Unde etiam sequitur illud S. Apostoli, ut *speculantes gloriam Dei* per meditationem *transformemur in eandem imaginem transeuntes à claritate* cognitionis *ad claritatem* affectus, ac imitationem virtutum, donec ille *Deus Deorum* clarè tandem à nobis videatur *in Sion.* 1. Cor. 3. Ps. 27. 83.

Et quoniam cogitationis Dei in hac vitâ modus (sicut rerum spiritualium Magistri docent) duplex est: *unus speculativus*, procedens à naturali intellectus nostri lumine, per fidem illustrato, meditando Dei ipsius perfectiones, adhibito duplici speculo, creaturarum scilicet, ac S. Scripturæ, quibus in hac vitâ ad cognitionem juvamur: *alter practicus*, procedens à supremo dono Spiritus S. quæ *Sapientia* dicitur, quasi sapida scientia, ut in introduct. partis. 4. dictum est, fundatúrque in experientijs admirandis, quas nos ipsi in animabus nostris quotidie sentimus ex illustrationibus cœlestibus, & affectibus internis charitatis & amoris Dei, quibus aliquando *gustamus ac videmus* etiam in hac vita, quam *suavis sit Dominus* comprehendendo & experientia quasi palpando, *quæ sit latitudo* charitatis, *longitudo* æternitatis, *sublimitas* divinæ essentiæ, ac *profundum* sapientiæ Dei, quem *nosse, consummata justitia est*, & radix *immortalitatis*: quia vita immortalis ex æterni Dei cogni- S. Th. 2. 2. S. Dion. S. Bern. Bonav. Gerson. Ps. 33. Ephes. 3. Sap. 10.

tione & virtutum illius imitatione procedit: quæ quidem cognitio optimè eam experiendo addiscitur, sicut dulcedo mellis, aut vini efficacitas nunquam melius certiúsque cognoscitur, quam si delibetur, atque gustetur. Ideoque optare possimus (teste D. Thoma) Dei *voluntatem bonam, beneplacentem ac perfectam* cognoscere, ne ab eâ unquam deflectamus.

S. Th. 2. 2. q. 9. *Rom.* 11

Hinc cognoscitur quis sit finis principalis Medit. 5. & 6. part. scilicet prima Dei cognitio, ut secundam assequamur ac fruamur unitione bonitatis & voluntatis ejus. Et quamvis *Contemplationis*, præcipuus *scopus* sit ipsa divinitas, atque infinitæ perfectiones Dei, cum quo homo unus spiritus efficitur, ad eam tamen etiam spectant mysteria humanitatis, atque Incarnationis Filij Dei, ipsomet testante, *hanc esse vitam æternam, ut cognoscamus Deum verum,* & vivum, *& quem* ille *misit, Jesum Christum,* qui & delitias spiritales in sacræ humanitatis suæ cognitione constituit, dicens: *Ego* qua homo *sum ostium,* per quod ingredi licet ad Deum: *per me si quis introierit,* vera fide credens in me & in Patrem, salvabitur, *& ingredietur, & egredietur* à mysterijs humanitatis ad altissima secreta supremæ divinitatis, & *pascua inveniet* spiritalis devotionis ad animæ refectionem, &c.

Ioa. 17. *Ioa.* 10.

Et quoniam Christus duplicem vitam traduxit, unam mortalem & patibilem; alteram immortalem & impatibilem; Meditationes quintæ partis

partis (quæ sunt de vita ejus gloriosa) propriè pertinent ad perfectos, qui *Christum norunt non secundùm carnem* patibilem, *sed secundùm spiritum* glorificatum. 2. Cor. 5.

MEDITATIO PRIMA.

Descensus Animæ Christi ad inferos.

PUNCTUM PRIMUM.

Limbus quid.

ERat limbus locus in inferioribus terræ partibus, unde etiam vocatur infernus, in quo detinebantur animæ omnium justorum jam purgatæ, expectantes redemptionem per Christum: quarum erat occupatio desideria illius ardentissima, qualia fuerunt Prophetarum in hac vita, imo & multo ferventiora, & ita dicebant: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, & similes voces: quos Joannes Baptista ante Christum defunctus, spe solatus fuerat adventantis Salvatoris, ad ipsos liberandos. In quo etiam præcursoris munus exhibuit. Cogitabo similiter me ipsum in hoc corpore, tanquam carcere detentum, cupiámque dissolvi, & esse cum Christo, ingemiscens cum Divo Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*? & cum Davide: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi: ubi est*

Suspiria. Ps. 8. 48.

Documentum.

Rom. 7. 24. Ps. 41. 4. 14. 18.

est Deus tuus? & *Educ de custodia animam meam, ad confitendum tibi.*

PUNCTUM II.

Christi descendentis ad limbum,

AD hunc limbum descendit anima Christi, statim ac in cruce expiravit, unita hypostaticè Verbo, sicut & corpus in cruce mansit unitum. Poterat absque personali suo descensu liberare illas animas, vel solo verbo, ut Lazarum ex monumento, vel per Angelos; at quæ bonitas illius est, & charitas, voluit per se id præstare, sicut scriptum erat: *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Sic etiam poterat salvare nos, absque descensu de cœlo, sed non erat satis suæ charitati. Nec charitatis tantùm fuit, sed humilitatis, eo se dimittere, ut non ad terram solùm homo factus descenderet, sed etiam *ad inferiores partes terræ*, ut ait Paulus: unde meruit ascendere super omnes cœlos, quia, *qui se humiliat, exaltabitur.*

1. Charitas

Zach. 9. 11.

2. Humilitas.

Ephes. 4. 9.

Luc. 14. 11.

PUNCTUM III.

Descensus qualis.

DEscensus iste fuit glorioſissimus cum magno Angelorum comitatu, qui cogitari possunt præeuntes dixisse infernalibus potestatibus: *Attollite portas, & introibit Rex gloriæ:* ac quærentibus, *Quis est iste Rex gloriæ*: respondisse: *Dominus fortis est potens, Dominus potens in prælio. Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Dominus est virtutum, quia omnes eminentissi-

Ps. 23. 10.

Christus est Dominus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nentissimè habuit, & exercuit: sed & virtutum cœlestium, qui sunt Angeli; nam ei omnia parent, cùm sit omnipotens. Ergo, *confiteamur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filijs hominum, quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit:* ô! idem faciat in me, conterendo & frangendo quidquid obstat in animam meam ingressui, ut sunt peccata, pravæque affectiones, & consuetudines.

virtutū. *Ps.* 106. 15.

PUNCTUM IV.

QVod ad ingressum suum, illuminaverit loci illius tenebras, & multò mirabilius animas ipsas Justorum, impertiens illis claram visionem divinitatis, sícque illud implens de Sapientia æterna dictum: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ: & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino,* quantum illic gaudium? quales gratiarum actiones? per choros distributi Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Reges, Martyres, & in his Innocentes ab Herode interfecti, obstupefacti tanta circa se bonorum affluentia, laudabant auctorem uno ore dicentes: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Inter quos plausus sanctæ illius beatitudinis ipsa Christi anima mirificè exultavit, impletum videns promissum illud: *Pro eo quod laboravit, anima ejus videbit & saturabitur: ideo dispertiam ei plurimos, & fortium*

Limbum Christus illustravit.

Eccl. 24.

Lætitia animarū

Apoc. 5. 12.

Lætitia animæ Christi.

Ps. 53. 11.

tium dividet spolia pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. O utinam sim ego ex spolijs Christi, ex ijs, quos ille eximit à potestate diaboli. Discam etiam hinc longanimis esse, sperando ut Sancti illi, quia tandem venit laborum finis, & interminabilis succedit requies.

PUNCTUM V.

Quamdiu in limbo mansit.

MAnsit Christus in limbo usque ad Resurrectionem suam, per horas circiter quadraginta. Interea advenit anima latronis boni, quam Christus beatificavit, juxta promissum: *Luc. 23. 43.* *Hodie mecum eris in Paradiso*, quin coram cœtu illo Sanctorum eum collaudavit de confessione sibi exhibita inter contumelias crucis: & Sancti ipsi valde ei propterea gratulati sunt. Deinde fit credibile, animas ex purgatorio liberatas à Christo fuisse, applicato sui sanguinis pretio, atque ad reliquos Sanctos, & beatos fuisse aggregatos.

Purgatorij spoliatio.

Damnatorum rabies.

Damnati sine solatio relicti sunt, imo confusione affecti, quod medijs salutis uti noluissent, ac nominatim Judas, qui tam proximus Christo fuerat, & malus latro, qui etiam Christo illuserat.

Confusio Dæmonum. *Luc. 11. 21. Col. 2. 15*

Denique fremebant tartareæ potestates, cernentes se vinctas & impotentes ad resistendum, & tot spolia per annos ferè quinquies mille congregata unico momento sibi detrahi à *fortiore superveniente*: qui *expolians principatus traduxit*

duxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

MEDITATIO II.

De Resurrectione Christi.

PUNCTUM PRIMUM.

Non integris trib⁹ dieb⁹ & noctibus distulit resurrectionem, sed secundùm partem, quia acceleravit lætificare suos mœstos de ejus morte, & mundum totum gloria sua illustrare. Vitæ tempus fuit dies, mortis verò fuit nox: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, diei per triginta tres annos, noctis autem horis triginta sex. Festina, obsecro, animam meam tua gratia visitare.

Resurrectio Christi accelerata.

Ps. 18. 6.

Circa noctem voluit mori, circa manè surgere, quia moriebatur propter delicta nostra, quæ tenebræ sunt: *resurgebat autem propter justificationem nostram*, quæ est lux, utque luctum abstergeret, gaudium conciliaret. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

Cur nocte mortuus manè resurgit.

Rom. 4. 25.

Ps. 29. 6.

Egressa est ex limbo anima Christi cum insigni & numeroso illo comitatu mirificè læta, usurpans illud: *In baculo meo* (crucis) *transivi Jordanem* (passionem) *& nunc cum duabus turmis egredior.* Cui accinebant turmæ. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum*

Lætitiæ animæ Christi egredientis.

Gen. 31. 10.

Exod. 15. 1.

quum & ascensorem dejecit in mare : fortitudo mea, & laus mea Dominus.

PUNCTUM II.

1. PErrexit anima Christi cum suis comitibus ad sepulchrum, eísque ostendit corpus exangue atque lacerum, ut intelligerent quanti ipsos feciſſet: quo spectaculo obstupuerunt, & laudaverunt pariter suum Redemptorem.

2. Sanguis Christi collectus *Luc.* 11. 18. Collegit Christus ministerio Angelorum omnem sanguinem per loca varia sparsum, & suis venis reddidit: tum etiam capillos evulsos, ut dictum ejus in ipso quoque impleretur, *capillus de capite vestro non peribit.*

Transfiguratio corporis resumpti Post hæc resumens anima corpus, unguenta, & pedorem omnem absterſit, & longè meliùs, quàm in monte Thabor, illud immutavit: nam primò animales imperfectiones dempsit, mortalitatem & paribilitatem, necnon ponderositatem ad ima: dein charitate affecit præ quavis creata luce, etiam solis: & emicabant præcipuè illa quinque foramina fulgore mirifico: Subtilitas. subtilitatem etiam contulit, quâ factum ut ex sepulchro clauso egrederetur, quemadmodum nascens ex utero Virginis: nam & hæc fuit quædam nativitas, testante ipso æterno Patre de *Act.* 13. 33. hac die: *ego hodie genui te*: sicut in actis exponitur: nisi quod in priore natus est ad labores, & humanis subjectus miseriis: in posteriore autem ad meram felicitatem & gloriam. Quare jam gloriâ & honore coronatus gratias

as egit Patri, sic eum allocutus : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar.* *Ps.* 29. 12

PUNCTUM III.

AD hujus actus celebritatem convenerunt Angeli magnâ frequentiâ, gratulantes Christo, ejúsque triumphum celebrantes : nam sic illud Pauli intelligi potest : *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : & adorent eum omnes Angeli ejus.* Primò enim introduxit Pater æternus Filium, quando in Bethlehem natus est, nunc secundò, quando resurrexit. Atque ita Canticum illud Angeli iteratunt. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Gratulemur igitur & nos : quia *hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Angelorum occursus. *Hebr.* 1. 6. *Luc.* 2. 14. *Ps.* 127. 24.

PUNCTUM IV.

VOluit Christus glorificationem corporis cum alijs communicare, quorum monumenta in ipsius morte fuerunt aperta. Id fecit pro bonitate sua, quæ avebat se alijs quoque communicare. Deinde, ut in eo nos confirmemur, in spem similis gloriæ participandæ. Præterea, ut adumbraret resurrectionem spiritualem nostram : *Vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ac inprimis, *uti Christus resur-* Sanctorum quorũdam anticipatur resurrectio Documenta. *Rom.* 6. 4.

resurgens à mortuis jam non moritur, ita nos ad priora peccata non amplius revertamur : ut ille impatibilis resurrexit, ita nos passionibus pravis non simus obnoxij. Pro claritate corporis illius, ut intus illustremur ; pro agilitate, ut simus quàm promptissimi ad voluntatem Dei exequendam ; pro subtilitate, ut nihil terrenum nos retardet, quin ad cœlum penetremus, ibique sit conversatio nostra : atque ita glorificati corporis dotes ad animam pro hac etiam vita transferamus.

2. Sed considerandum, quòd illi tantum resurrexerunt, quorum sepulchra aperta fuerant in Christi morte, hoc est, qui Christi passione operante, conscietias suas rite aperiunt confitendo, & dolore cordis scinduntur. Neque tunc omnes justi resurrexerunt, sed qui in morte illius, corde sciſſi sunt, ut illæ petræ : nam *si compatimur, & conglorificabimur.*

Rom. 8. 17.

3. Licet etiam observare quod qui resurgunt, alij quidem ligati instítis, ut Lazarus ; alij, ut Christus, relicta sindone & sudario : illi sunt, qui non deposuerunt pravas affectiones, & impedimenta isti autem, *qui expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induunt penitus novum, qui secundùm Deum creatus est.*

Col. 3. 9.

MEDITATIO III.

Apparet Matri, & annuntiatur ab Angelis Resurrectio.

PUNCTUM PRIMUM.

Resurrectio Christi manifestatur tripliciter.

TRes manifestationis modi, 1. per Sanctos, qui tunc simul resurrexerunt, & *apparuerunt multis* in Jerusalem, ut habet Matth. testificantes Christi resurrectionem, & gloriam. 2. Per Angelos ad sepulchrum. 3. Per seipsum, *præbens seipsum vivum in multis argumentis per dies quadraginta*, pro majore confirmatione & solatio suorum, atque ad testatiorem faciendam resurrectionem suam. *Matt.* 27. 53. *Act.* 1. 1.

Solet Deus se animæ manifestare similibus modis, per viros sanctos, per Angelos, & per seipsum, de quo ait: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* *Ioan.* 14. 21.

PUNCTUM II.

1. Apparet Matri. *Ps.* 56. 9.

APparet primum Matri, ut certissimè credenti, ita ardentissimè desideranti, & expectanti conspectum Filij, illúdque usurpanti: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*, hoc est, laus & gaudium meum: adest enim dies tertia, & dixeras: *exurgam diluculo.*

In hac expectatione defixæ Matri apparet Christus in omni claritate quam habebat, confortans illius sensus, ut ferre possent illius majesta-

lestatem: impletúmque in Virgine ex parte illud
Ps. 16. 15 est: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ineffabile est quod illa sensit: æstimari autem ex parte
Ps. 39. 19 potest, eo quod *secundùm multitudinem dolorum ejus in corde suo consolationes divinæ lætificaverunt animam ejus.* Quæ mutuò tunc dicta & acta, quis memoret? Haud dubiè sacra vulnera, quæ cor Matris perfoderant, suavissimis
1. Cor. 2. 9. osculis demulsit, hausitque inde, quantum *in cor hominis non ascendit.*

Insigni comitatu. Adfuere cum Christo tres chori, Angelorum unus, alter animarum Sanctarum, tertius Sanctorum resuscitatorum, qui gratulati sunt Virgini, & dignitatem à tali Filio, & de Resurrectione ejus gaudium, gratiásque egerunt pro obsequijs in vita mortali exhibitis, in quo fuisset cooperata redemptioni mundi. Excepit eos Virgo magno sensu lætitiæ, conspecto jam in ipsorum liberatione tam insigni fructu mortis Filij sui. Nec abs re credi potest multitudinem cœlestis exercitus Angelorum qui aderat, sicut nascenti Domino occinuerunt laudes apud pastores, ita resurgenti in hac corona, & congressu Filij cum Matre, similiter fecisse, decantantes illud: *Regina cœli lætare alleluja, &c.* nam & hanc antiphonam ab Angelis acceptam fuisse traditum est.

PUNCTUM III.

SUb idem tempus Magdalena & reliquæ mulieres venerunt ad monumentum, ut ungerent

gerent Jesum. In quibus laudanda est. 1. Obedientia legis, quia Sabbato quieverunt, licet maximè desiderarent quamprimum hoc officium præstare. 2. Diligentia: quia cùm adhuc tenebræ essent, dederunt se itineri, sexus aliqui timidus. Sic vult quæri Deus: *Qui manè vigilant ad me, invenient me*, & ante solis ortum colligi debebat manna. 3. Perseverantia in cœpto, licet euntibus offerret se difficultas: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Et respondit Deus perseverantiæ illarum, revoluto lapide.

1. Obedientia.

2. Diligentia. *Prov.* 8. 17. *Sap.* 16.

3. Perseverantia.

PUNCTUM IV.

CUm appellerent ad monumentum: *Angelus Domini descendit de cœlo, & revolvit lapidem ab ostio monumenti, & sedebat super eum: erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Exterriti autem sunt custodes, & facti velut mortui.* Sed mulieres idem Angelus confortavit: *Nolite timere vos*: timeant illi qui Christo adversantur, non vos qui ipsum quæritis. *Veruntamen non est hic: surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum, ubi positus erat Dominus.*

Matt. 28 Apparet Angelus

Sumpto animo, mulieres ingressæ sunt cryptam, & consternatæ cùm hærerent, quod in sepulchro, quod excavatum erat in petra, non inveniissent corpus Jesu: *Ecce duo viri steterunt juxta illas ad caput & pedes sepulchri in veste fulgenti: cùm timerent autem & declinarent*

rent vultum in terram, dixerunt ad illas: quid quæritis viventem cum mortuis? non est hîc,
Luc. 24. 4. *sed surrexit.* Atque ad excitandam hujus rei fidem, subdunt. *Recordamini, qualiter est locutus vobis, quia oportet filium hominis tradi & crucifigi, & tertia die resurgere? recordatæ sunt verborum ejus.* Confirmarunt posteriores duo Angeli idem quod prior affirmaverat, & utrique allegarunt prædictionem à Christo factam.

Christi cognomen. Observa, quod Angelus vocat *Jesum crucifixum Nazarenum*: quasi novum cognomen sortitus sit, ut nominetur *Crucifixus.* Quærunt
1. Cor. 2. 2. Jesum crucifixum, qui profitentur cum D. Paulo: *se nihil scire nisi Christum, & hunc crucifixum.* Idem Christus est *Nazarenus*, sive floridus, cujus *floribus fulciri petit sponsa cùm*
Cant. 2. 5. *languet amore.*

Angeli boni est reducere verba Christi in mentem, ad excitandos bonos motus, & ad docendum: item suaviter redarguere vacillantem, ut hîc: *quid quæritis viventem cum*
Marc. 16. 7. *mortuis?*

Jubet renuntiari resurrectionem *discipulis & Petro:* huic præsertim, ut erigeretur ejus animus; & intelligeret suam pœnitentiam fuisse acceptam Deo. *Regressæ* igitur *sunt mulieres à*
Matt. 28. 8. *monumento, cum timore & magno gaudio currentes, ut nuntiarent Apostolis.*

ME-

MEDITATIO IV.

Apparet Magdalenæ.

PUNCTUM PRIMUM.

MAgdalenæ, ex qua septem dæmonia Dominus ejecerat (hoc est, peccatorum multitudinem) primò apparet: quia præteritæ culpæ non obstant, quando novis obsequijs & charitatis fervore compensantur : quod feciſſe, præ reliquis, Magdalenam satis constat. Magdalenæ fervor.

PUNCTUM II.

MAgdalena cæteris abeuntibus, manſit apud sepulchrum. Fuit quidem ex imperfectione fidei, quod Angelis non crederet, Dominum surrexiſſe : sed ex fervore tamen amoris, quod Christo carere nequiret: & quo vivo frui non poterat, mortuo volebat.

Stabat ad monumentum, non sedebat, quippe anxia & sollicita, & circumspiciens omnia inclinavit se, & prospexit in monumentum, quamvis anteà vidiſſet eum abeſſe. Amor nunquam sibi fecit satis nec deſtitit ab ijsdem studijs pietatis, pro inveniendo dilecto.

Vidit duos Angelos ad caput & pedes sepulchri, qui eam interrogant : mulier, quid ploras? non cohibuit impetum lachrymarum angelicus aspectus, sed irritavit magis ea interrogatio : Quomodo non plorem ? Quæ mihi consolatio contingere potest sine illo ? ita affecti esſe Ioan 20. 13.

Ps. 113. 4 se debemus. *Si dedero somnum oculis meis, donec inveniam locum Domino* in corde meo. Ita *sponsa per vicos & plateas quærebat dilectum.* Hæc justa lachrymarum causa, amissio dilecti. Id autem fit, vel per peccatum mortale, vel quando se subtrahit etiam justis.

PUNCTUM III.

Consolatur Magdalenam sensim.

CHristus compellat Magdalenam. Non statim se manifestat, sed per gradus & sensim. Primò ad aliquem velut adventantis sonitum, *conversa retrorsum vidit Jesum stantem*, sic eos, qui Deo vertérunt dorsum; solet ille, quasi à tergo commonere, ut apud Isaïam: *Aures tuæ audiunt verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea*, & ad sponsam: *Revertere, revertere Sunamitis, ut intueamur te.*

Joan. 20. 14. *Isa.* 30. 21. *Cant.* 6. 12.

Cur Magdalena Christũ non novit.

Non agnovit Christum Magdalena: quia alieno habitu se ostenderat, ob imperfectam ejus fidem: sic nos, quia tepidè credimus, præsertim in Eucharistia, quasi non agnoscimus, nec pro tali reveremur. Ut hortulatum se exhibet, quia egemus cultura.

Quid interrogando Christus intendit

Deinde alloquitur eam Christus: *Mulier quid ploras? quem quæris?* cùm Deus quærit, subest aliquid, quod improbat, quod quasi nescire videtur, quia non scit ita ut probet. Ita Magdalena non rectè quærebat mortuum, quem resurrexisse credere debuerat: unde tacitè arguitur. Docemur examinare causas nostrorum affectuum, quæ sæpe non sunt sinceræ:

ræ : quia nos magis, quàm Deum quærimus, aut non, ſicut oportet.

PUNCTUM IV.

Magdalena exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei : Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, ubi poſuiſti eum : & ego eum tollam. Apparet fervor amoris: 1. quòd tota in dilecto poſita, loquitur de illo, quaſi de re omnibus nota, *ſi tu ſuſtuliſti eum.* Quemnam videlicet? *ubi eſt theſaurus, ibi & cor.* Quòd amor inducit oblivionem ſui, ut homo loquatur, aut agat quædam minus in ſpeciem convenientia, ut cùm *David ſaltabat coram arca* : unde etiam irriſus eſt : ſic iſta quærit an ſuſtulerit : cùm non eſſet probabile, ut, cùm dominus horti ibi ſepeliviſſet Chriſtum, hortulanus abſtuliſſet. 3. Amor audet difficilia. Quomodo tolles tu? & an, quem Pilatus cuſtodire juſſit, ne auferretur, ut tolles? tollam ego eum, ſicuti hortatur Paulus: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, & ut vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Et alibi, *Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

Ioan. 20. 15. Vis amoris Magdalenæ apparet. 1. *Matt.* 6. 21. 2. 2. *Reg.* 6. 1. 16. 3. 2. *Cor.* 4. 10. 1. *Cor.* 6. 20.

PUNCTUM V.

CHriſtus ſe manifeſtat Magdalenæ, tantùm compellans nomine proprio, *Maria. Sermo Dei vivus & efficax* : abſtergit lachrymas, mentem illuminat, replet gaudio : ita contingit

Chriſtus ſe manifeſtat Magdalenæ. *Heb.* 4. 11

git ijs quos Deus novit ex nomine. Magdalena viciſſim verbum verbo reddit, *Rabboni*: Magiſter mi! vocabulo aliàs ei uſitato compellat: ideo etiam, quod ipſam tunc compleſſet ſcientia ſui Magiſter bonus.

Accedit ad pedes; ſed prohibetur tangere: docetur jam non agendum, ut aliàs, quando mortalis inter homines verſabatur. Amor non minuat reverentiam majeſtatis. Repellitur etiam ob imperfectam fidem: nam rationem reddit: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*: hoc eſt, apud te exiſtimor qualis antea fui: non jam, ut glorificatus, & mox ad Patrem aſcenſurus.

Jubet renuntiare Apoſtolis: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.* O, amica ſalutatio! Pater meus per naturam, veſter per adoptionem, Deus meus unitate eſſentiæ, veſter unione charitatis.

MEDITATIO V.

Apparet alijs mulieribus.

PUNCTUM PRIMUM.

Magdalena aliis nuntiat reſurrectionem.

MAgdalena ad ſepulchrum remanente, reliquæ mulieres feſtinarunt renuntiare Apoſtolis, quæ viderant, nempe Chriſtum in ſepulchro non eſſe, & viſionem Angelorum. Interea

terea Magdalena, cùm vidisset Dominum, læta properavit, assecuta est socias (ut quidam probabiliter putant) quas accendit desiderio videndi Christum, narratione apparationis sibi factæ Christus ergo sedulitatem illarum, adeundo sepulchrum, & excitatum in eis desiderium, uti est bonus, frustrare noluit, simúlque progredientibus, ac de ipso loquentibus exhibuit sese, ita salutans : *Avete*: & quia verbum ejus est efficax, impertijt quod eis precabatur, verum cordis gaudium & pacem; tale precatus Gabriel Mariæ : *Ave gratia plena.* Nimirum benedictio illa, quam inchoavit Incarnatio, consummavit Resurrectio. Disce, quòd Deus, studiosè, & perseveranter ipsum desiderantibus tandem se præbet. Opta tibi illud *Ave*, à Domino.

PUNCTUM II.

ACcedentes mulieres tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum : summa reverentia accesserunt, & ita permissæ sunt tangere, & osculari, ac pro studio, quod voluerant Dominum in sepulchro ungere, & ipsæ unctæ sunt oleo lætitiæ & exultationis à Domino. Mulierum reverentia

PUNCTUM III.

TVnc ait illis Jesus : *Nolite timere*: *ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Idem prorsus Angeli monuerunt : *Matt.* 28. 10.

runt: sic solet Deus servorum suorum astruere dicta. Jubet in Galilæam ire, ut in locum quietiorem, quo meliùs ipsius præsentia fruantur. Ita, licet inter distractiones occupationum ostendat se aliquando nobis, oportet captare tamen secessum quietum: id etiam monet vocabuli notio. Nam Galilæa significat transmigrationem, quæ debet fieri & à vitijs & à tumultu, ut videatur Deus.

Jubentur ire in Galilæam.

Dulce autem quod fratres vocat: non ita Angelos, quia non hos, sed semen Abrahæ apprehendit, homo factus, non Angelus. O, sim etiam frater similitudine virtutis & sanctitatis! Dicito mihi Jesu, frater meus es, & fac quod dicis, ut sim verè.

MEDITATIO VI.

Petrus & Joannes adeunt sepulchrum, & apparet Dominus Petro.

PUNCTUM PRIMUM.

MUlieres nuntiant Apostolis lugentibus & flentibus, & non crediderunt illis: *sed visa sunt quasi deliramenta.* Tam ægrè homo avellitur à sensibus: quamvis prædixisset Dominus Resurrectionem suam, & Lazarum atque alios ab ipso resuscitatos vidissent Apostoli, tótque alia miracula; tamen hærerent. Extrema vitanda sunt, levitas credendi, & duri-

Luc. 24 11. Fides quàm difficilis

ties:

ties: nec pro deliramento habendum, quidquid à simplicioribus affirmatur, sed prudenter examinandum.

PUNCTUM II.

PEtrus & Joannes accurrunt ad sepulchrum, qui quidem non deliramento habuerant revelationem factam mulieribus, sed investigare indicia prudenter voluerunt. Et ausi sunt ipsi quoque, non obstante custodiâ sepulchri, illuc pergere. Non apparuerunt eis Angeli, quia sufficiebat relatio mulierum, & indicia sudarij & linteaminum. Unde etiam reduxerunt ad mentem Christi prædictionem. Duorum discipulorum prudentia.

In Petro & Joanne signantur fides & charitas, per quas Christus quærendus. Petrus prior ingreditur, quia & fides: mox sequitur charitas; utraque autem roboratur, viso sepulchro. In ijsdem exprimitur vita activa & contemplativa, illa ad hanc disponit per exercitium virtutum. Eorundem fides & charitas.

PUNCTUM III.

CUm redirent Petrus & Joannes, videtur Petrus solitarius ambulasse, ut ait Lucas: *secum mirans quod factum fuerat.* Talia igitur meditanti apparuit Christus, sæpe magni peccatores existunt digni majoribus favoribus, ob fervorem conversionis suæ, quam alij, qui non ita ceciderunt. Prima mulier & primus vir, *Luc.* 24. 12. Petri diligentia.

quibus in Evangelio legitur apparuisse, fuerant tales; Magdalena & Petrus: *Vbi abundavit delictum superabundavit gratia.* Hinc confidam, quamvis peccator: sed sui victoria præclara opus est.

Rom. 5. 20.

Petri pudor.

Petrus confusione plenus procidit ad pedes Christi, qui illum suavissimis verbis solatus est, & animavit: tum jussit ut condiscipulos confirmaret in fide resurrectionis.

Præstitit id Petrus: unde jam non pro deliramento habebant, sed asseveranter dicebant: *quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: tantum potuit testificatio Petri præ mulierum asseveratione.

MEDITATIO VII.

Apparet euntibus in Emaus.

PUNCTUM PRIMUM.

DUo illi discipuli tristitia & timore affecti, ob ea quæ circa Christum acciderunt, secesserunt Ierosolyma, solatium aliunde quærentes. Non est idcirco à consortio discipulorum Christi recedendum propter adversa.

Adfuit autem illis Christus, tum pro sollicitudine sua circa oves suas errantes, tum ut afflictis solatium afferret: tum, quia de ipso colloquebantur. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Matt. 18. 20.

Non

Non agnoverunt illi Christum, quia fide nutabant, & quia nimia tristitia tenebantur: sæpe Deus adest tribulatis, quando ipsi non putant.

PUNCTUM II.

CHristus suaviter discipulis se insinuat: *Qui sunt hi sermones quos confortis ad invicem, & estis tristes?* Ex ipsis intelligere vult, quod alioqu novit, ita delectatur talibus sermonibus de Deo, ut sibi reperi velit. *Respondent autem de Jesu Nazareno, qui fuit potens opere & sermone coram Deo & omni populo:* Magnifica æstimatio quæ consistit in quatuor circumstantijs: *potens opere & sermone.* Prius cœpit facere, postea docere. Doctrinam factis confirmavit, tum miraculis, tum exemplis: *coram Deo*, ad placandum ipsum nobis: *coram populo*, ad convertenda hominum corda, Deo, & hominibus comprobantibus. Studeam esse talis, potens exemplo & verbo apud Deum, studio orationis, unde valeam etiam homines convertere. *Luc. 2. 15* Suavis in agendo Christus.

Sed, quæ est imbecillitas humana, ostendunt se excidisse à spe. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël*: ita nos, quando ex sententia nostra non fit, putamus rem perditam: scilicet non assequebantur illi, quomodo Christi mors cedere posset, præsertim tam ignominiosa, ad redemptionem Israël. Imbecillitas in fide.

PUNCTUM III.

Aſperè reprehendit illos Chriſtus

CHriſtus eos acriter redarguit, ut fidem excíter. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum. Stultos* vocat, quod, cùm toties prædixiſſet de ſua morte, tamen diffiderent de Redemptione, eò quòd mortuus eſſet. *Tardos* autem, quòd, cùm indicia haberent de reſurrectione ipſius, nihil eis moverentur : nam repulerant teſtimonium mulierum, quæ ab Angelis de reſurrectione didiciſſent. Reddit autem rationem cur debuerit mori ? *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam* ? ſuam, quia alioqui debitam, quòd Filius Dei eſſet. Quod ſi ille ſic per paſſionem debuit intrare, quomodo non etiam nos ? quare *ſtulti & tardi corde* ſumus, ſi in tribulationibus deficimus, non attendentes, quia ita oportet intrare in gloriam Dei. Tandem, *incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis ſcripturas quæ de ipſo erant* : ídque tam efficaciter, ut cor eorum exardeſcere, ſicut poſtea profeſſi ſunt. Opto, Domine, ut nihil ſimiliter myſteria tuæ mortis aperias, ut totus igneſcam.

Profunda dicti ratio.

PUNCTUM IV.

Simulat Chriſtus abitum.

INvitatur Chriſtus ad manendum, ille *ſe finxit longius ire*, indicium præbens pergendi ulterius : nam etſi cupit nobiſcum eſſe, vult tamen deſiderari, & rogari; & per pium opus hoſpita-

pitalitatis, dum rogant, voluit dignos reddi, qui ipsum exciperent.

Quin *coëgerunt illum*: vult cogi Dominus instanti oratione, ut Jacob Angelum coëgit: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et est in negotio salutis ita studiosè agendum, ut si Deum cogere velimus: Agunt etiam ratione; *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit & inclinata est jam dies.* Appellant Dominum conceptâ ex sermone ejus reverentia. Advesperascit in anima, quando illa tepescit, & propinqua est morti: appropinquatio etiam ad mortem corporis, vespera est. Diligam te, Domine, ut venias ad me, & facias mansionem apud me.

Christus cogi gaudet. *Gen.* 32. 26.

Oratio illorum.

PUNCTUM V.

Agnoverunt Christum in fractione panis. 1. voluit agnosci in exercitio boni operis, ut commendaret hospitalitatem erga pauperes, & peregrinos. 2. quia ea vis est panis cœlestis, illuminare mentes, multò magis quàm *mellis à Jonatha degustati.* Creditur enim Evchariſtiam porrexisse. *Luc.* 24. 30.

1. Hospitalitas.

2. Evchariſtia.

Ubi *aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, evanuit ab oculis eorum,* quando maximè frui aspectu illius voluissent. *Visitas hominem diluculo, & subito probas illum.* Solent hujusmodi visitationes esse breves: & vult Deus nos bonis operibus intendere. Sic isti confestim advolarunt, ut Apostolis nuntiarent. 1. *Reg.* 14. 27.

Evanuit statim. *Iob.* 7. 18

MEDITATIO VIII.

Apparet discipulis congregatis eodem die.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Cur sero apparuit

SEro apparuit: distulit ob tarditatem quorundam ad credendum; & ut desiderium magis acueret credentibus, & ut minus jam exspectatus, plus lætitiæ afferret. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit*: &, *cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* *Habac.* 2. 5. *Iob.* 11. 17.

2. Cur clausis januis.

Venit *clausis januis*, ut intelligeretur corpus ejus esse glorificatum, & dono subtilitatis affectum, ad penetrandum quævis corpora: & quod similiter possit in animam ingredi, & pro libitu eam inflectere, nullo obstaculo prævalente, & quod placeant sibi illi, atque ad eos libenter ingrediantur, qui clausas habent fores cordis, nempe sensus, séque collectos servant. Ingredere ad me, Domine, perrumpe obstantia, fac sim tibi custoditus, clausus vanitatibus.

3. Cur in medio stetit.

Stetit in medio eorum, sic dictum suum implens: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* In medio est, ut sol collustrans, ac Magister docens: ut Pastor congregans, & providens ovibus: ut mediator inter Deum & homines, ipsos inter se pacificans: denique, ut protegens sub alis suis. Contingant eadem mihi, & sit anima mea ut do-

domus clausa, in qua tres animæ facultates, memoria, intellectus, & voluntas congregentur in nomine Christi ad orationem ; aderit ille haud dubiè in medio illarum.

PUNCTUM II.

SAlutat discipulos : *Pax vobis* ; *ego sum, nolite timere*, pacem impertit acquisitam morte sua, quam aliàs promiserat, *Pacem meam do vobis*. Ego sum ille ipse, qui aliàs vobiscum versatus sum ; proinde faceſſat timor omnis : me protegente, tuti eritis adversus furorem, & insidias Judæorum, omniúmque inimicorum. Vel, *nolite timere*, tanquam ab umbra aliqua : ego ipse sum. Et hunc sensum probant sequentia : nam, *conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre.* Salutatio. *Ioan.* 14. 27.

Domine, imperti mihi quoque hanc pacem, quam mundus non potest dare ; pacem cum Deo; pacem cum fratribus meis; pacem mecum ipso, ut caro obsequatur spiritui, non contra, & cesset rebellio.

Porro Christus turbatos discipulos benignè demulcet, invitans ad palpandum corpus : *quia spiritus*, inquit, *carnem & ossa non habet* : & ad inspicienda vulnera, *ostendens eis manus & pedes, & latus.* Hæc vulnera reservata sunt ad sanandam infidelitatem, & pusillanimitatem discipulorum : & ita evenit. Nam ad ea accedentes cum magna reverentia, atque tangentes, confestim illuminati sunt, & in fide roborati : Christi benignitas.

rati : ſubditur enim : *Gaviſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.*

Olim, qui tangebant Arcam, moriebantur : jam qui meliorem : tangunt Arcam, ipſam Chriſti humanitatem, vivificantur : ſcilicet veteri timoris legi nova ſucceſſit amoris. O ſi mihi inter illos accedere licuiſſet, contingere oſculari ! Facio id modo ex intimo corde, ſperans inde ſanitatem animæ meæ.

PUNCTUM III.

Mira amoris vis.

COmedit, ad teſtandam veritatem corporis; aliquibus adhuc non credentibus, quamvis palpaſſent, eſu mellis & piſcis fidem facit. Mira dignatio, pro lucrandis incredulis, facit rem ſuo ſtatui non convenientem, ut edat. Sic oportet remittere de gradu noſtro & jure, pro ſalute proximorum.

Myſterium comeſtionis.

Habent etiam myſterium *piſcis aſſus & favus mellis* : ille humanitatem Chriſti igni paſſionis aſſam, hoc autem divinitatem omnis fontem dulcedinis ſignificat. Vtrumque hoc, ante mortem ſuam, Chriſtus in cœna ultima comedit, dedítque diſcipulis ſuis in cibum, quo animæ ſumentium charitate flagrent, & ſpirituali dulcedine repleantur.

Petijt ipſe Chriſtus dari ſibi aliquid *ad manducandum, oblatúſque ei eſt piſcis, & mel.* Nempe hic divinus cibus eſt etiam ſacrificium, quod in gratiarum actionem Deo offerimus, oblatúmque ſemel, de altari ejus ſumimus in æternita-

nitatis alimentum : nam & Christus oblati cibi reliquias dedit Apostolis edendas.

Domine, & ego piscis sum in mari hujus sæculi, multo concupiscentiæ humore diffluens: assa me igne Spiritus Sancti, & condi gratia tua quasi melle, ut sim gratus tuo palato.

Tandem, ad reliqua exprimenda, adjecit Christus testificationem sacrarum Scripturarum, ad quas intelligendas, aperuit eis sensum sicut euntibus in Emaus, & arsit similiter procul dubio cor eorum.

MEDITATIO IX.

Christus dat discipulis Spiritum Sanctum in prima apparitione.

PUNCTUM PRIMUM.

DIxit illis iterum: *Pax vobis.* Primò dixerat: ut, mentis turbationibus discussis, apti redderentur ad capiendum mysterium Dominicæ Resurrectionis: pacata enim debet esse anima ad divina excipienda. Secundò pacem precatur, quòd necessaria sit ad munus Apostolicum, ad quod eos destinabat: pax nimirum cum Deo, & secum, nec non cum hominibus, qui juvandi sunt opera nostra. Petam ergo mihi bis pacem. *Joan.* 20. 21. Pax bis impertita.

Subjungit: *sicut misit me pater, ita ego mitto vos:* magna omnino dignitas, succedere Christo in opere suæ missionis non quidem per omnia Munus Apostolatus.

omnia, nec cum pari potestate, sed tamen, quoad annuntiandum mundo Regnum Dei, sicut
2. *Cor.* 5. 20. dicit Paulus, *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*: in quibus posuit verbum, *reconciliationis*: *Obsecramus igitur pro Christo, reconciliamini Deo*: in quo munere alij atque alij semper succedunt. Deinde comparativa illa, *sicut*, non similitudinem tantam officij significat, sed modum missionis, ut quemadmodum Pater filium suum ita misit, ut per multos labores & dolores perficiendum ei fuerit opus suum: ita & Apostoli, & quicunque alij se missos intelligant. Ad quod me offeram paratissimum.

PUNCTUM II.

Cur insufflavit. INsufflando dat Spiritum Sanctum: *insufflavit & dixit*: *Accipite Spiritum Sanctum.* Ideo insufflando dat, ut significet Spiritum Sanctum à se quoque procedere. Deinde quod idem ipse sit, qui Adæ insufflavit spiraculum vitæ, præbens animæ vitam, nitorem, motum, sensus, circa spiritualia & divina; & illo recedente, maneat anima instar cadaveris deformis. Quàm mihi hunc optem!

Præterea flatu abigimus à corpore, aut ab alia re quapiam leviora quædam, ut floccum, aut pulviſculum: ita hoc spiritu imperfectiones ab anima etiam minores efflantur.

Hæc insufflatio est pignus magni illius venti, quo datus est postea idem spiritus in Pentecoste:

coste: nam modò tantùm ad remittenda peccata, postea verò ad complures effectus datus est, ideò *in spiritu vehementi.*

PUNCTUM III.

TRibuit potestatem remittendi peccata: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Potestas Dei propria: nam ejus est remittere injuriam, cui facta est. Unde ait: *Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Potestas remittendi peccata. *Isa.* 43. 2

Hanc autem non communicavit Angelis, sed hominibus, ac in Veteri Testamento illius Sacerdotibus, nec à lepra mundandi (quæ typus erat peccati) potestatem fecit; sed declarandi tantùm, an mundatus quis esset: nunc autem etiam mundandi hominem ab ipsis peccatis: & committit hanc potestatem hominibus, etiam peccatoribus. Quanta potestas.

Sed poterat saltem hæc potestas restringi, at est quàm latissimè patens, ad omnes omnino peccatores, ad omne genus peccati (etiam contra Spiritum S. quod dicitur alioqui irremissibile) dummodo tamen ritè subjiciatur Sacerdoti; & ad omnem denique numerum criminum, ut dixit Dominus Petro, usque *septuagies septies*, id pro infinito usurpans: quam potestatem ab Apostolis in alios transmitti voluit, usque ad consummationem sæculi. Domine, liberalis es, & profusus de re quæ tibi magno *Matt.* 18. 22.

con-

constitit : sed videlicet non exhauritur, dum communicatur quibuscunque.

Quali jam sensu & fervore mihi accedendum est ad tribunal absolutionis, per veram peccatorum confessionem ?

MEDITATIO X.

Apparet secundò Apostolis die octava, præsente Thoma.

PUNCTUM PRIMUM.

Quatuor S. Thom defectus.

1. 2. 3. 4.

QVædam imperfecta in Apostolo Thoma. 1. quòd à cœtu aliorum se subduxerit : unde prima vice non vidit Christum. Nolim à communitate recedere, vel esse singularis. 2. Incredulitas, cum pertinacia, quidquid omnes alij testarentur. 3. Præsumptio, ut non aliter velit credere, nisi digitos & manus inferret in vulnera. Non oportet Deo præscribere, quid permittere debeat, aut quibus modis nos juvare. 4. Quod in ea dispositione manserit per octo dies, & flecti non potuerit, fortè etiam ipsa Christi matre contestante. Cavebo ab his quatuor. Permisit hoc Deus ad roborandam fidem suæ resurrectionis, ex Thomæ increduli testimonio. Et confirmatur hinc Christi dictum : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, quòd fides sit donum Dei.

Ioan. 6. 44.

PUN.

PUNCTUM II.

BOnitas Pastoris Christi, quærentis ovem perditam. Redit, ingreditur januis clausis, salutat ut prius: *Pax vobis.* Voluit in præsentia aliorum sanare Thomam: ut intelligeretur id ei conferri ob bonorum societatem, & ut omnes viderent Magistri charitatem: indeque consolationem acciperent, & ut qui fuerant testes Thomæ infidelitatis & incredulitatis, fierent etiam fidei, unde ipsimet confirmarentur magis.

Observa etiam comitatem qua alloquitur Thomam, atque illius cogitationum se conscium probans, invitat ad tangendum: *Infer digitum tuum &c.* & quia propter Thomam apparebat, cæteris omissis, hunc alloquitur.

PUNCTUM III.

COnfessio Thomæ. An tetigerit, non est expressum: quia ad aspectum tantum cicatricum potuit illustrari: sed credibile, quòd voluerit Christus ut tangeret, manúmq; Thomæ tenuerit & applicuerit.

Visis ergo, tactísque divino lumine perfusus est: & ardore charitatis incensus, exclamavit; *Dominus meus, & Deus meus*: non ait: *noster*, sed *meus*, pro singulari amore sibi exhibito. Non prædicatur beatus à Christo ob hanc confessionem, sicut Petrus: quia incredulus fuerat, & extorsit illam inspectio. *Illos* autem *beatos dicit, qui non viderunt & crediderunt*, qui non re-

Charitas Christi.

requiruntà ſenſibus teſtimonium, neque ſuo arbitratu exigunt indicia à Deo.

Fidei meritum

Dixit alibi Chriſtus: *Beati qui vident quæ vos videtis*: ſed in tantum ſignificat Beatos eſſe nos, qui exhibito jam Chriſto, & ejus gratia, & Sacramentis fruimur: *Reges & Prophetæ deſideraverant videre, & non viderunt*, quia eis datum non eſt ut illorum diebus veniret Salvator. Et denique beati cenſendi ſunt, qui vident Chriſtum, ſed non qui ideo credunt, quia vident, alioqui non credituri: ac ita quoque Thomas fuiſſet beatus cenſendus, ſi, quamvis non viſo Chriſto, credidiſſet: etſi inde tamen beatus, qui videre licuit. Viſio ergo Chriſti non adimit beatitudinem, ſed adfert: aufert autem, ſi viſio requiratur ad fidem. Nec qui vident in Evchariſtia Chriſtum, idcirco non beati quando etiam non videntes credunt: imò dupliciter beati; & quia vident, & quia credunt, licet non videant.

MEDITATIO XI.

Cur reſervaverit Chriſtus cicatrices in corpore glorificato?

PUNCTUM PRIMUM.

I. Cauſa ob fidē.

I. AD fidem reſurrectionis confirmandam in eodem prorſus corpore, quantumvis conciſo & malè affecto, ut Job, qui dicebat: & *in carne mea videbo Deum meum.*

Iob. 19. 26.

II. In

II. In signum triumphi: quòd per ea vulnera vicisset, & quòd de passionibus gloriaretur: unde nos excitaret ad patiendum, & gloriandum cum Paulo dicente: *Ego stigmata Domini mei Jesu in corpore meo porto.* Domine, ego servus tuus, nota me charactere tuo, unde agnoscar tuus, nec subducere me valeam à tuo servitio. II. In signū triūphi. *Gal.* 6. 17.

PUNCTUM II.

III. CAusa. Ut ei essent memoriale, quantum nos amarit, quantique rede merit: unde ad bene nobis faciendum excitaretur: *nam in manibus suis descripsit nos*: significat etiam apertas sibi esse manus, ad benedicendum nobis largiter, idque ab hianti corde, ex summo in nos amore. *Ponam* ego vicissim *te, ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum*: ut omnia opera mea ex amore tuo fiant, & ad te dirigantur. IV. causa. Ut essent in signum tanquam *arcus* cælestis, *& recordaretur Deus fœderis sui* nobiscum, *quod pepigit* in Christo. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ergo anima mea, *vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo, gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.* V. causa. Ut eorum aspectu nos vicissim commoveremur ad amandum & serviendum ipsi intendentes, quantum ille nos amaverit, quantaque pro nobis egerit quod latus manúsque perfossæ loquuntur. Invitamur etiam III. Ad memoriale Passionis. *Isa.* 49. 16. *Cant.* 8. 6. IV. Insignum reconciliationis *Gen.* 9. 14. *Ps.* 83 10 *Eccl.* 43. 12. V. Ad incitamentum amoris.

etiam, ut columba *ad foramina petræ, ad cavernam maceriæ.* Si milui infernales adoriantur nos, si mundus, & caro infestet, & huc confugiamus : si turbent curæ, hîc requiem requiramus, & pacem.

Aperit cor suum mihi, ut aperiam ipsi meum, ostendit apertas manus, ut vicissim ego pugnem pro gloria ipsius : denique pedes, ut dirigam ego passus meos ad obsequium ipsius usque in finem perseveranter. Atque ita *hauriam aquas de fontibus Salvatoris*, aquas refectionis.

Ps. 12. 3.

PUNCTUM III.

VI. Ad confusionē damnatorum.

VI. CAusa. Ad confusionem damnatorum in die judicij, dum sic ostendet quantum pro eis fecerit, quantumque contempserint ipsi. Contra verò, ad solatium salvandorum quibus illa profuerant, & ad solatium sempiternum, dum aspicient in omnem æternitatem talia amoris erga se documenta.

Fac Domine, ut in his ego commorer, & requiescam. Discam sic amare te, operibus meis placere tibi, & tuis vestigijs usque ad finem insistere.

Amen.

ME-

MEDITATIO XII.

Apparet in Galilæa septem Discipulis piscantibus.

PUNCTUM PRIMUM.

PEtro invitante, reliqui se offerunt. Documentum concordiæ animorum. Piscatum eunt, causa paupertatis, & vitandi otij: imitabor has virtutes.

Tota nocte nihil capiunt, uti alias contigit, donec veniret Christus. Fruſtrà sine Christo; neque *qui plantat est aliquid, neque qui rigat,* 1.*Cor.* 3. *sed qui incrementum dat Deus.* Operarius ita in 2. humilitate sit fundatus, quod *sine me nihil po-* *Io.* 15. 5. *test facere.*

Nocte non capiunt, quia usque ad lumen Evangelij non successit conversio animarum: in nocte etiam peccati non proficitur ad vitam æternam.

Discipulos credibile est memorasse tunc, quo modo alàs Christus in simili casu adfuisset, & proventum dedisset, & expectasse ejus præsentiam. Faciam idem, cùm fructus non respondet labori; nam *desiderium pauperum exaudiet* *Ps.* 9. 37. *Dominus.*

PUNCTUM II.

STetit Jesus in littore, & petijt ab eis pul- Charitas mentarium. Non tardat Deus visitare suos. Christi. In littore stat tanquam extra mortalitatem jam

Ioan. 21. 6. positus : petijt, *num haberent pulmentarium*, cùm sciret eos non habere. Sic solet, ut agnoscat homo egestatem suam, quando succurrere vult : sic petijt etiam à Samaritina aquam.

Ad dexteram navigij jubet jaci rete, in typum piscationis animatum pro vita æterna, quæ significatur per dexteram. Obediunt, & ecce *non valebant trahere præ multitudine* : hic fructus obedientiæ. *Vir obediens loquetur victorias*, vindicatis animabus à perditione. In altera piscatione agnovit Petrus Christum, & dixit : *in verbo tuo laxabo rete* : in hac non agnoscit, & tamen paret, cum simili proventu. Quia vult Deus etiam hominibus præstari obedientiam, & similiter remunerat. *Subjecti estote* inquit Petrus, *omni humanæ creaturæ propter Deum*.

Prov. 21. 28.

1. *Pet.* 2. 13.

PUNCTUM III.

JOannes agnoscit Christum, & *ait Petro, Dominus est* : *Petrus autem tunica succinxit se, & misit se in mare*, ut adnataret ad Christum. In Joanne lumen vitæ contemplativæ exprimitur, perspicacis ad agnoscendum Deum, & indicantis eum alijs. In Petro fervor vitæ activæ, properantis ad terram viventium, & tardum nimis ducentis motum navigantium in sæculi mari, ideóque quibusvis laborum fluctibus se objicientis, pro assequenda æternitate.

vers. 12. Trahitur rete ad litus, & *Petrus extraxit in terram plenum magnis piscibus, centum quinqua-*

quaginta tribus, & cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Luc. 5 7. Piſcatio iſta differt ab altera Lucæ. 5. quod priore ſignificaretur vocatio ad Eccleſiam, poſteriore autem perventio ad gloriam: ideo illa facta eſt ad omnem partem, hæc autem ad dexteram tantum, ad quam conſiſtent Electi. In illa implebantur duæ naves, vario piſcium genere, in hac exponuntur piſces in terram, & magni tantum ſunt, quia omnes in cœlo magni erunt, & extra fluctus: in illa rumpebatur rete, quia patitur ſciſſuram nunc Eccleſia, tum verò nullam.

Prandium interea Chriſtus diſcipulis paraverat miniſterio Angelorum: *viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem*: quin invitat amanter: *venite, prandete*: quin diſtribuit ipſe. *Accipiens panem dabat ijs, & piſcem ſimiliter.* Mira cura ſuorum, laborantibus in hac vita, parat convivium in altera. *Beati qui manducabunt panem in Regno Dei.* Ioan. 21. 10. Luc. 14. 15.

MEDITATIO XIII.

Committit Petro oves in eadem apparitione.

PUNCTUM PRIMUM.

ANtequam oves tradat, & Vicarium ſuum conſtituat, examinat illum de charitate. *Amas me?* quia Prælati debent præcellere charitate. Compellat autem: *Simon Joannis*, nam Examinat Petrum.

Simon significat *obedientem*; *Joannes gratiam*, sive Jonas columbam: quia idem esse debet fide, gratia, & obedientia præditus.

Trinum examen quid notet?

Ter examinat pro triplici negatione, quæ ex præsumptione manavit. Unde cautior & humilior redditus, non respondet se plus amare cæteris, sed ad ipsum Dominum se refert: *Tu scis Domine quia amo te*: veritus, ne fortè aliter se haberet. Placet Deo humilitas, condiens charitatem, & ut homo cum D. Paulo dicat: *nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; quia qui judicat me, Dominus est.*

1. Cor. 4. 4.

Ter etiam examinat, quia talis debet in charitate esse fundatus, secundùm triplicem gradum Purgativæ, Illuminativæ, & Unitivæ viæ, exutus imperfectionibus, exercitatus in virtutibus, & Deo unitus, & denique præstare charitate erga Deum, & proximum, & erga seipsum.

Petrus Pastor universalis Ecclesiæ.

Christus, cùm bis dixisset: *Pasce agnos meos*, ad tertium Petri responsum subjunxit: *Pasce oves meas*, quod non tantùm communes Fideles, sed reliquos etiam Pastores, tanquam matres, ipsius curæ committeret.

Non dixit tuas, sed *meas*: ut intelligeret, se non constitui Dominum, sed Vicarium, & ut tanquam Christi ipsius oves curaret. Mira elucet Christi erga nos charitas, quando inde probatam esse vult charitatem Pastoris erga ipsum, si bene pascat ipsius oves, & tunc se verè ama-

ri

ri existimat, si ovibus prospiciatur suis, hoc est, nobis.

Ter ait, *pasce*: quia vult juvari oratione, doctrina, exemplo; seu doctrina, Sacramentis, & exemplis pasci; seu beneficijs, tum spiritualibus, tum corporalibus: severè minatur per Ezechielem illis, *qui se, non oves pascunt.* *Ez. 24.*

PUNCTUM II.

PRædicit Dominus Petro mortem, & illius genus tanquam certum signum amoris, quem professus fuerat. *Bonus* enim *Pastor animam suam ponit pro ovibus suis, & majorem hàc dilectionem nemo habet.* Verum amoris signum. *Ioan.* 10. 11. c. 15. 13.

Significat Dominus duo genera passionum: aliæ spontè suscipiuntur, ut mortificatio carnis, maximè ab incipientibus, de quibus illud: *Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas.* Aliæ inferuntur ab alijs, ad quas extendit vir perfectus manus suas, libenter acceptans, sed *alius eum cingit & ducit, quo non vult* secundùm carnem, licet velit secundùm spiritum. De primis sumi potest illud: *Tribulationem & dolorem inveni:* de secundis: *Tribulatio & angustia invenerunt me.* *Ioan.* 21. 18. *Ps.* 114. 3. *Ps.* 116. 143. *Num.* 23. 10.

Quòd Dominus parabolicè dixerat, quòd esset cingendus ab alio, declarat Evangelista, significasse Dominum: *Qua morte Petrus clarificaturus erat Deum*: mors Sanctorum glorificatio est Dei: *Moriatur anima mea morte justorum.*

PUNCTUM III.

POst hæc *ait Dominus Petro : ſequere me.* Videtur Chriſtus progredi cœpiſſe, eoque actu exprimere voluiſſe peculiarem ſequelam Petri ad mortem crucis, ut & in officio paſcendi. Joannes autem, exemplo Petri, cœpit etiam ſequi, licet ei non fuiſſet intimatum. Videlicet nolebat ſeparari à Chriſto, & invidebat Petro ſanctè. Eſt vocationis genus ab exemplo conjunctorum, ſed non abſque divina motione.

Petrus pro Joanne ſollicitus, quærit : *Hic autem quid?* an non ſimiliter ſequetur? Redarguitur à Domino : *ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Ne ſimus curioſi, & ut conjunctorum curam Deo relinquamus, & ut noſtris rebus ſimus intenti, alienis relictis.

MEDITATIO XIV.

Apparet in monte Galilææ omnibus Diſcipulis, &c.

PUNCTUM PRIMUM.

Zelus Apoſtolorum.

APoſtoli, ut Dominus juſſerat, læti in Galilæam migrant : fruituri ibi præſentia Magiſtri, juxta ipſius promiſſum. Renuntiant etiam alijs per Galilæam diſperſis diſcipulis de reſurrectione, & futura apparitione in monte,

ad

ad quam adeò convenerunt plusquam quingenti fratres.

In monte apparet Deus; quia mens tunc illuminatur, quando ad perfectionem assurgit, & juvat ad hoc consociatio bonorum, & mutua charitas, & cohortatio.

Mons putatur fuisse Thabor, ubi aliàs se glorioſum exhibuit tribus Apostolis; & credibile, tunc etiam aliquid suæ gloriæ ostendisse: certè eos ineffabili consolatione perfudisse, ut figere ibi cum Christo tabernacula sibi bonum ducerent.

Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt, non ex Apostolis, sed illi ipsi mox sunt confirmati à Domino. *Matt.* 28. 16.

PUNCTUM II.

Profitetur datam sibi potestatem omnem in cælo & in terra. Habuit omnem, quia Deus. Ut homini etiam debebatur, propter unionem personæ Verbi: sed amplius obtinuit illam jure suorum meritorum. *Matt.* 28. 18. *Marc.* 16. 15.

In cœlo: ut illud aperiret hominibus, & dominaretur Angelis. *In terra*, ad remittenda peccata, & quævis dona impertienda, & ad disponendum in Ecclesia.

Secundùm hanc potestatem mittit Apostolos in mundum universum, ut *doceant omnes gentes, & Evangelium prædicent omni creaturæ*: non Judæis tantùm, nec tantùm magnis & potentibus, sed omni creaturæ. Nam sicut *Solem* Missio Apostolorum.

Matt. 5. 45. *lem istum oriri facit Pater cælestis super bonos & malos*: ita Christus Solem Evangelij non minus patere vult in omnes plagas, atque illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum.

PUNCTUM III.

Matt. 28. 19. Comparatio Baptismi & Circumcisionis. *Præcipit baptizare in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Baptismus succedit Circumcisioni, & est janua ad Evangelium, sicut illa ad legem. Circumcisio inurebat corpori notam cum acri dolore, Baptismus signaculum spirituale imprimit, & tangendo corpus, abluit animam: per Circumcisionem fiebat homo obnoxius toti legi servandæ, quæ erat onus importabile, ut ait S. Petrus; per Baptismum subditur Evangelij suavi jugo: quare subdit: *docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Confertur in nomine trium Personarum Divinarum, quia efficitur Patris æterni adoptione Filius, Christi frater & coheres, & à Spiritu S. desponsatur, exornatúrque donis cœlestibus: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo in fide, & justitia, & misericordia.*

Personæ SS. Trinitatis quid operentur in Baptismo. *Osea.* 2. 12.

PUNCTUM IV.

Matt. 16. 16. Promissio rerum spiritualiū. PRomissionem addit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; quin & minas: *qui verò non crediderit, condemnabitur.* Non promittit bona temporalia, aut intentat mala: sed

sed utraque æterna. O qui perciperet latentia illis duobus verbis! *salvus erit & condemnabitur.*

PUNCTUM V.

PRomittit signa: *qui crediderint; in nomine meo dæmonia ejicient, &c.* nimirum quatenus ad fidei confirmationem opus erit, juxta Dei consilium. Fiunt etiam omnia illa spiritualiter. De qua re legendus Lud. de Ponte hîc. *Marc.* 16

MEDITATIO XV.

De mansione Christi nobiscum usque ad consummationem sæculi, &c.

PUNCTUM PRIMUM.

CAusæ hujus promissionis. 1. ut solaretur discipulos, à quibus parabat discessum in cœlum, & quibus per intervalla tantùm se ostendebat tunc. 2. ut animaret ad expeditionem, ad quam eos mittebat, certos faciens de sua præsentia & auxilio. 3. ut attentos & diligentes redderet in opere, ut qui testem habituri essent ipsum Christum. Eadem applicabo mihi.

1. Consolatio discipulorum.

2. Animatio.

3. Exultatio.

PUNCTUM II.

VErba promissionis: *Ego*; non sicuti Moysi, promittit Angelum, qui præcedat & custodiat in via: sed ipsemet adesse vult; *Et ego*: Deus vester, Salvator, debellator inferni, peccati

Præstatio promissionis. *Exod.* 32. 30. & 33. 34.

cati & mortis: *Vobiscum sum.* 1. ut in rebus omnibus dans esse, vivere, operari. 2. per gratiam conferens vitã supernaturalem. 3. per specialem providentiam, quo fiet ut Ecclesia nunquam deficiat. 4. in Evchariſtiæ Sacramento: *Vobiscum*, & adeò in Ecclesia quam repræsentatis, & in omnibus qui vos sequentur.

PUNCTUM III.

Præsentia Dei sempiterna.

USque *ad consummationem sæculi*, non ad certos annos: sed ad omnes, nec interpolatè, sed continuatè, & semper. O sit mecum! neque absit unquam.

MEDITATIO XVI.

De varijs apparitionibus per eos dies.

PUNCTUM PRIMUM.

Act. 1. 3. Christus semper præsens, sed non semper visibilis.

PRæbuit *se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis.* Erat semper invisibiliter cum eis, sed visibiliter etiam se ostendebat, variè confirmans veritatem resurrectionis suæ. Ita agit cum servis suis per spatium huius vitæ: ut cùm semper sit cum illis, subinde certis argumentis probet se præsentem, illuminando & consolando animas, ídque singulariter in sumptione SS. Evchariſtiæ. O ita illam sumam, ut sentiam ibi esse Deum, & non, ut si communem panem sumerem, quòd mihi contingit culpa mea, & defe-

defectu disposition is. Petam etiam, ut vera præsentiæ divinæ signa ita discernam, ut à Sathana transfigurante se in Angelum lucis, non deludat.

PUNCTUM II.

QVales Christi sermones, cùm apparebat. *Loquebatur de Regno Dei.* Revocabat eis in memoriam quæ prius docuerat, nova revelabat, scripturas aperiebat, illuminabat, confortabat, accendebat, mirificè illuminatos relinquebat, nihil curiosi, aut otiosi, aut ad rem non pertinens, recensebat; sed tantùm de *Regno Dei*, quod est *Justitia, Pax, & Gaudium in spiritu sancto.* Inde manarunt illa, quæ ex traditione Apostolorum in Ecclesia habentur. Similia loquitur & agit in anima justi. Igitur *audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*: quando *ducet illam in solitudinem, & ibi loquetur ad cor ejus.*

De regno Dei quomodo Christus locutus. Et semper de rebus serijs. *Rom.* 14. 17. *Ps.* 84. 9. *Ose.* 2. 14.

PUNCTUM III.

PRoprietates quædam illarum apparationum. 1. quod non continuatæ erant, sed interruptæ, & plus minus frequentes, pro dispositione, & desiderij fervore: quod & servat Deus, communicando se animæ interius. Ergo exardescam Christi desiderio, & adjurabo Angelos beatásque animas: *si inveneritis dilectum meum, nuntiate ei, quia amore langueo.* *Cant.* 5. 8.

1.

2. Ap-

2. 2. Apparebat inopinato : & similiter subducebat se, moráque erat brevis, sícque alebat desiderium sui. Idem evenit in visitationibus spiritualibus, unde ait Bernardus gaudiũ in hac vita ex sponsi præsentia esse posse non saturitatem. *Modicum & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me.* 3. Locus & tempus apparitionum erat varium : sic & visitationes internæ, aliquando in oratione, alias in lectione, alias in negotio. *Spiritus enim, ubi vult, spirat.* 4. Modus etiam fuit diversus. nam aliquando præcessit visio Angelorum : aliquando in aliena figura visus, & non eadem claritate semper, sed juxta dispositionem, aut beneplacitum providentiæ divinæ. Idem contingit animæ. Nos interim fidenter orabimus cum Moyse : *Ostende mihi te ipsum*, fortè audiemus : *Ego ostendam tibi omne bonum* : & cum Davide : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram* : Et cum Philippo : *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis* : & cum sponsa : *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes.*

Serm. 13. in Cant.
Ioan. 16. 10.
3. *Ioan. 3. 8.*
4.
Exod. 33. 18.
Ps. 26. 8.
Ioan. 14. 9.
Cant. 1. 7.

MEDITATIO XVII.

Apparet Apostolis die Ascensionis.

PUNCTUM PRIMUM.

Marc. 16. 14. ACcumbentibus *Apostolis apparuit* : simúlque *convescens* de abitu suo significavit, usus

sus fortè similibus sententijs, atque super ultimam cænam: *Vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis.* Item: *Si diligeretis me, gauderetis utique; quia vado ad Patrem.* Et, *expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Act. 1. 4. Ioan. 14. 2. Ier. 28. c. 16. 7.

PUNCTUM II.

Sedete, inquit, *in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Jubet sedere, in quiete expectare, tam mentis, quàm corporis, non huc illúcque obeundo, aut anxiè desiderando, sed rem Deo committendo: unde præfinivit tempus, etsi *post dies haud multos* futurum prædixit. Luc. 24. 46.

In civitate Jerusalem, quietior locus fuisset extra frequentiam: at Spiritus S. dari debuit, ubi mox illius virtus innotesceret, & quia dabatur ad promulgandam Evangelicam legem, de qua Isaïas: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Et quia solitudo cordis est præcipua, quæ potest etiam in frequentia conservari: unde illa civitas vocatur *Jerusalem*, id est, *visio pacis.* Sim talis, ut *in omni loco levare valeam* putum cor, *& manus ad Deum, donec induamini virtute ex alto*, tanquam armatura forti, ad expeditionem Evangelicam: qualis è cœlo tantùm dari potest. Discam hinc. 1. humilitatem, qua agnoscam imbecillitatem me- Isa. 2. 3. 1. Tim. 2. 8.

am ex me. 2. temerarium esse, absque tali præsidio aggredi opus Evangelij. 3. ubi induti fuerimus, non morandum, *donec*, inquit, *induamini:* & sic Apostoli fecerunt.

PUNCTUM II.

Luc. 24. 50. Diversitas exitus ex Cœnaculo.

EDuxit eos foras in Bethaniam, in montem qui dicitur Oliveti. Non liquet, an ipse simul cum eis visibilis exierit, an tantum jusserit ire, & disparuerit usque ad locum ipsum. Haud dubiè properarunt mixto tristitiæ gaudio, & eundo recoluerunt, quomodo ante passionem ex eodem cœnaculo prodijssent cum Magistro suo ad eundem montem.

Mons Oliveti.

Elegit Christus pro Ascensione sua montem, quem elegerat pro principio passionum, ibi enim usque ad agoniam sanguinis tristatus est, proditus & captus, atq; à discipulis suis derelictus: nempe significat sibi per passionem ascensum ad cœlum parasse. Et quia ibi erat Bethania (quæ domus obedientiæ interpretatur) utique intelligi vult per obedientiam & per excelsam charitatem, monte ipso significatam, & per misericordiam olivâ adumbratam conscendi in cœlum.

ME-

MEDITATIO XVIII.

Ascendit in Cœlum.

PUNCTUM PRIMUM.

EXhibuit se Christus in monte Olivarum splendidiorem, quam antea, & pro complexu dari solito in discessu, permisit sacra vulnera osculo attingi, quod præ alijs fecit Mater ardenter optans cum Filio ascendere, sed ejus se voluntati commitens. Amabilis Christi discessus.

Et elevatis manibus benedixit eis: quo ritu significavit, non terrena, sed cœlestia ipsis bona precari & largiri, atque ad abundantiam largitionis indicandam, ambas elevat manus. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.* Benedictio qualis. *Eph. 1. 3.*

Fortè benedictio fuit, qualis olim à Deo præcepta fuit, cùm benediceretur populo Israël à Sacerdote: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Vel, sicut in ultima cœna precatus est: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum sicut & nos.* Et procul dubio dixit, & factum est. O, sim particeps tuæ benedictionis! quia non solùm præsentes, sed etiam absentes in te credituros complecti haud dubiè voluisti. *Num. 6. 23.* *Ioan. 17. 11. 12.*

PUNCTUM II.

Luc. 24. 51. Ascensio qualis.

ET *ferebatur in cœlum*, non curru, aut equis ut Elias, sed propria virtute sustollente. Hærebant oculis & animis in illum intenti, qui aderant : Obstupescebant rei miraculo, exultabant gaudio, ob gloriam Magistri : Rapiebantur simul desiderio, ut ipsis etiam conveniret illud : *captivam duxit captivitatem* : quod reipsa impletum est in comitatu Sanctorum, quos è limbo duxerat, cum ipso ascendentium. Sed & multitudo Angelorum hunc ascensum celebravit, non minus quàm descensum in terras. Ergo abit, *sicuti aquila provocans ad volatum pullos suos :* ut *ibi nostra sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Domine, da mihi alas sicut aquilæ.

Ps. 67. 19.

Deut. 32. 21.

PUNCTUM III.

Act. 1. 9.

ET *nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Fuit haud dubiè lucida & pulchra, qualis decebat in ea ascendentem, & impletum est corporaliter illud. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Potuissent clamare, ut Elisæus ad Eliam ascendentem : *Pater mi, Pater mi! currus Israël & auriga ejus.* O excipiar ego in istam nubem, & rapiar tecum ! Nubes hæc postmodum occultavit Christum, & abstulit ab oculis discipulorum. Id facit etiam nubes peccatorum, ut apud Jeremiam : *Opposuisti nubem tibi ne transeat ora-*

Ps. 103. 3.

4. *Reg.* 2. 12.

Mysterium nubis.

Thren. 3. 34.

tio

tio ad cœlum. Aliquando sine peculiari nostra culpa, se subducit ipse Deus aspectui nostro. Sed & corpus, quod corrumpitur, & curæ mortales idem efficiunt. Discute Domine, quidquid obstat, quominus videam te.

PUNCTUM IV.

HÆsissent discipuli diutius intenti in cœlum *Act. 10.* Documenta Angelorum data Apostolis. post quam etiam ab oculis subductus erat, nisi interpellassent Angeli duo, in vestibus albis, tacitè redarguentes: *Quid statis aspicientes in cœlum?* Vult Deus nos à contemplatione redire ad officium. Deinde ingerunt cogitationem secundi adventus: *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*: glorioſus hic ascensus fidem facit futuri adventus, cujus expectatione oportet nos circumspectè vivere: nec definiunt tempus, ut simus semper solliciti. Quòd ita autem veniet, ad gloriam spectat, non ad personæ speciem: tunc enim, ut severus Judex, cùm modò abeat, ut Pater amantissimus à filijs. Ergo *in die bonorum memor esto malorum.* *Eccl. 11. 27.*

Et adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno: ad verba Angelorum prostrati in terram præ reverentia, adoraverunt, quem assumptum in cœlum, judicémque venturum audierant. *Luc. 24. 52.* Gaudij causæ.

Gaudij illius causa fuit triplex. 1. fides in ipsis confirmata ex tam glorioso exitu Magistri sui. 2. Spes roborata recipiendi Spiritum sanctum,

& aliquando perveniendi, quo præcesserat Magister. 3. Amor Christi: de cujus gloria exultabant, ac de propria.

Matt. 24. 28. Ps. 102. 5. Is 40. 31 Proficiam in ijsdem, ut volare possim ad Christum, tanquam aquila, *ubi enim corpus erit, illuc congregabuntur aquilæ*, ij nimirum, quorum *juventus renovatur ut aquilæ*: & etiam *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ.*

MEDITATIO XIX.

Triumphalis ingressus Christi in cælum & sessio.

PUNCTUM PRIMUM.

Ps. 67. 19 *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem*, justos, quos ex limbo liberaverat, & captivos nihilominus ducebat *in funiculis Adam, in vinculis charitatis.* Hi ad ingressum cœli Empyrei obstupefacti loci pulchritudine; cúmque limbi squalore conferentes, haud dubiè exclamarunt; *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima nostra in atria Domini.*

Os. 11. 4. Triumphus Christi. Ps. 83. 2

Non defuit in hac pompa cantus jubilationum: nam scriptum est: *Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*? quare se mutuò cohortantes, dicebant: *Psallite Deo nostro; psallite, psallite Regi nostro, psallite: Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.*

Ps. 46. 6. v. 7.

Psallite

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad O- Ps. 67.
rientem: applaudebat simul multitudo Ange- 34.
lorum. Nam *currus Dei decem millibus multi-* 9. 18.
plex, millia lætantium. Instar currus triumphalis erant millia Angelorum, non ad subvectionem: sed ad Majestatem. Et hi, cæteros alloquentes, qui in cælo manserant, dicebant: *Attollite portas Principes vestras, & introibit* Ps. 13. 7.
Rex gloriæ: quærentibus autem: *Quis est iste Rex gloriæ*: Respondent: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*: conspicati Christum, interrogant: *Quis est iste, qui ve-* Isa. 61.
nit de Edom tinctis vestibus de Bosra? ille for- Apoc. 5.
mosus in stola sua, gradiens in multitudine for- 12.
titudinis suæ? nam virtute sua Christus ascendit in cœlum: tinctus autem humanitatis indumento ex passione sua. Qui respondet: *Ego sum* Isa. 63. 1
qui loquor justitiam, & propugnator sum ad sal-
vandum. Tunc simul omnes acclamarunt: *Di-* Apoc. 5.
gnus est Agnus, qui occisus est, accipere virtu- 12.
tem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & laudem in sæcula sæculorum.

Præ cæteris exultabat ipsemet Christus, gau- Gaudia
dens quod ovem perditam humeris suis repor- Christi.
taret, ob quam descenderat in terram. Dicebátque Angelis. *Congratulamini mihi,* Lu. 15. 6
quia inveni ovem quæ perierat.

PUNCTUM II.

Ingressus Christi in cœlum. *Ioa. 17.*

CHristus ad thronum Patris perveniens, offert ei spolia inferno detracta, justorum cœtum. Dein, quasi confecti operis rationem reddens, sic eum alloquitur: *Pater! manifestavi nomen tuum hominibus, & te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priùs quàm mundus fieret apud te.*

Ps. 109. Phil. 2. 9.

Pater oblatum donum gratanter accepit, aítque Filio: *Sede à dextris meis*, supra omnem creaturam constituens eum, *ut in nomine ejus omne genu flectatur*. Fiduciam concipiam, quando os meum & caro mea sedet à dextris Dei, illuc perveniendi, dummodo ut illud impleam, *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dex-*

Col. 3. 1.

tra Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

PUNCTUM III.

Sedes sanctarũ animarum in cœlis.

UBi consedit Christus ad dexteram Patris, mox Sanctis quos adduxerat, proprios thronos assignavit inter Angelorum choros, pro merito cujusque, & impletæ sunt ruinæ Luciferi, & sociorum, gratulantibus Angelis.

Et eo item tempore munus sui Pontificatus obire Christus cœpit, interpellans assiduè pro nobis, sacratissimas cicatrices Patri repræsentando. Non enim in manufacta *sancta Jesus*

Heb. 9. 10.

in-

introivit, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem: *Filioli*, inquit Joan. *hæc scribo vobis, ut non peccetis*: *sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Heb. 4. 14. Ioan. 2. 1.

MEDITATIO XX.

Expectatio Adventus Spiritus Sancti.

PUNCTUM PRIMUM.

RECeperunt se discipuli in cœnaculum, & ibi orabant, ut mererentur accipere Spiritum S. Nam etsi Christus promiserat eum, intelligebant tamen per media debita impetrandum.

Erant perseverantes unanimiter in oratione. Oratio concordium est efficax. *Vbi duo consenserint, fiet illis à Patre meo.* Est etiam unanimus oratio, quando exterior & interior homo conspirant pariter collecti. Unanimitas in oratione. 1.

Deinde erant perseverantes, uti Christus monuit: *Oportet semper orare, & non deficere*: & Deus, saltem ob importunitatem, exaudit, ut judex malus viduam illam: & cùm nescirent tempus adventuri Spiritus Sancti, sine intermissione instabant orationi, ut invenirentur parati. Act. 1. 13. Matt. 28. 19. Luc. 18. 5.

Cum

Act. 1. 14. *Cum mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus ejus.* Magni interest quòd Maria simul orat.

Igitur oratio mea sit collecta extra turbam *in cœnaculo*, unanimis per charitatem cum omnibus perseverans usque ad importunitatem, Matre Dei suffragante. Cœnaculum illud fuit typus Ecclesiæ, in qua orationes sunt efficaces propter communionem Sanctorum.

PUNCTUM II.

Causæ collectionis Apostolorum.

IGitur Apostoli se collegerunt in cœnaculo. 1. Quia Christus jusserat *eos sedere in civitate*, & quiete delitescere. Ibi commemorabant, quæ Christus in eo loco fecerat & dixerat Et sicut ille ante prædicationem per quadraginta dies in desertum se recepit: ita ipsi illuc, ut reciperent Spiritum Sanctum. 2. Quia conscij propriæ imbecillitatis, ut in passione Christi apparuerat, & destituti præsentia Christi, non sibi fidebant, & tantò cupidius Spiritum Sanctum postulabant. Postulabo etiam ego: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Emitte spiritum tuum, & renovabis faciem terræ*, animæ meæ.

Luc. 24. 49. 1. 2. Psal. 50. 12. Psal. 103. 30.

3. Ipsemet Spiritus Sanctus faciebat eos postulare gemtibus inenarrabilibus, tantóque ardentioribus, quo propinquabat magis illius adventus.

tus. Desideria sancta prænuntij sunt futuræ gratiæ. *Ignis enim ante ipsum præcedet.* *Ps.* 96. 3.

PUNCTUM III.

DIlatus est adventus usque ad dies decem, is numerus significat multitudinem, ut vel quam diutissimè expectandum esse dicamus, quia plus satis compensabit omnem moram, vel modica ejus præsentia. Et quod ægrius obtinetur, cautius custoditur, & plus multo meretur doni magnitudo. Quare non deficiam, *si morem fecerit, quia veniens veniet, & non tardabit.* Denique denarius numerus significat perfectionem: unde monemur quàm perfecto studio quærendus sit Spiritus Sanctus, nempe ut quidam Propheta ait, *decies tantùm convertentes requiretis Deum, quàm erraveritis ab ipso.* *Bar.* 4. 28.

Causæ dilationis adventus Spiritus Sancti.

Hab. 2. 3

MEDITATIO XXI.

De electione Matthiæ in locum Judæ.

PUNCTUM PRIMUM.

PRovidentia Dei circa Ecclesiam supplendo semper necessarios Pastores, & cùm aliqui deficiunt, vel etiam ipsæ provinciæ, substituendo alios juxta illud: *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam*: & de Juda: *Episcopatum ejus accipiat alter*: Similem providentiam exhi- *Apoc.* 3. 11. *Ps.* 108.

exhibet erga Ordines Religiosos, aliásque Congregationes, pro earum conservatione. Concipiam salutarem timorem, ne alteri cedam locum meum.

Suavitas etiam providentiæ spectatur in eo, quod non ipse per eos quadraginta dies constituere alium pro Juda voluerit, sed per ipsos Apostolos, ad commendandam eorum auctoritatem.

PUNCTUM II.

Apostolorum obedientia.

IN hac electione eminet. 1. obedientia, qua congregatio illa sancta acquievit Petro tanquam capiti, proponenti de electione facienda, cùm opponere potuissent expectandum esse Spiritus Sancti adventum: sed nimirum Deus illustraverat Petrum, ita fieri oportere, juxta Scripturam: *Pſ.* 108. 8. *Episcopatum ejus accipiat alter.* 2. concordia, qua convenerunt in duos, & humilitas, nemine pro se ambiente: unde solet turbari concordia. 3. Oratio ad Deum, qui novit corda hominum, & quid expediat.

2. Concordia.

3. Oratio.

PUNCTUM III.

DIvino calculo prælatus est Matthias Barsabæ qui ob sanctitatem cognominabatur Justus, tametsi hic primo loco fuisset nominatus. Videtur Deus favere voluisse humilitati, quia Matthias non ita eminebat, ut alter. Et ita legitur ea die Evangelium: *Confiteor tibi Pater, quia revelasti ea parvulis.*

Humilitas S. Matthiæ causa electionis

Non

Non est indignatus Barsabas, nec elatus Matthias: ita ego si prætereat, acquiescam divinæ dispositioni, méque indignum judicabo: si promoveat, ne ideo putem me digniorem, cùm ob alias causas fieri possit, & cum timore suscipiam.

MEDITATIO XXII.

De beneficio dati Spiritus sancti, & cur sit datus.

PUNCTUM PRIMUM.

CAusæ dandi moventes fuere. 1. Bonitas Dei, qui *ita dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: & quamvis hunc tam malè tractasset mundus, nihilominus etiam daret Spiritum sanctum. 2. Meritum Christi, qui passione sua nobis illum promeruerat, & assistens jam ad Patris dexteram impetravit, sicut dixerat: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* 3. Misericordia ex parte Dei, ex parte verò nostra, ingens necessitas & miseria. 4. Quia per ipsum consummari debuit opus redemptionis, exhibendo nobis illius fructum. Misit eum Pater, misit eum Filius: *Qui captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus*: sed & Spiritus Sanctus dedit semetipsum: & ita est donum & donans. *Veni dator munerum, veni lumen cordium.*

Causæ missionis.
1.
Ioan. 3. 16.
2.
Ioan. 14. 16.
3.
4.
Ps. 67. 17.

PUN-

PUNCTUM II.

In quem finem missus. 1. Joan. 14. 16.

FInis & effectus istius donationis. 1. Ut esset advocatus, & consolator pro Christo: *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Advocatus est: hoc est, postulare facit & orare. Solatur autem, & arguit in adversis. *Manet in æternum,* invisibilis. Neque enim conveniebat ut Christus maneret cum illis visibiliter in æternum. 2. Ut doceat: *Cùm venerit Paraclitus, ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Reducet in memoriam & faciet intelligere, *quæcunque dixerim vobis, apud vos manens.* 3. Ut testificaretur de Christo: *Ille testimonium perhibebit de me,* illuminans & movens ad credendum, quis ego sim, & per vos testificans coram mundo: nam *& vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* 4. *Vt arguat mundum de peccato, & de justitia, & de judicio: de peccato quidem,* convincens eos impiè agere, *quòd in me non credant: De justitia,* confirmans innocentiam meam, ac legis meæ sanctitatem: *De judicio,* quod feci expellens diabolum, cujus tamen castra homines sequuntur. Sic in anima operatur Spiritus sanctus, coarguens malum, inducens ad justitiam, discernere faciens inter Christum & diabolum, & sequi in omnibus meliora.

1.

2.

3.

Joan. 16. 8.

4.

PUN-

PUNCTUM III.

DAtur ipse dator donorum, ut nunquam deficiant dona, quando ipse possidetur: ideò Spiritus sanctus comparatur perenni fluvio: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* indeficientis. *Et aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Joannes etiam vidit *fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni*, qui est Spiritus sanctus, à Patre & Filio procedens, ad cujus ripas *lignum vitæ* consitum est, *proferens duodecim fructus, singulos per menses singulos.* Hæc sunt dona Spiritus Sancti, & speciatim, quæ Paulus vocat *fructus Spiritus Sancti.*

Spiritus S. dator donorũ Dei. *Ioan.* 7. 38. *Ioan.* 4. 14. *Ap.* 22. 1. *Gal.* 5. 22.

Concipiam fiduciam: nam si fontem nobis largitur, quomodo non omnia nobis cum ipso donabit? Petam duodecim illos fructus, singulos speciatim.

PUNCTUM IV.

QVibus datur? Idiotis piscatoribus, sed & omnibus hominibus quamvis barbaris & pessimis, dum ritè velint: sicut promisit: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Nec prohibet, quod aliquando dixerat: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est,* dum secundùm carnem vivit. *Non est personarum, acceptor Deus, sed in omni gente quæ timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

Quibus detur Spiritus S. *Ioel.* 2. 23. *Gen.* 6. 3. *Act.* 10. 34.

Hoc

Hoc dixit Petrus, cùm super Centurionem & alios gentiles Spiritus sanctus descendisset.

MEDITATIO XXIII.

De modo, quo datus est Spiritus Sanctus.

PUNCTUM PRIMUM.

Spiritus S. datur Fidelibus.

CIrcumstantiæ loci & temporis. 1. In cænaculo, quo soliti erant convenire : Est typus Ecclesiæ, in qua solùm datur Spiritus Sanctus sicut *columba non invenit ubi requiesceret pes ejus*, nisi in *arca Noë*. Et Christus ait : *Quem mundus non potest accipere.* Erant autem ad centum viginti perseverantes in oratione, qua petebatur ipsum donum, quæ oratio ascendit in conspectu Dei.

Gen. 8. 9.

Ioan. 14. 17.

Cur die 50. post Pascha.

Erat dies quinquagesima à Paschate Judæorum, Pentecoste, qua recolebatur memoria legis datæ in monte Sinai inter fulgura & tonitrua, & scriptæ in tabulis lapideis. Nunc autem dabatur lex nova, lex charitatis, inscripta in tabulis cordis carnalibus, non duris instar lapidis, sicut promiserat Dominus : *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum*, molle ac flexile : quinquagesima autem dies (qui numerus Jubilæum ac remissionem significat) nota est plenæ remissionis peccatorum. Nam in Jubilæo debita relaxabantur, & captivi. Unde

Ezech. 36. 26.

de dicitur de Spiritu sancto, *quia ipse est remissio peccatorum.*

PUNCTUM II.

MOdus veniendi. *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis. Repente :* Visitatio divina non habet præfixum tempus, omni tempore experienda & expectanda : sed repentè & ignoranti advenit *de cœlo*, non ab aliqua plaga mundi : nam *omne datum optimum desursum est. Tanquam Spiritus vehementis*, id est, venti. Habet Spiritus S. similes vento effectus. Inspiratione aëris conservatur vita, & ardor internus mitigatur : sic Spiritus sancti gratia conservat vitam spiritualem, & concupiscentiæ mitigat ardores. Ventus efflat paleas à tritico, & promovet impellendo : sic Spiritus sanctus efflat imperfectiones, & invitat ad bonum : *Veni Auster, & perfla hortum meum, & fluant aromata*, exempla benevolentiæ virtutum. *Fiat medium fornacis* (sicut tribus pueris) *quasi ventus roris flantis*, ne ignis contristet, aut quidquam molestiæ inferat. *Vehementis : Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia* : excutit torporem vehementer, sed suaviter : *qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.*

Modus veniendi *Act. 2. 2.*

Iac. 1. 17

Cant. 4. 16.

Dan. 3. 50.

Ambr. lib. 2. in Lucam.

Rom. 8. 14.

Factus est sonus : instar tonitrui, ut tota urbe audiretur, typus prædicationis Evangelicæ : *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Inde illi duo Apo-

4. *Ps. 18. 5. Rom. 10. 18.*

Marc. 3. 17. stoli à Christo nominati sunt, *Boanerges filij tonitrui.*

PUNCTUM III.

Mysteria hujus repletionis.

ET *replevit totam domum, ubi erant sedentes.* 1. Significatur abundantia donorum collata Ecclesiæ, ut prædixit Isaias. *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris cooperientes eam.* 2. Quòd nemo eximatur ab hac gratia; *quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Et effundam spiritum meum super omnem carnem.* 3. Quod cùm in animam venit omnes illius potentias sic implet, ut omnia interiora benedicant Domino. 4. Ubi erant *sedentes* non implet animam vagam, atque ad exteriora effusam, sed collectam.

Act. 1. 2. 1. *Isa.* 11. 5. 2. *Sap.* 1. 7. *Joel.* 2. 28. 3. 4.

PUNCTUM IV.

1. Cur in forma ignis.

APparuerunt *illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* In varijs formis apparuit Spiritus sanctus ad diversos effectus significandos. In Baptismo Christi, in forma columbæ, ob innocentiam, & fœcunditatem bonorum operum, quam tribuit: in Transfiguratione, ut nubes lucida; quia obumbrat & protegit, nec non fundit umbram scientiæ: In apparitione post Resurrectionem: in sufflatione; quòd fit Spiritus vitalis, qui per Sacramenta confertur: in Pentecoste, ut ignis.

1. 2. 1. Quia purificat, & scoriam videlicet peccatorum, rejicit ab auro & argento. 2. Illuminat,

ut

ut de mysterijs fidei certiores faciat, quam si cernerentur oculis corporeis. 3. Accendit charitate in Deum & proximum. 4. Sursum elevat mentes, ut conversatio in cœlis sit. 5. Transformat in se quæ apprehendit, ut anima fiat unus spiritus cum Deo. De hoc dixit Christus: *Ignem veni mittere in terras; & quid volo, nisi ut accendatur?* linguæ erant, non cor: quia non dabatur, ut ipsi soli amarent: sed ut linguis suis & prædicatione cæteros purificarent, illuminarent, accenderent, sursum proveherent, Deóque unirent. Lingua etiam ignea est devotio in affectus prorumpens admirabiles.

3. 4. 5. *Luc.* 2. 49.

Apparuerunt dispertitæ, quia *divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* In Ecclesia alius aliam accipit gratiam, omnes autem sunt in utilitatem singulorum membrorum, ut in corpore naturali, in quo bonum oculi est etiam manus, & vicissim.

II. Cur dispersæ linguæ. 2. *Cor.* 2. 49.

Sedit autem *super singulos eorum*, sicut dixit Christus: *ut maneat vobiscum in æternum.* Nam quantum in ipso est, non recedit, nisi à nobis repellatur. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate.*

III. *Ioan.* 14. 16. *Sap.* 1. 5.

PUNCTUM V.

ET *repleti sunt omnes Spiritu sancto*: Cùm essent inæqualis meriti, omnes tamen repleti sunt, ut nihil extra Deum optarent aliud.

Repleti sunt, quoad omnes facultates animæ,
Ps. 76. 11 ut in omnibus perfecti repentè evaderent. *Mutatio dexteræ excelsi.* Cæterum repleti sunt pro capacitate vasorum, & dispositione, ac ita plus accepit Christi Mater, tum Apostoli, tum cæteri. Proinde dilatabo cor meum, ut quam plu-
Ps. 80. 11 rimum capiat. *Dilata os tuum, & implebo illud*: juvant ad hoc quatuor. 1. Puritas conscientiæ. 2. Humilitas cordis. 3. Fiducia dilatans. 4. Fervens oratio.

Denique repleti sunt, quisque pro officij, & gradus sui mensura.

PUNCTUM VI.

Act. 2. 4. Donum linguarum. *ET cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

Linguarum donum eis datum est, ut omnibus gentibus Evangelium prædicarent. Et si-
Gen. 11. 17. cut *confusio linguarum* à Deo immissa est ob superbiam, in cœlum usque ædificantium: ita ad culmen perfectionis contendentibus, & civitatem ædificantibus, ad visionem Dei pertingentem, quæ est Jerusalem cœlestis, data est omnium notitia linguarum.

2. Cor. 2. 17. *Loquebantur* autem *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*: nempe sicut dicit Paulus: *Non sumus adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate; sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.* Ubi quatuor circumstantiæ recti sermonis indicantur. 1. Ut ex sincera intentione ad Dei gloriam. 2. Ut sicut ex Deo, non à perturba-

turbato affectu. 3. Ut tanquam Deo adjuvante. 4. Ut in Christo, qualia non sunt verba vana & impertinentia.

Tandem hinc discimus, quales affectus in anima excitet Spiritus sanctus, sicut dicit Apolus: *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.* Fecerunt hoc illa die Sancti illi, ac præ omnibus Beatissima Virgo. O, si audire licuisset voces laudis & gratiarum! *Eph. 5. 18.* *Col. 3. 16*

MEDITATIO XXIV.

De gestis ab Apostolis ipsa die Pentecostes.

PUNCTUM PRIMUM.

AD sonitum Spiritûs vehementis *convenit multitudo*: sic Divina inspiratio facit accurrere quo vocat. *Act. 2. 5.*

Apostoli autem, accepto Spiritu sancto, mox prodeunt in publicum: quia vult Deus ut gratiam ejus non finamus esse otiosam. Et sicut superbiæ est semet ingerere absque virtute ex alto in opus Evangelij, ita pusillanimitatis & vitij gratia suppetente, velle delitescere.

Loquebantur autem *magnalia Dei*: id fecit lingua Spiritus sancti: lingua autem mundi, &

carnis loquuntur sua magnalia: & loquebantur Apostoli linguis ignitis, fervore ingenti, ut stuperent omnes, & mirarentur ad invicem dicentes: *quidnam vult hoc esse?*

PUNCTUM II.

ALij *irridentes dicebant, quia musto pleni sunt.* Nunquam desunt irrisores boni operis. *Heli Sacerdoti visa est Anna temulenta* præ fervore orandi. Et cognati ipsius Christi dicebant, *eum in furorem versum*, cùm prædicaret. Sic isti modo. Juvat ad humilitatem irrisio, & ut sic discamus, quàm aberrat judicium mundi, &, ut non facilè damnemus quæ à justis fiunt extra ordinem.

1. *Reg.* 1. 13.

Matt. 3. 21.

Irrisio occasio prædicandi.

Ex irrisione captant Apostoli occasionem docendi veritatem: ac primus Petrus, tanquam caput, loquitur, & modestè redarguit calumniam, quòd tam manè non sit præsumenda ebrietas, sed melius esse mustum à *Spiritu* Sancto, qui per Joëlem promissus fuerat. O Domine! *introduc me in cellam* istam, & ibi *ordina in me charitatem*, tu qui invitas: *Bibite & inebriamini, charissimi.*

Ioel. 2. 2. 28. *Cant.* 2. 4. *Cant.* 5. 2.

PUNCTUM III.

5. Petri virtutes.

SErmo efficax, quo Petrus testimonium dedit Christo, in quo elucent miræ virtutes Petri. 1. Sapientia in Christi mysterio astruendo, & confirmando ex scripturis. 2. Libertas & fortitudo animi qua Christum confitetur, quem

1.

2.

ipsi

ipsi crucifixerint: quod etiam postea fecit coram ipsis Pontificibus, Anna, & Caïpha, eísque prohibentibus, respondit: *si justum est vos potius quàm Deum audire, judicate*, idemque alij fecerunt, *loquentes verbum Dei cum fiducia.* *Act.* 4. 19.

3. Zelus & ardor dicendi, ut compuncti corde dicerent: *Quid faciemus, viri fratres?* 3.

Conversi sunt circiter tria millia, & baptizati, non absque mysterio sanctissimæ Trinitatis: ut alia vice quinque millia pro quinque Christi vulneribus. Quæ exultatio Apostolorum, matris, Angelorum, Christi ipsius!

MEDITATIO XXV.

De vita primorum Christianorum.

PUNCTUM PRIMUM.

ERant *perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* *Act.* 2. 42.

Tria exercitia virtutū.

His tribus vita spiritualis & nutritur, & augetur. 1. Audiendo & legendo, unde magis instruamur. 1.

2. Frequentatione sacrosanctæ Evchariſtiæ. 2.

3. Assidua oratione. 3.

In actis legitur Spiritum sanctum datum fuisse, vel inter *audiendum verbum Dei*, ut Centurioni. *Act.* 10. 44. *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum Dei*: vel in receptione Sacramentorum. *Act.* 8. 17. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* ubi Sermo est

Confirmationis Sacramento ; vel in oratione, cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & *repleti sunt omnes Spiritu sancto.* His igitur ego instam medijs.

PUNCTUM II.

PErfectionem consiliorum quam Christus commendaverat, Spiritus sanctus adveniens induxit inprimis Christianis ; ait enim : *omnes qui credebant, erant pariter*, communem vitam agebant, sicut *omnium erat cor unum, & anima una.* Id promissum fuerat : *Dabo eis cor unum, & animam unam*, & pro hoc Christus orabat, *ut sint unum sicut & nos* : sic impletum illud Isaiæ : *Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo, vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Homines diversi ingenij & morum, imò feri & intractabiles consuescent mansuetis. *Videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram.*

Act. 2. 44
Act 4. 33
Ier. 3. 39
Ioan. 17. 11.
Is. 11. 6.
Ps. 45 9.

Deinde paupertatem Evangelicam complexi sunt : *Vendebant possessiones, pretia ante pedes Apostolorum ponebant, nullus eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat ; dividebatur inter omnes, prout cuique opus erat, nec quisquam erat egens inter ipsos* : sic fiebat ut qui nihil habuerant, omnia possiderent ; & qui sua reliquerant, centuplum acciperent. Et sanctæ hujus paupertatis transgressor *Ananias* cum *uxore, quod de pretio fraudasset*, terribili exem-

Act. 4. 32. 24.

plo

plo à S. Petro morte mulctatus est : *quia*, inquit, *non es mentitus hominibus, sed Deo.* c. 5. 2. 4.

PUNCTUM III.

Reliqua Christianorum vita : *Quotidie erant perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habebant gratiam ad omnem plebem.* Act. 2. 46 Vita Christianorum in tribus 1. 1. frequentatio loci sacri causâ orationis, cum perseverantia uno animo. 2. fraterna conjunctio & convivatio, qualis à Davide exprimitur : *Justi epulentur, & exultent in conspectu Dei*, sine fictione aut duplicitate cordis, mutuo se excitantes, ad laudandum Deum pro impertita sibi gratia Evangelij. 3. Redundabat in plebem ædificatio magna ex sancta & fraterna conversatione quam inter se colebant, erántque in pretio. Disce, Religiose. 2. Ps. 67. 4. 3.

MEDITATIO XXVI.

De Spiritus sancti inspirationibus.

PUNCTUM PRIMUM.

Quòd homo gratia Spiritus sancti sit spiritus, sicut ait Christus : *quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, quæ summa est perfectio. Nempe, uti homo secundùm naturam fit similis generanti : ita natus ex Spiritu sancto, fit eidem similis. Porro sicut homo non statim ac est genitus, habet Spiritus S. effectus in renatis. *Ioan.* 3. 6.

omnem perfectionem agendi naturalem, sed acquirit per incrementa : ita Spiritus sanctus, quos sibi assimilavit, sensim perficit in operando : quod præstat inspirationibus suis, quarum tres sunt proprietates à Christo Nicodemo insinuatæ, apud Joannem, ex similitudine venti.

Jo. 3.6.

PUNCTUM II.

I. Spiritus S. quomodo spiret. 1. 2. 3.

PRima proprietas : *Spiritus ubi vult spirat*, quibus vult, quando vult, sicut vult. 1. inspirat non petentibus, nec cogitantibus. 2. immerentibus & indignis. 3. etiam contradicentibus, ut Paulo, præcipuè tamen filijs, qui Spiritu Dei aguntur. His inspirat optima quæque; & ut cum libertate spiritus, illa faciant, non cum tædio, non ex timore, non sicut mercenarij, sed studio placendi Deo , quæ est libertas spiritus. Et quemadmodum Deus omnibus benefacit : ita justus ab eodem spiritu motus etiam inimicis & persequentibus reddit bona. Et quia vult idem quod Deus, dum facit quod Deus vult, suam semper implet voluntatem, quod est quodammodo esse omnipotentem.

PUNCTUM III.

II. Liberè spirat.

SEcunda proprietas est: *Et vocem ejus audis:* Sic est potens, ut nullo obstaculo prohiberi possit, quin audiatur : & penetrat ad intima mentis & voluntatis, illam illuminans , hanc movens, tametsi in potestate hominis sit non con-

conſentire motioni ; ſed & flectere eum poteſt, ne diſſentiat, ídque ſuaviter, ut etiam cum voluptate ducatur, dicátque: *Domine quid me vis facere* ? Eſt auris quædam interior, diſcernens verba Spiritus Sancti : nam is mutat cor in melius ſemper, & à caducis abducit, ejuſque finis eſt juſtitia, gaudium, & pax, contra quam malus ſpiritus agit. *Act. 9. 6.*

Habet etiam homo, in quo manet Spiritus Sanctus, voces ſuas : unde agnoſcitur Spiritus inhabitans : eæ ſunt exempla virtutum.

PUNCTUM IV.

III. Occultè venit.

TErtia proprietas : *Neſcis unde veniat, aut quo vadat.* Unde minimè putatur, ſæpe inſpiratio oboritur. Finis etiam peculiaris, quem Spiritus Sanctus intendit, latet : ut cùm dicebat ſanctus Paulus : *Alligatus ſpiritu vado in Jeruſalem, quæ in ea eventura ſunt mihi ignorans.* Ego autem inſpiratione bene utar ad profectum animæ. *Act. 20. 22.*

MEDITATIO XXVII.

De ſeptem donis Spiritus ſancti.

PUNCTUM PRIMUM.

Dona S. Spiritus.

IN regeneratione ſpirituali hominis, præter virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, quibus perficitur ipſa juſtificatio, infunduntur etiam animæ dona ſeptem Spiritus San-

Sancti quæ à virtutibus distinguuntur, quòd hæ sint habitus, per quos operamur: dona autem sunt qualitates quædam animam reddentes aptam divinis motionibus & inspirationibus excipiendis, ad insignes quosdam actus. Sunt autem hæc dona cum charitate conjuncta, & illâ amissâ hæc perduntur. Juvant autem, tum ad declinandum malum, tum ad faciendum bonum.

PUNCTUM II.

Usus diversus donorũ.

JUvant ad malum declinandum, & expellendum, juxta diversas tentationes, affectionésque malas, quæ solent animam exagitare.

I. I. Est *tædium* fastidiúmque divinorum, ut plane desipiant: & ita anima ad sensualia se convertit, & effundit. Sic Israëlitæ *nauseabant supra manna*, tanquam *cibo levissimo*, & expetebant *ollas Ægypti*. Huic morbo medetur *donum Sapientiæ*, quæ rationes divinas suggerit, ut cœlestia sapiant magis, desipiant carnalia & terrena. Vocatur iste morbus, stultitia; quæ verè est maxima in illa in appetentia divinorum, praváque æstimatione.

Num. 21. 5.

II. II. Est *ruditas* sive obscuritas quædam mentis circa res fidei capiendas; unde existunt dubia, perplexitates, torpor ad credendum & sperandum. Huic medetur donum *intellectus*, illustrans nebuláque dissipans, unde pacem & gaudium habeamus in credendo.

III. III. *Hæsitatio*, in subitis præsertim tentationibus

bus unde periclitamur. Huic occurrit donum *Consilij*, suggerens expeditam rationem evadendi: ut cum Joseph *reliquit pallium* in manu adulteræ. *Gen.* 39. 12.

IV. *Ignorantia*, & incircumspectio, unde à dæmone circumvenimur, & in fraudem inducimur. Opponitur donum *Scientiæ*, quo illuminati discernimus impostruras diaboli, carnisque & mundi fallacias. IV.

V. *Imbecillitas* animi ad ferenda damna potiùs, quàm peccandum, si vitæ aut rerum jactura sit facienda. Roborat donum *Fortitudinis*, ut sanctos Martyres. V.

VI. *Duritiei* cordis, ad compatiendum proximis, & ferendum ab eis quidpiam. Emollit donum *pietatis*. VI.

VII. Motus *superbiæ*, & *arrogantiæ* frænat *Timor Dei*, qui conspicitur ex intelligentia judiciorum divinorum, & notitia illius majestatis: unde anima se humiliat. Studebo tam necessaria dona conservare, & in quavis illarum tentationum ad Spiritum S. pro opportuno auxilio confugere. *Impulsus, eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.* VII. *Ps.* 117. 13.

PUNCTUM III.

JUvant eadem dona ad prosequendum bonum etiam perfectum. 1. *Sapientia* ad divinas perfectiones subtiliter intelligendas, cum gustu, affectúque amoris. 2. *intellectus*, ad penetranda fidei mysteria, & quæ in eis latent, altissimas Modus quo Spiritus S. suis donis juvat 1. 2.

simas rationes, simúlque credenda certitudine tanta, ac si cernerentur : unde copia suavissimarum cogitationum quibus exardescit ignis
3. salutaris in meditatione. 3. *Scientia* rerum creaturarum, quatenus à Deo, & in se sunt, atque in Deum ducunt, moréque formant. Atque hæc tria dona juvant vitam contemplativam, & illius exercitationes, quæ sunt *Lectio*, *Meditatio*, *Oratio*, *Contemplatio*.
4. Sed quia hæc ipsæ debent spectare pacem in virtutibus, accedit donum *consilij*, quo dirigimur in illis, ut sigillatim & in particulari concipiam[9] proposita opportuna, & efficacia : alioqui vaga & arida e-
Eccl. 34. rit mens, ut est apud Sapientiam : *Sicut par-*
6. *turientis cor tuum phantasias patietur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio.*

Restant alia tria dona, quæ perficiunt nos in operibus vitæ activæ erga proximos.

5. Donum *Pietatis* nos perfecit, ut erga superiores, tanquam filij nos geramus ; erga inferiores, ut matres ; erga æquales, in viscéribus charitatis.

6. Donum *Fortitudinis* perficit nos ipsos ad ardua quæque pro divino obsequio aggredienda intrepidè.

7. Donum *Timoris* in ordine ad Deum, per intimam reverentiam illius majestatis, gloriam ei reddendo pro omnibus bonis.

Inter hæc septem dona, donum *Consilij* medium est, tanquam sol inter planetas, utrique vitæ consulens, tum contemplativæ, tum activæ,

ut

ut in utraque optimum eligamus, nec à Sathana se in Angelum lucis transformante deludamur. Et quia periculosum est sibimet credere ac fidere, eodem *consilij* dono impellimur, ut aliorum ductu præsertim Superiorum dirigi velimus, juxta illud: *Cor boni consilij statue tecum, credens quod anima viri sancti enuntiat vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Eccl. 37. 17.

MEDITATIO XXVIII.

De S. Stephano Protomartyre.

FUit Stephanus post missionem Spiritus Sancti inter celeberrimos post Apostolos, unus ex septem Diaconis delectis ab Apostolis, de quo apud Lucam leguntur quatuor insignia. 1. dona eximia ei collata. 2. quòd excellenter illis usus fuerit. 3. extraordinarij favores Dei erga illum. 4. exitus vitæ clarissimus, adde præmium. Ferè in alijs Sanctis possunt similia considerari. Act. 6. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

DOna ei collata intelligi possunt ex eo, quòd dicitur, *plenus Spiritu Sancto*. In quo continentur quatuor ipsi nominatim attributa, quòd plenus esset gratia, sapientia, fide, & fortitudine; *Gratia*, qua Deo gratus & amicus erat in præcipuis; *Sapientia*, in divinis excellenter percipien- Liberalitas Spiritus sancti in Steph.

cipiendis, communicandísque in alios; *Fide*, fiduciæ plena & operatrice mirabilium; *Fortitudine*, qua invictus reddebatur in profitenda, propugnandáque veritate. Accepit ista à Deo gratis: sed, haud dubiè dispósuit se, ut acciperet, disponente illum ipsamet gratia Dei, quam per illius merita flagitabo, ut aliquo modo etiam ego replear Spiritu Sancto, quod ille persecutori suo Paulo in terra adhuc positus impetravit. Deinde considerandum quàm bene usus fuerit acceptis donis.

Quomodo usus donis suis.

1. 1. Sapientia, pro Christi gloria ad revincendos Judæos, ut *non possent resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur*, juxta Christi promissum: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Act. 6. 50. *Matt.* 10. 20.

2. 2. *Fide eminenti faciebat prodigia & signa magna in populo*, ad confirmandum doctrinam.

3. 3. *Fortitudinem* exhibuit singularem in concilio malignantium Judæorum, intrepidè eos redarguens, & Christi gloriam prædicans, quando & *apparuit vultus ejus tanquam Angeli.* Quippe modestè & graviter, & servata mentis & oris serenitate loquebatur, ut verum in eo esset illud Job: *Lux vultus mei non cadebat in terram.* Non concidebat, nec confundebatur, sed mira gratia atque constantia inter furentium contradictiones, & contumelias perseverabat, objiciens illis quod *semper Spiritui sancto restitissent, Prophetas occidissent,* & ipsum Dominum: quare *stridebant dentibus in eum.*

Iob. 29. 24.

PUN-

PUNCTUM II.

EXimii favores, quibus illum Deus prosecutus est. Refert enim Scriptura : *Cùm esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei.* Ubi 1. observa quod plenitudo spiritus, hoc est gratiæ & sanctitatis, & intenta in cœlum mens per orationem, valent ad obtinendum ejusmodi extraordinarios favores, quales, etsi non sunt expetendi, curandum tamen, ne illis reddamur indigni, sed aptemur potiùs : nam dispositiones illas promittit Dominus : *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum.* 2. observa quod dicitur : *Vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei.* Ad hoc inprimis datur cœleste lumen, ut Divinitatis gloria in tribus personis, & Humanitatis in Christo exaltatæ dispensatio intelligantur : nam *hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Vidisse autem dicitur, quo notatur sublimior intelligentia divinorum, qualem significat Paulus, cùm dicit : *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur* (utique per amorem) *a claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Nempe proficiendo semper à lumine in lumen, & de virtute in virtutem, operante Spiritu S. 3. Visio hæc à Deo concessa fuit tunc Christi athletæ. Primò, ut remuneraret illius constantiam in

Favores extraordinarij.

1. *Act.* 7. 55.

Zach. 12. 10.

2.

Ioan. 17. 3.

2. *Cor.* 3. 18.

3.

reddendo testimonium Christo. Nam solet etiam nunc vicem reddere, etiam centuplam in hoc sæculo. Secundò, ad roborandum magis pugnantem. unde Christus se exhibet stantem, quasi ad auxiliandum paratum. Tertiò, ut conspecta veritate eorum quæ annunciabat, magis magísque accenderetur ad testificandum. Unde erumpit clamans : *Ecce video cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei.*

PUNCTUM III.

1. Patitur pro Deo.

MOrs Stephani pretiosa. 1. sumpsit occasionem ex illo favore singulari, quo se Christus illi exhibuerat, sicut & venditio Joseph Patriarchæ ex viso divinitus oblato. Ita Deo gratum est, ut causâ illius patiamur, siquidem eo dirigit impertitos favores. Unde & nos quoque debemus eadem referre, ut comparemur ad plus patiendum. 2. Per summum furorem est illata ei mors : nam pro eo, quòd debuissent in cœlum oculos levare, ubi Christus se ostendebat, etiam aures obturaverunt, ne verba audirent dicentis, se *videre Christum stantem à dextris Dei* : atque impetu facto, extra civitatem ejecerunt, & lapidibus necarunt, quos ille placidissimè excipiebat fixus in cœlo : unde & lapides ei dulces fuerunt. Contingat etiam mihi, ut præ gustu contemplationis Dei dulcescant labores & dolores.

2. Martyrium S. Stephani quale?

PUN-

PUNCTUM IV.

ORat pro lapidatoribus ſuis. Imitatur Magiſtrum & præceptum illius exequitur: *Orate pro perſequentibus vos.* Spiritum quoque ſuum commendabat exemplo Magiſtri. Orat autem inſtanter, quippe *flexis genibus & voce magna clamans*: cùm pro ſe ſtans oraverit, nec tali clamore: quippe neceſſitas erat major, & illi obſiſtebant gratiæ. Tulit autem fructum converſionem Pauli; priùs tamen pro ſe oravit, quàm pro inimicis: cùm Chriſtus priùs pro inimicis, tum verò ſpiritum ſuum Patri commendaverit: nam Chriſtus non egebat gratia in eo tranſitu, ſed Stephanus, qui antè de ſe debuit eſſe ſollicitus: orans pro inimicis, meretur exaudiri pro ſeipſo. Tandem de eo dicitur: quòd *obdormivit in Domino*, in charitate & unione cum Deo, vel pro confeſſione Domini. *Beati, qui in Domino moriuntur: opera enim illorum ſequuntur illos.* Singulariter Stephano convenit: *Poſuiſti, Domine, ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo.*

Fervor S. Stephani. *Matt.* 5. 44. Orat pro ſe ſtans, pro inimicis flexis genibus. *Apoc.* 14. 12. *Pſ.* 4.

MEDITATIO XXIX.

Conversio Pauli.

PUNCTUM PRIMUM.

Act. 7. 57. *Cap.* 8. 3. Saulus quantus peccator

QValis fuerit : Summus persecutor, ut præ zelo contra Christum. *Custodiret vestimenta lapidantium Stephanum.* Quin, ut testatur Lucas, *devastabat Ecclesiam per domos, intrans, & trahens viros, & mulieres tradebat in custodiam.* In quo impletum : *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperè dividet spolia* : manè & vesperè, semper in hoc intentus, ut laniaret. Nec contentus Hierosolymis id agere Damascum petijt, ut inde vinctos adduceret, *spirans minarum & cædis.*

Gen. 49. 27.

Act. 9. 1.

Cur permiserit Deus Saulo persequi Ecclesiam.

Primò quidem permisit Deus Saulum ita insanire, ut quoniam ad magna illum elegerat, sic fundaret illum in magna humiltate, quando meminisset, qualis fuisset : quod & memorabat humili gratáque recordatione : *Qui priùs blasphemus fui & persecutor & contumeliosus* : unde etiam se vocabat *minimum Apostolorum, & indignum vocari Apostolum, quòd persecutus esset Ecclesiam Dei.* Hunc fructum humilitatis ex peccatis præteritis colligere oportet, quòd qui facit, de eo dicitur : *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Vir est, qui ex peccátis surgit ardentior mulier, qui languet in opere bono.

1. *Tim.* 1. 13. 2. *Cor.* 15. 9. *Eccl.* 42. 14.

Secun-

Secundò ut ipsemet ait. *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*: nec modò patientiam in sustinendo, sed charitatem in amando tam infestum inimicum, bonitatem in vocando ita aversum & fugientem, potentiam in rebellem compellendo, misericordiam in recipiendo pœnitentem, gratiæ vim in commutando in virum alterum. Et voluit, sicut in terra degens insignes peccatores verbo convertit, Magdalenam, Matthæum, Zachæum: ita è cœlo documentum dare ejusdem pietatis, ut peccator non diffidat. II. 1. *Tim.* 1. 16.

Tertiò demum ad exemplum nobis, ne finamus nos abripi ab impetu vehementis naturæ, vel ab indiscreto zelo, vel ab ira, quamvis per boni speciem, uti Paulus: ac si tale quid contingat, redeamus ad cor, Christo dante, quamprimum, & ferventer. III.

PUNCTUM II.

CHristus apparet Saulo appropinquanti Damasco, de qua apparitione ipse scribit: *Novissimo autem omnium tanquam abortivo visus est mihi*, id est, tanquam immaturo fœtui, & præter ordinem, ac violenter edito. Mira Dei charitas & dignatio, quòd jam à dextris majestatis sedens in excelso ipsemet Christus in vero suo corpore se præsentem exhibuerit acerrimo persecutori. Nam quòd Apostolis post re- Charitas Christi erga Saulum. 1. *Cor.* 15. 8.

surrectionem apparuerit, minus fuit: tum quia terras nondum reliquerat: tum quia amantibus & desiderantibus ipsius præsentiam. Verè implevit illud pastoris boni officium, qui *relictis nonaginta novem ovibus in deserto, vadit ad illam quæ perierat*, quamquam deseruisse cœlum non est credendus. Multum est, quòd *inveniri* se faciat *à non quærentibus*: at quòd etiam à persequentibus, id verò est supra omnem modum.

Luc. 15. 4.

Is. 65. 1. *Rom.* 10. 20.

Deinde considerandus apparitionis modus.

Proprietates illustrationum cœlestium.

1. *Subito circumfulsit eum lux de cœlo.* Subito, inquit, non solùm, quia repentè, instar fulguris, sed quia inopinanti & immerenti contingit. Sic Deus agit, ut est apud Job: *In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adveniat. Annuntiat de ea amico suo, quòd possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.* Immissa est lux, *cùm jam appropinquaret Damasco*, in ipso aggressu intercipiens conatus. Aliàs Deus peccatoribus sepit viam spinis, ut revocet ad se, objiciens difficultates, & impedimenta cupiditatibus. Saulum blandè allexit, luce perfusum. Et accidit circa *meridiem*, ut ipse refert, qua hora Christus crucem subiit, nempe in fervore charitatis prævenit illum Deus: quod agnoscens ipse Paulus ait: *quòd vivo in carne, in fide vivo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Aliter etiam in meridie id factum, cùm ad summum pervenerat persecutoris rabies: quo augetur beneficij magnitudo; & Paulus dicere

1. *Iob.* 36. 32.

2. *Act.* 22. 6.

Gal. 2. 20.

re jure potuit: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* 3. *Circumfulsit eum*: quaqua versus vallavit, ut nusquam pateret ad alia intuitus, nisi per eam lucem. Id fit, quando anima sic est illustrata, ut nihil extra Deum, nisi propter Deum cogitet, aut velit. 4. Blandè compellat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* nomine proprio appellat, ut notum, & ad emolliendum. Causam rogat, veluti paratus satisfacere, si quam dederit persequendi. Ita Job: *Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cùm discepiarent adversum me*; quæ est suprema dignatio: & id facit Deus cum peccatore. Porro persecutionem servorum suorum ducit suam: &, qui in cruce non est questus de crucifixoribus suis, nunc queritur de membris suis. Felix peccator, cui Deus ita ad cor loquitur, ut intelligat quem offendit.

Ps. 93. 17. 3. 4. *Iob.* 31. 13.

PUNCTUM III.

PAuli interrogatio, *Quis es Domine?* Qui interius à Deo illuminatur, continuò appetit magis magísque nosse eum, qui loquitur in ipso; Dominum autem vocat pro reverentia erga eum jam concepta. Respondit ei Dominus: *Ego sum Jesus Christus quem tu persequeris.* Ubi duo aperit: & quis ipse sit, & qualis sit Saulus. Ego, inquit, sum Salvator, & tu Salvatoris persecutor. Hoc intelligat probè peccator, unde bonitas eminet Dei, qui ita benignus est etga

Cognitio Dei & sui ipsius.

contemptores sui ; & iniquitas peccatoris, qui talem non veretur offendere. O noverim te, Domine, & noverim me, ut te solùm amem, detester verò meipsum ! Addidit Dominus : *Durum tibi est contra stimulum calcitrare.* Nam tibimet noces, te cruentas, non exstimulantem. Ita qui obsistunt motionibus divinis, suo malo faciunt.

PUNCTUM IV.

Act. 9. 6. Stupor Sauli.

EFfectus divini responsi : *Et Saulus tremens ac stupens dixit : Domine quid me vis facere ?* Tremit ex conscientia facti, stupet de misericordia Dei erga se ; & quod ita cæcutiverit. Hæc duo operatur divina lux in anima peccatoris. *Illuxerunt coruscationes tuæ, commota est, & contremuit terra.* Offert tandem se paratum ad omnia. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Nolim, Domine, me interroges, ut cæcum illum : *Quid tibi vis faciam ?* sed ego tibi dicam. *Quid me vis facere :* quia non mea, sed tua debet voluntas fieri.

Ps. 76. 19. & 96. 4. Ps. 76. 11 Luc. 18. 41. Interrogatio Sauli qualis ?

Jubetur itaque ingredi civitatem, ibi docendus, *quid oporteat eum facere.* Vult Deus per otium, & accuratè nos cognoscere divinam voluntatem, non obiter, & perfunctoriè.

Tandem ex comitibus non dicitur aliquis conversus ; sed quod *stupefacti stabant, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Ea est profunditas divinorum consiliorum. Quanquam nec indicium ullum datur, quòd omnes per-

permanserint in perfidia: neque est verò simile, quin à Saulo postea instructi, saltem aliqui in Dominum crediderint.

MEDITATIO XXX.

De ijs quæ secuta sunt Sauli conversionem.

PUNCTUM PRIMUM.

SUrgit *de terra*: *apertísque oculis nihil videbat, ad manus autem trahentes introducunt Damascum.* 1. Jacuerat toto tempore visionis in terra prostratus à lumine & voce. Humiliari enim debuit, & cum reverentia excipere mandatum Dei; sed & in talibus debilitari solent vires corporis, ut contigit Danieli: & Jacob *claudicavit* ex visione Dei. Languet caro, vigente spiritu. 2. Ad jussum dicentis: *Surge*, resumptis viribus, surrexit, non è terra tantùm, sed ex terrenis affectibus, roboratus Spiritu. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* 3. *Apertis oculis, nihil videbat*: quia mens cœlitùs illustrata, despicit terrena, & ad ea non attendit, nec movetur.

Act. 9. 8. 1. Humiliatur Saulus. *Dan.* 10. 8. *Gen.* 32. 31. 2. Obedit Deo. *Eph.* 5. 14. 3. Fit cæcus.

PUNCTUM II.

QVid egit illo triduo à visione? *Erat ibi tribus diebus, non videns, & non manducavit, neque bibit*; sed oravit, ut Christus Ananiæ

Quid egit cæcus. *Act.* 9. 9.

1. Cur triduo.

dixit : *Ecce orat.* 1. Tribus diebus eruditi debuit de mysterio SS. Triniratis, in cujus nomine baptizandus erat. Et sicut Christus triduo jacuit in sepulchro ante resurrectionem suam : ita Paulus in illo secessu contemplationis, priusquam resurgeret per baptismum. Ac Apostoli per decem dies præparati sunt ad recipiendam plenitudinem Spiritus sancti : Paulus autem triduo tantùm ; quòd festinaret Deus illum adhibere ad opus prædicationis. 2. Præparatio fuit triplex, visus exterioris privatio, & abstractio à visibilibus, jejunium, oratio. 3. Illo triduo eruditus est à Christo de omnibus excellenter, non externo magisterio, sed interno. Unde ait : *se non ab homine accepisse & didicisse Evangelium, sed per revelationem Jesu Christi.* Et hoc ipsum indicavit Ananias, cùm ad eum veniens dixit : *Deus præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres justum, & audires vocem ex ore ejus, quia eris testis illius ad omnes homines, eorum, quæ vidisti & audisti.* Et inter alia etiam didicit, quod per *Ananiam visus ei foret restituendus.*

2 Præparatio triplex.

3. Eruditur à Christo Gal. 1. 12

Act. 22. 4.

Act. 9. 11.

PUNCTUM III.

1. Modi revelationũ varij

Ps. 138. 8.

Cant. 5. 2.

ANanias interpellatur à Domino. 1. Monetur in visu vel somno, cùm Saulus vigilans vocatus fuisset : nempe sive vigilantes, sive dormientes, decet nos ita esse compositos, ut idonei simus recipiendo divino lumini. *Nox, illuminatio mea in delitijs meis.* Et *ego dormio, & cor*

cor meum vigilat. 2. Designatur vicus, ubi diversabatur Saulus, quod vocaretur *Rectus*, & Dominus domus, *Judas* quod est confessio, sive peccatorum, sive divinæ laudis. Aptè omnia. nam ceperat gressus suos rectos facere, & agnoscens sua peccata, laudabat Patrem misericordiarum. 3. Jubetur Ananias adire Saulum, non accersite ad se, quia ægrotus adeundus est à medico, & quia vult Deus quæri oves suas, & quadrat nomen *Ananiæ*, quod est, *Nubes Domini*, quales esse debent Prædicatores, nempe veloces, agilésque, & imbre cœlesti pleni, ad irrigandas animas.

2. Mysterium in vocibus.

3. Cur Ananias adit.

PUNCTUM IV.

ANanias obtendit difficultates, quas diluit Dominus. 1. Ait: *Domine audivi de viro hoc, quanta mala fecerit* Non oportet conceptas opiniones de proximo, præsertim ex solo auditu, tenaciter retinere, maximè cúm potuerit interea emendari. Et Ananias audierat ex ore Domini de Saulo: *Ecce orat*: quod erat signum mutatæ mentis. 2. Videtur Ananias affectu humano ductus, quòd timeret sibi à lupo. Unde velut interrupit initio sermonem Domini, objiciendo difficultates. Licet quidem difficultates proponere, ut discamus modum eas vincendi; non verò, ut declinemus executionem mandati. Neque Ananias sic proposuisse putandus est, sed ut cognosceret, quomodo agendum sibi cum Saulo. 3. Dominus respon-

1. Fallacia judicia relinque

2. Tergiversatur Ananias

3.

Christi ad eum responsio.

spondit: *Vas electionis est mihi iste.* Verè electionis, hoc est, modo singulari, nullísque ejus meritis delectum, & ad summa quæque electum. Vas autem, hoc est, instrumentum, *ad portandum nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël*: & quod de Sole dicitur; *Vas admirabile opus excelsi.* Nec portabit modo nomen meum, sed pro illo etiam multa patietur. *Ostendam enim illi quanta eum oporteat pati pro nomine meo.* Recensetipsemet, qui tulit: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, &c.* Et quidem jure optimo ita Deus disposuit. Primò, ut lueret in se, quæ aliis intulerat sanctis, & per hæc præpararetur ad insignem gloriæ coronam ipsi à Deo destinatam. Deinde, ut discamus extraordinarios gratiæ favores non conferri, nisi multa pro Christo passis, aut per afflictiones disponi hominem ad illos. Denique, ne foret discipulus supra Magistrum, aut Apostolus, præ eo qui misit illum.

Eccl. 43. 2.

1. *Cor.* 11. 23.

PUNCTUM V.

1. Suavis providentia Dei.

ANanias exequitur mandatum Domini. 1. Adit Saulum. Potuerat Deus, qui tam potenter vocaverat, absque ministerio cujusquam reddere Saulo visum, sed amat subjectionem in quolibet, quantúvis magno. Unde etiã per Ananiam Saulo denuntiat, quòd esset munus ejus, *testificari de Christo in omnes gentes.* Compellat Ananias eum benignè vocans fratrem,

trem, sed cum authoritate tamen agit : *Saule frater! respice, Deus præordinavit te, ut cognoscere voluntatem ejus, exurge, baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.* Act. 22. 13.

2. Voluit Deus illuminari eum ante baptismum, ut magis gauderet, conspecto baptizante, & inde intelligeret effectum baptismi, qui illuminat & squammas peccatorum abstergit. Accepit simul donum linguarum, aliáque Apostolis impertita. Quomodo exultavit? quas Deo gratias egit? pro epistolis autem quas attulerat ad vinciendos credentes, ipse factus est viva epistola, ad Christi gloriam evulgandam. 2. Baptismi virtus ostenditur.

3. *Continuò ingressus synagogas prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Non acquievit carni & sanguini*, ut ipse ait, sed absque respectu suorum (quibus levis, & inconstans videri poterat, & quorum indignationem ac persecutionem metuebat) tanquam musto plenus statim prosilijt, ut Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum: *& convalescebat, & confundebat Judæos affirmans quoniam hic est Christus.* Ita nimirum redimere volens priorem culpam, & resarcire damna illata, & implere quod alijs postea ipse præscripsit : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* 3. Fervor Sauli conversi. Rom. 6. 19.

ME-

MEDITATIO XXXI.

Illustres Pauli virtutes.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Paupertas B. Pauli. 1. *Tim.* 6. 8.

PAupertas eximia. 1. reliquit omnia, ut cæteri Apostoli; & implevit, quod suasit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*: & *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Nam bonum paupertatis erat ipsi præ totius mundi possessione. 2. Sustinuit multam egestatem: *in fame & siti, in jejunijs multis, in frigore, & nuditate.* 3. Negravaret Fideles, cùm posset vivere de Evangelio: *sibi & socijs victum labore manuum* quæsivit.

2. *Cor.* 6. 10. c. 11. 27. 2. *Thes.* 3. 8.

PUNCTUM II.

1. Castitas. 2. *Cor.* 7. 7. 2. c. 9. 15. 22.

CAstitas inconcussa. 1. se proponit exemplum cælibatus: *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum: ut essent sancti corpore & spiritu, & possent sine impedimento Dominum obsecrare.* 2. noluit *mulierem circumducere* (quod alij faciebant) quæ sibi necessaria suppeditaret, ad cautelam & exemplum. 3. Probatus fuit tentationibus, *Angelo Sathanæ eum colaphizante*, & roganti pro liberatione responsum fuit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*: Nempe dum oppugnata vincit. Et continet tentatio hominem in humilitate, *Ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis.* Eodem spectat, quod

3. Interna pugna. 2. *Cor.* 12. 7.

di-

dicebat: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Verum, ut alibi ait: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Rom. 7. 22. 1. Cor. 17. 15.

PUNCTUM III.

MOrtificatio carnis, & sensuum, custos castitatis: ait enim: *Ego sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et alibi: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Nam ille multa tulit in corpore suo propter nos. Unde etiam dicebat. *Ego stigmata Jesu in corpore meo porto*: ipsum imitor ferendis carnis afflictionibus. Pœnitentia. 1. Cor. 9. 26. 2. Cor. 4. 10. Gal. 6. 17.

PUNCTUM IV.

HUmilitas divinissima. 1. Nam sibi alios præferebat: *Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Et: *Ego sum minimus Apostolus.* Et. *Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia.* Sanctorum, inquit, id est credentium. Videlicet considerabat in se, quod suum erat, peccata; non dona gratiæ, quæ erant Dei. In alijs autem gratiam suspiciebat, non infirmitatem naturæ attendebat. Humilitas B. Pauli. I. Se minimum ait 1. Tim. 1. 15. 1. Cor. 15. 9. Eph. 3. 8

II. Palam sua peccata confitebatur, *Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, & per-* II. Confitetur peccata.

1. *Tim.* 1. 13. *Act.* 22. 19. 2. *Cor.* 12. 11. *v.* 6. *perse quebar Ecclesiam Dei.* Et: *Cùm funderetur sanguis Stephani, ego adstabam; & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Quòd si pro se dicere cogeretur invitus faciebat: *Factus sum insipiens: vos me coëgistis.* Et reticebat tamen multa: *Ne quis,* inquit, *me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Nimirum humilis est, promptus ad sua imperfecta manifestanda, tardus ad ea, unde commendatur: quod ipsum, cùm facit, humiliat se, dum idcirco ab aliquibus vanus reputatur.

III. Deo gloriam tribuit. 1. *Cor.* 15. 10. 2. *Cor.* 12. 5. *Act.* 14. 13. 1. *Cor.* 4. 7. III. Bona, quæ habere se noverat, in Deum referebat. *Gratia Dei sum id, quod sum Abundantius omnibus laboravi: non ego, sed gratia Dei mecum.* Et: *Pro me nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.* Et cùm ei deferrentur divini honores, scissâ tunica exiliens in turbas clamabat: *Viri, quid hoc facitis: & ego homo mortalis sum, similis vobis.* Meminerat illud suum: *Quid habes quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris; quasi non acceperis?*

IV. Timor in seipsum. *v.* 4. *c.* 9. 27. *Col.* 4. 3. *Rom.* 5. 30. *Col.* 4. 3. *Gal.* 2. 2. IV. Quòd sibi non fideret, sed sancto timore afficeretur. Ut cùm dicebat: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* Et: *ne fortè reprobus efficiar.* Et idcirco studiosè petebat preces fratrum pro se; & ne per se aliquod objiceretur impedimentum divinæ circa se, & Evangelium dispositioni. Et tandem cùm accepisset Evangelium à Christo, subjecit se aliis Apostolis, *ne fortè in vacuum curreret.*

V. Quia

V. Quia gaudebat contemni se: *Mihi adsit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et: *Pro minimo mihi est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Et: *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, (placere quærerem) servus Christi non essem.*

V. Mundū contemnit. 1. Cor. 4. 3. Gal. 1. 10.

PUNCTUM V.

PAtientia invicta. 1. Labores fuerunt maximi. *Gravati sumus supra modum & supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere: nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores.* 2. Sic ferebat; ut ad majores paratus esset: *Ego non solùm alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Jesu.* 3. Inter labores fiducia magna erigebatur in Deum: *Ut non simus confidentes in nobis, sed in Deo, qui nos de tantis periculis eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.* Et *scio abundare, & penuriam pati: Omnia possum in eo qui me confortat.* 4. Reficiebatur divinis solatijs: *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & eos consolari, qui in omni pressura sunt.* Et: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo.* Sic Deus compensat tolerantiam.

Patientia. 1. 2. Cor. 1. 8. c. 7. 5. 2. Act. 21. 13. 3. 1. Cor. 1. 9. Phil. 4. 12. 1. Cor. 14. c. 7. 4. c. 12. 10.

PUNCTUM VI.

Oratio & contemplatio.

ORatio & contemplatio. 1. assiduè orabat. *Testis est mihi Deus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis*: quòd & alijs suadebat: *Volo vos orare in omni loco levantes puras manus ad Deum.* 2. Orabat affectuosè; nam dicebat: *Orabo spiritu, orabo & mente.* Videlicet conversatio *ejus in cœlis erat.* 3. Contemplatio ejus fuit altissima: *Raptus ad tertium cœlum audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Ait: *Ne magnitudo revelationum extollat me*: & illud *si mente excedimus Deo*, ubi significantur extases mentis. 4. Hinc provenerunt altissimi sensus, quos de Christo, & ejus gratia, de arcanis providentiæ, de Deo, & Angelis, deque alijs rebus protulit: & inde factum ut omnia alia parui penderet: *Existimo omnia detrimentum, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, & arbitror ut stercora.* Age anima mea? contende in studium orationis, unde affluit tanta bonorum copia.

Rom. 29. 1. Tim. 2. 8.

2. 1. Cor. 14. 15. Phil. 3. 20.

3. 2. Cor. 12. 2, 4. 7. c. 2. 12. 7. c. 5. 13.

4. Phil. 3. 8.

PUNCTUM VII.

Amor unitionis cum Christo.

CHaritas erga Christum, qua erat ei summo unionis gradu conjunctus; quod expressit, dicens: *Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus.* Ubi significantur duo unionis modi; alter per amorem Crucifixi, ejúsque imitandi in omni-

Gal. 2. 19.

omnibus studium. Unde dicebat: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum*: Hoc cogitat, hoc loquitur, hoc agit, ut se conformet crucifixo. Alter modus est abstractior, ac si Christus ejus anima esset, omniáque in ipso operaretur: *Vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Christus.* O tunc beatum meum vivere, si Christus in me vivat, non ego! 2. Cor. 2.

Ab hoc amore veniebat ille fervor: *Quis nos separabit à charitate Christi?* ubi enumeratis adversis omnibus, concludit per nullum eorum, nec per omnia simul, se tantillum dimoveri unquam posse. *Multæ*, videlicet, *aquæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Erit *ignis, qui nunquam dicit: sufficit.* Rom. 8. 35. Cant. 8 7. Prov. 30. 16.

PUNCTUM VIII.

CHaritas fervens erga proximos. 1. Hæc ex charitate Christi accendebatur in corde ipsius: unde dicebat: *Charitas Christi urget nos.* Præ se tulit eam variis modis. Nam Ephesios alloquens ait: *Per triennium nocte & die non cessavi, cum lachrymis monens unumquemque vestrum.* Et: *Omnium me servum feci, ut plures lucri facerem.* Et: *Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile est; sed quod multis, ut salvi fiant.* Ideo tot peregrinationes suscepit, & tot labores exantlavit. 3. Inde afficiebatur alienis malis tanquam propriis: Zelus animarū. 1. 2. Cor. 5. 14. 2. Act. 20. 31. 2. Cor. 9. 19. 12. c. 10. 33. 3.

2. Cor. 11. 29. Rom. 9. 2 Gal. 4. 19. 4. Phil. 1. 23. Rom. 9. 5. 5. 1. Cor. 4. 12. 2. Cor. 12. 15. Phil. 1. 18.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Et: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo propter Judæos incredulos.* Et *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* 4. Anteferebat salutem proximorum suo spirituali commodo, dicebat enim: *Dissolvi & esse cum Christo, multò melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Quin *optabat anathema esse à Christo pro fratribus.* 5. Non excludebat ejus charitas inimicos: *Maledicimur & benedicimus; blasphemamur & obsecramus. Superimpendar pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar.* Non ægrè ferebat, quod alij prædicarent Christum, ad ipsius invidiam & pressuram: sed *in hoc*, inquit, *gaudeo & gaudebo, ut Christus annuntietur, sive per occasionem*, sive per veritatem.

PUNCTUM IX.

Aliæ virtutes.

EX ista charitate oriebantur aliæ virtutes. I. Obedientia ad nutum, cum aliquo se conferre jubebatur; licet se offerrent difficultates, & pericula: nec inde gloriabatur: *nam si*, inquit, *evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas mihi incumbit: & væ mihi, si non evangelizavero!* Meminerat illud. *Cùm feceritis omnia, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

I. Obedientia. 1. Cor. 9. 16. Luc. 17. 10.

II. Sollicitudo.

II. Circumspectio verborum: *Non sumus adulterantes verbum Domini, sed ex sinceritate:*

sed

sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. 2. Cor. 2. 17.
Ita agebat sive in prædicando, sive in conversando: quippe semper habens Deum in intentione sua.

III. Studium proficiendi semper in melius: *Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ priora sunt, extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei.* III. Desiderium profectus. Phil. 3. 12.

IV. Dexteritas in tenendo medium, inter virtutes quæ ægre copulantur, puta inter humilitatem & magnanimitatem, inter mansuetudinem & zelum, inter misericordiam & justitiæ rectitudinem. IV. Dexteritas.

V. Desiderium æternorum. Gemebat libertatem filiorum Dei expectans: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, & ideo contendimus, sive absentes sive præsentes, placere illi.* V. Phil. 1. 21. 2. Cor. 5. 8.

VI. Fiducia obtinendæ beatitudinis. *Bonum certamen certavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Hinc illa alacritas per omnem vitam, ad offerendum se in pericula: *semper nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum.* Et: *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu* VI. Fiducia 2. Tim. 4. 7. 2. Cor. 4. 11. 2. Cor. 15. 31.

VII. Constantia moriendi cujus mors ideo lenior à Deo ordinata fuit, quod tota vita fuisset crux. VII.

MEDITATIO XXXII.

Vocatio Cornelij, & visum Petri, de vocatione Gentium.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Cornelij virtutes ad Baptismum. *Act.* 10. 1. 2. 3. 4.

QVomodo Cornelius se disponebat ad fidem, & vocationis modus. 1. dicitur fuisse *religiosus*, nempe sedulus circa cultum Dei: nam etsi gentilis, verum Deum colebat. 2. *timens Deum*, cavens peccata, quibus Deus offenditur: ac ejus exemplo, tota domus erat talis. 3. *Faciens eleemosynas multas plebi.* 4. & *precans Deum semper*, frequenter, & statis horis. Unde hora nona oranti adfuit Angelus. Talia is faciebat præventus gratia Dei, ut per ea præpararetur ad percipiendum quod ipsi deerat.

Modus vocationis. *Hebr.* 14. *Tob.* 12. 12. 1. *Act.* 10. 4 *Eccl.* 35. 21. *Eccl.* 29. 15. 2.

Modus vocationis fuit *per Angelum*, manifestè hora *diei nona apparentem*. Nam *sunt administratorij spiritus in salutem hominum*: & *ipsi offerunt orationes & bona opera nostra ante Deum*, 1. Dicit Cornelio: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei*: videlicet *oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non descendet, donec Altissimus aspiciat.* Rursum: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo.* 2. Jubet accersere Petrum, & ab eo discere quid oporteat ipsum facere. Non Angelus eum docet, sed re-

remittit ad hominem, ut commendetur subordinatio inter nos, & humilis subjectio. *Misit ergo Cornelius duos ex domesticis, & militem timentem Deum.*

PUNCTUM II.

Modus orandi. *Matt.* 6. 6.

PEtrus sub adventum nuntiorum orat. *Ascendit autem in superiora domus hora sexta, ut oraret.* Locus secretus ad orationem quæri debet. *Intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem tuum.* Tempus etiam aptum, & statum debet esse. Antiquis fuere in usu hora tertia, sexta, & nona: ut Danieli & Davidi; & maximè Apostolis. Tertia ob Spiritus S. adventum: Sexta, quod tunc erat Christus cruci affixus: Nona, qua exspiravit, atque ad inferos descendit. Constituam mihi certa tempora, quibus reliqua negotia postponam: *Inter orandum cecidit super Simonem mentis excessus*; qui est abstractio à sensibus, & supra naturæ conditionem elevatio quædam animæ ad superna contemplanda. Solet Deus maximè inter orandum ita se communicare.

PUNCTUM III.

Similia spiritualia.

VIsum Petro oblatum. Sicut inter nos agens Dominus utebatur parabolis, ad repræsentandas res: ita nunc per objectas imagines idem facit: ita cum Joanne in Apocalypsi, & jam cum Petro agit. Nos talia requirere non convenit: juvat tamen mysteria Christi humani-

tatis repræsentare nobis ad meditandum, efformatis per imaginationem ejusmodi imaginibus, in quibus velut res cernamus, sed citra capitis offensionem, & vitata illusione. 1. in linteo quatuor initijs submisso de cœlo in terram, inerant quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli. Linteum est Christi humanitas, quam de cœlo veniens assumpsit. Ad linteum istud colliguntur ex quatuor cœli plagis mortales, dum per baptismum Christo incorporantur, ejúsque fiunt membra : Omnia insunt animalia, quia nemo excluditur, si velit: & nominatim exprimuntur tria illa genera, quibus notantur avari, carnales, & superbi : quos non aversatur Christus, sed sanctificat.

II. Occide, manduca mysticè quid?

II. Facta est vox ad Petrum : *Surge, occide, & manduca.* Occidere jubet peccatores, ut peccato moriantur : manducare autem illos, hoc est, Christo incorporare per novam vitam.

III. Responsio Petri

III. Aversatus Petrus, quia, inquit, *nunquam manducavi commune & immundum.* Erant quippe ibi multa ex animalibus lege prohibitis : At non animalia, sed per illa significatas intelligebat Deus gentes, quæ Judæis habebantur immundæ. Igitur respondet : *Quod Deus sanctificavit, tu commune ne dixeris :* quo significavit gentibus etiam communicari oportere gratiam Evangelij. Deus sanctificavit, eo quod elegit, ut participarent gratiam. Hoc est motivum, ut non averseris ullum peccatorem :

sed

sed lucrari magis satagas, quando Deus omnes recipit.

IV. *Per ter* factum esse dicitur, ut Petrus detrectaret manducare, & nihilominus juberetur; sicut tertiò interrogatus fuit de charitate: *Amas me?* Voluit Deus docere ratam sibi esse eam voluntatem admittendi gentes, & velle id esse quam testatissimum. Vas autem sive linteum receptum est in cœlum, ut intelligeretur propalatam esse omnibus, quamvis immundis, viam ad cœlum. IV. Ternarius numerus.

PUNCTUM IV.

HÆsitante Petro, quidnam esset visio, adsunt à Cornelio nuntij, & cum eis jubetur ire. Venit, prædicat, credunt, & descendit super eos Spiritus Sanctus, cum dono etiam linguarum, & baptizantur. Deus non semper manifestat statim visorum intelligentiam, vel, ut humilietur homo, & oratione impetret, vel, ut commodiore occasione Deus rem aperiat, ut hîc contigit, per eventum, dum accersitur Petrus à Gentilibus, & ipso prædicante, attestatur Deus etiam Gentibus pœnitentiam dari. Visiones non semper exponuntur.

MEDITATIONES
De B. VIRGINE.

MEDITATIO XXXIII.

Qualiter vixerit post adventum Spiritus sancti.

PUNCTUM PRIMUM.

EVangelica vota servavit, non solitariam agens, sed communem vitam, quo alijs etiam prodesset.

I. B. Virginis paupertas.

I. *Paupertatis* votum fecit (nisi antea fecerat) vivens ex communibus, quæ dividebantur, prout cuique opus erat, contenta tenui victu & vestitu, memor fellis & aceti, atque nuditatis Filij sui in cruce.

II. Obedientia.

II. *Obedientiam* perfectè coluit non solùm circa mandata Evangelica Filij sui, verum etiam circa omnes Petri & Apostolorum constitutiones & decreta, exprimens in seipsa vivam imaginem obedientiæ Filij sui, & sic eum in spiritu suo quasi iterum parturiens: pariat utinam illum etiam in me.

III. Castitas.

III. *Castitatem* Angelicam perseveravit custodire. Unde meruit ab Ecclesia invocari: *Virgo virginum*, imo virginitas ipsa, cùm canit: *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam?* Porro ut Arca Testamenti ex lignis imputribilibus compacta, auro insuper contecta fuit, ita Virgo Mater castitati adjecit aliarum custodiam virtutum.

IV. Modestia.

IV. Inerat *modestia* in omni motu, gestúque corporis, index internæ compositionis. *Parca sermonis*, non nisi necessaria, & ea paucis, sub-

ſubmiſſéque proloquens: quam ei laudem tribuit Sponſus, *Sicut vitta coccinea labia tua*, quippe aſtricta, & minimè diffluentia, & charitate rubeſcentia *Abſtinens cibi*, uſquequo vivere poſſet, & quidni jejunaret, ablato Sponſo? *Vigil* ſemper, niſi gravante neceſſitate, & tunc quidem *cor ejus vigilabat*, verſans mente cœleſtia, quæ in vigilia tractaverat. *Sollicita* in externis obſequijs, vel divini cultus, vel commodi proximorum, vel domeſticorum. Denique *omni cuſtodia ſervans cor ſuum, quia ex ipſo vita procedit*, intenta ſenſibus foris cuſtodiendis, ſoli Deo intus placere ſtudens. *Solita*, inquit Ambroſius, *arbitrum mentis, non homines, ſed Deum quærere.*

Cant. 4. 31.

V. Abſtinentia.

VI. Vigilantia.

Cant. 5. 2

VII. Cuſtodia cordis.

Prov. 4. 23.

PUNCTUM II.

STudium *orationis* & *contemplationis* viguerunt ſemper in B. Maria: ſed ut aliæ virtutes, ita etiam ipſæ incrementum in dies acceperunt. 1. Aberant illa quatuor impedimenta, quæ Bernardus recenſet, *culpa mordens*, *cura pungens*, *ſenſus egens*, *irruentia imaginum corporearum phantaſmata*. Mala quadriga animam à Deo abducens, in quam convenit illud ſponſæ: *Anima mea conturbavit me propter quadrigas.* Aminadab. 2. Inerant ſummo gradu omnes illæ virtutes, quibus tanquam alis elevatur anima in contemplationem, *Fides* myſteriorum viva, *Fiducia* in Deum magna, *Humilitas* profunda, *Charitas* ardens, *Sapientia* & reliqua Spiritus ſancti

Oratio & Contemplatio.

1. Sine impedimentis.

Cant. 6, 11.

2. Quibus virtutibus oratio ferebatur.

sancti dona eximia : ut admirantes Angeli dicerent tunc maximè, si unquam aliàs : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi e aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij* ? 3. Obibat loca, ubi mysteria Redemptionis patrata fuerant, magno sensu illa recolens, & inde mirificè illustrata. 4. Continuabat orationem etiam inter labores manuum, & in somnis etiam erudiebatur, ut Patriarcha Jacob. 5. Percipiebat extraordinarios sæpe favores præ Sanctis alijs, de quibus legitur ; vel quod facie ad faciem eis loqueretur Deus, ut Moysi ; vel quod ad tertium cœlum rapti, audierint arcana verba, ut Paulus ; vel quod spiritu elevati fuerint ad prænoscenda futura, ut Joannes; vel quod gloriam Dei viderint, ut Stephanus. 6. Communicabat quotidie cum fide, reverentia, & devotione incredibili, memorans, quomodo eundem olim utero gestasset, lactasset, contrectasset, fructúmque referens, qualem oportebat ex tam excellenti dispositione, qua ad communicandum accedebat.

Cant. 3. 6.

3.

4.

5.

6. Communicat quotidie.

PUNCTUM III.

Salutem animarum curat orando.

ZElus gloriæ Dei, & salutis animarum. 1. Cooperabatur, ardentissimè orando, tum pro ipsis Evangelij præconibus, ut essent efficaces, tum pro convertendis, ut emollirentur, & pro ipsorum martyrum constantia, ita ut tantæ illæ primi temporis conversiones peculiariter

ipsi

ipsi acceptæ referendæ sint. 2. Promovebat salutem proximorum ipsa ejus vitæ sanctimonia, ut stupori esset, & divinum quid, sicut ait Areopagita, præ se ferret. 3. Juvabat etiam verbo doctrinæ, quando illa pro ipsis Apostolis altius erat de divinis edocta, & conveniebatur à remotioribus quoque partibus, unoquoque illam videre ac alloqui desiderante, ut affirmat Ignatius. Quin est traditio, sicut olim ad montana excurrit, ut sanctificaret Præcursorem: ita per hoc tempus ad varia loca fuisse profectam, ut Fideles confirmaret. 4. Patiebatur à Judæis obtrectationes, sicut ejus Filius, & de illorum incredulitate, & aliorum lapsibus angebatur, zelo Dei ipsam comedente.

2. Exemplo

3. Verbo.

4. Adversa patitur.

PUNCTUM IV.

QVomodo B. Virgo operabatur. Nimirum toto conatu, secundùm omnem virtutem à Deo acceptam, & quia charitas illius erat intensissima, eliciebat actus intensissimos. Porrò Deus bene agentes statim remunerat incremento gratiæ & charitatis; quo fiebat, ut proximi actus elicerentur duplo perfectiores, atque ita progrediendo, fieret auctio meritorum inæstimabilis.

Augmentum virtutũ.

Hinc est quod B. Virgo perfectissimè implevit præceptum *dilectionis Dei ex tota mente, corde, anima & viribus.* Item illud: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra;* idque in parvis æquè ac magnis rebus. Denique novis semper

Dilectio Dei in summo gradu. *Deut.* 9. 5. *Matt.* 6. 10.

per profectibus intenta fuit, quotidie mutans fortitudinem, novásque pennas assumens, & ex-
Cant. 7. 1 ultans ad currendam viam. *Quam pulchri sunt*
Cant. 6. 9. *gressus tui, filia Principis!* progrederis *quasi aurora consurgens usque ad perfectam diem.*

MEDITATIO XXXIV.

Transitus B. Virginis à vita mortali, &c.

PUNCTUM PRIMUM.

Ardens desiderium videndi Deum.

PRæparatio per ardentia desideria videndi Deum: Nam, cùm semper arsit post Ascensionem Filij, tum maximè postremis annis, cùm appropinquabat tempus: nec id tædio laborum, sed puro amore Dilecti. Et quia versata erat in sacris litteris, inde seipsam magis accendebat.
Ps. 19. 5. Modo sibi ipsi loquens, dicebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Nunc verò:
Ps. 41. 2. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.*
Ps. 141. 8. *Educ de custodia animam meam ad confitendum tibi.* Interdum Angelis ipsam visitantibus:
Cant. 5. 8. *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.*
Phil. 1. 23. Nihilominus voluntatem suam divinæ subjiciebat: *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo:* parata tamen permanere in carne, si propter alios esset necessarium; quod & Paulus sentiebat, & Martinus: sed ubi appropinquare diem sensit, tum verò se totam in affectus effundens, dicebat: *Fulcite me floribus*

bus, stipate me malis, quia amore langueo. Nunc prodeant flores fragrantissimi internorum affectuum, & mala pulcherrima bonorum operum, quibus deficiens præ amore anima reficiatur. Pudeat me illius summi boni non tangi desiderio, atque ad illud non anhelare. Novus fervor ante mortem *Cant.* 2. 5.

PUNCTUM II.

QVòd debuerit mori: nam etsi ab originali labe fuerat præservata, non ideo à debito moriendi. Etenim *statutum est hominibus semel mori*; & Filius ejus mortuus est, supra quem non convinciebat illam esse. Et experiri ac vincere debuit ad majus meritum illam mortis difficultatem, eo quod *nolumus spoliari, sed supervestiri*: atque in ea etiam re exemplum nobis relinquere, quo fidentius eam interpellaremus. *Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Cur mori debuit *Heb.* 9. 27. 2. *Cor.* 5. 4.

Fuit proculdubio denuntiata ipsi hora dormitionis, & quidem per Gabrielem Archangelum, qui secundò eam salutaverit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, simulque exposuerit, quanto ejus desiderio tenerentur omnes cœlites. Quis valeat concipere, quanto fuerit gaudio perfusa? *Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.* Et submisit se divinæ dispositioni: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Mortis hora ei denuntiata. *Ps.* 121. 1

Ad hæc voluit Christus, ut Matris discessui Apostoli interessent, ad illius honorem, & ipsorum Apostolorum præsentia.

rum ſolatium, quos ſolata eſt, & benedictione ſua impertijt, precata Deum pro illis : convenerunt autem ſub id tempus, Deo mirabiliter eos transferente.

PUNCTUM III.

Chriſtus morituræ apparet. *Cant.* 2. 10.

EXpiranti adfuit Filius cum multo Angelorum comitatu, invitans ad migrandum ſimilibus verbis : *Surge, propera amica mea, formoſa mea & veni. Jam hyems tranſiit, imber abijt, & receſſit. Veni de Libano*, ab excelſo culmine perfectionis quam tenuiſti. *Veni, coronaberis.* Ad Filij conſpectum ſupra quam cogitari poteſt, exhilarata, & memor horæ qua Filium viderat expirantem, Fili, inquit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum.* O verè pretioſa mors in conſpectu Domini ! 1. Quia non morbus, aut ægritudo, ſed amoris vis animam eduxit è corpore, deficientibus viribus. 2. Quia ſine doloris ſenſu ſeparata eſt anima, ita Chriſto providente, pro doloribus acerbiſſimis quos in ipſius morte apud crucem ſuſtinuerat, quando *ejus animam pertranſivit gladius.* Sed & gaudium ex præſentia Filij, & ex amoris magnitudine, ademerat omnem ex disjunctione animæ à corpore doloris ſenſum. Ut in eam præcipuè illud conveniat : *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eos tormentum mortis.* 3. Quia, ſi *beati mortui, qui in Domino moriuntur, quod opera illorum ſequuntur illos :* quam beata fuerit mors Virginis, quam tot tantaque comitaban-

Mors ejus pretioſa. 1. 2. *Luc.* 2. 35. *Sap.* 3. 1. 3. *Apoc.* 13.

bantur merita ? Verè *Virgo prudentissima, quam Dominus vigilantem invenit*, & affluentem oleo. *Moriatur anima mea morte justorum; & fiant novissima mea hujus similia.* *Luc.* 12. 45. *Num.* 23. 10.

PUNCTUM IV.

Funus S. Virginis defertur comitantibus Angelis.

FUnus ejus glorioſiſſimum fuit. Elata eſt, tum Apoſtolis, aliiſque diſcipulis deducentibus, hymnóſque divinitus inſpiratos in eam concinentibus, tum Angelorum choris eandem celebrantibus. Patrata ſunt ad ejus ſepulchrum miracula, & Apoſtoli mira ſuavitate cœlitus perfuſi de gloria ſuæ Magiſtræ, & quod eam nacti eſſent advocatam apud Filium.

MEDITATIO XXXV.

Glorificatio animæ B. Virginis.

PUNCTUM PRIMUM.

Amplexus Matris & Filij. *Cant.* 2. 6. c. 8. 3. *Cant.* 3. 4.

INtroductio animæ in cœlum empyreum. Id quamvis momento peractum eſt, licet per partes contemplari. 1. Exeuntem animam Chriſtus complexu ſuo excepit, & qui hactenus eam *læva ſub capite* ejus quaſi ſuſtentaverat, nunc *plexatur dextera*: hoc eſt, quam foverat contemplatione operum mirabilium Dei (præſertim in aſſumpta carne) nunc complet clara ſui viſione. Tunc dixit B. Mater: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.*

2. Angelicus comitatus. *Luc.* 1. 28. *Iudith.* 15. 11. 20.

2. Effusi obviam Cœlites salutant, gratulantésque deducunt, Gabriele præcinente: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quin ego me illis misceo, & pariter occino: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciſti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, ideo eris benedicta in æternum.*

3. A Filio deportatur. *Cant.* 28. 5.

3. Non Angelorum manibus portatur, ut *Lazarus in sinum Abrahæ*, sed ipsius Christi redentis ei vicem, quod olim infans fuisset in ulnis ab ea gestatus: quod ut insolitum, mirantes Angeli, dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Sic ovans ingreditur cœlum empyreum, adblandientibus ipsi divinis Personis. Pater excipit, uti filiam dilectam, Filius ut matrem, Spiritus S. sicut sponsam. Quales ibi sensus? Excedit hoc cogitationes mortalium. Adsectabor euntis vestigia. Relinquam desertum hujus mundi, pro nihilo habendo ejus voluptates & commoda. Progrediar innixus Deo, non meis viribus, *ad anteriora me extendens.* *Phil.* 3. 14.

PUNCTUM II.

Essentialis gloria B. Virgin. *Luc.* 6. 38.

MAgnitudo gloriæ animæ Mariæ æstimari potest ex eo, quod omnibus justis dicitur, *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in sinum vestrum*: qualem igitur Dei Matri? Item ex eo, quod *qua mensura mensi fueritis,*

vitis, remetietur vobis. At quali Beata Virgo mensa est: quæ sic amavit, sic vixit, talia pertulit? Novit sola ipsa, quæ accepit, quantum acceperit: supra Cherubim videt: supra Seraphim amat: satiatur à torrente deliciarum præ omni spirituali creatura, quæ Deum ipsum lactaverat, quæ ejus causa calicem passionis amarissimum hauserat. Quid non ei rependit Filius, alioqui solitus nec frigidæ haustum indonatum relinquere?

PUNCTUM III.

EXaltatio & coronatio B. Virginis. I. Exaltata est supra novem choros Angelorum, & collocata in throno ad dexteram Filij, multò dignius, quàm Salomon matrem suam, similiter collocavit. Huc spectavit David: quando ait: *Astitit Regina à dextris tuis investitu deaurato, circumdata varietate*: Nam sicut Christus à dextris Patris sedere dicitur (quod præ omnibus post Deum emineat) ita Maria à dextris Filij, quod excellat omnes alias creaturas: quanto videlicet glorioſius est nomen Matris quàm servi. Vestis ejus aurea, & omni distincta varietate: quia cæterorum omnium gratias, & prærogativas in unam illam simul Deus contulit: sicut de prævaricatore Angelo dicitur: *operimentum ejus fuisse omnem lapidem preciosum.* I. Coronatio B. Virginis. *Ps.* 44. 10. *Ez.* 28. 12.

II. Multiplici corona decorata est à sacro- II.

Corona-ta à SS. Trinita-te.

ſancta Trinitate. A Patre accepit coronam poteſtatis ſupra omnes creaturas poſt Chriſtum, ut ei etiam conveniat : *Conſtituiſti eam ſuper opera manuum tuarum.* A Filio coronam ſapientiæ, quæ deceat advocatam omnium, ut omnibus prodeſſe queat. A ſpiritu ſancto coronam charitatis, qua zelet ardentiſſimè pro omnibus.

Pſ. 8. 5.

III. Tres laureolæ

III. Donata eſt tribus laureolis, *Virginitatis, Martyrij & Magiſterij:* nam fuit Virgo Virginum, Regina Martyrum in Chriſti paſſione ſuſtinenda, & Magiſtra Apoſtolorum : Atque ita tulit fructum trigeſimum cum Virginibus, ſexageſimum cum Doctoribus, centeſimum cum Martyribus.

IV. Corona ſtellarũ duodecim.

IV. Acceſſit corona *ſtellarum duodecim*, quia una omnium virtutum, quarum alijs alij Sancti floruerunt, ſimul omnes coronas reportavit. *Multæ* videlicet, *filiæ congregaverunt divitias, ut ſupergreſſa es univerſas. Egredimini* ergo, & *videte* Matrem Salomonis *in* diademate quo, *coronavit eam* Filius ejus *in die ſolemnitatis & lætitiæ.* Tunc illa vetus inſtauravit canticum : *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens eſt.*

Prov. 31. 29. *Cant.* 3. 11. *Luc.* 1. 46.

ME-

MEDITATIO XXXVI.

Assumptio in corpore.

PUNCTUM PRIMUM.

CAro ejus in sepulchro non vidit corruptionem. 1. Ob gloriam Virginitatis, ut, quæ caro Virgo pepererat, incorruptione donaretur. 2. Ob animæ puritatem ab omni prorsus labe, cujus habitaculnm debuit ita honorari. 3. Quia Christi caro de carne illius erat, unde decuit ut sicut Christi caro, ita Matris non corrumperetur.

Corpus B. Virg. incorruptum. 1. 2. 3.

PUNCTUM II.

CUr resuscitari debuit. 1. Ut expleret innatum desiderium animæ illius sanctissimæ, resumendi corpus: Nam pro amore singulari, quo Matrem prosequebatur, id ei præstare conveniebat. 2. Ad spem nobis faciendam, seu confirmandam futuræ resurrectionis. 3. Ut nomen ei servaretur Matris, quod in animam separatam non convenit, & ut pro nobis interpellando exhibere posset ventrem & ubera, quæ Dominum portaverunt & lactaverunt, quin & corpus, unde ipse Christus suum accepisset. Ita Christus Patri ostendit cicatrices, &c.

Resurrectionis B. Virginis causæ. 1. 2. 3.

PUNCTUM III.

Quomodo assumpta.

ASsumptionis modus, qualis olim elevatio Arcæ testamenti, cum hymnis, & canticis Angelorum, inter manus Cherubim ac Seraphim, excipiente illum Christo in empyreo cœlo, cui per hoc accessit alterum luminare majus, ipso cœlo splendidius. Quæ omnium gratulatio, quæ exultatio Virginis, quæ actiones gratiarum quanta celebritas!

MEDITATIO XXXVII.

De humilitate B. Virginis, quæ meruit ita exaltari.

Eph. 4. 9. Actus humilitatis B. Virgin.

QUòd *ascendit, quid est, nisi quia & descendit*? Verba sunt Pauli de Christo, & possunt aptari B. Virgini, quod eo exaltata est super omnem creaturam, quia se humiliavit infra omnem. Corona duodecim stellarum respondet totidem insignibus ejus actibus humilitatis.

Porro est quædam humilitas erga Deum; quædam erga alios.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Occulta re dona.

PRimus *actus* est occultare dona, nec nisi merâ necessitate gloriæ Dei, aut salutis proximi urgente, ullum indicium dare; quia, ut dicit Gregorius, *spoliari vult, qui publicè thesaurum portat.* Illud Isaiæ commendatum habeat humi-

humilis: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi:* inculcat bis, ob rei necessitatem. Hoc ita executa est B. Virgo, ut mysterium conceperit Verbi, nec dilecto sponso Josepho indicavegit. Erat omnino *hortus conclusus, fons signatus.* *Is.* 24. 6. *Cant.* 4. 12.

Hinc nascitur *secundus* actus, ut horreat laudari: nam, vel non agnoscit in se causam laudis, & tunc velut indebitam aversatur; vel si subest, metuit complacentiam; &, ne sic recipiat mercedem suam. Hinc B. Virgo, cùm salutaretur à Gabriele tam honorificè, *turbata est.* 2. Odisse laudes. *Luc.* 1. 29.

Tertius similis, ut, si contingat manifestari, totam laudem, velit esse Dei: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*: & studeat ut similiter ab alijs laudetur Deus. *Magnificate Dominum mecum. Exultent, qui volunt justitiam meam, & dicant semper: Magnificetur Dominus.* Ita B. Virgo, cum Elisabetha propalasset mysterium concepti Verbi, prorupit in laudes Dei, & sui abjectionem. *Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* 3. Deo dat gloriam *Ps.* 113. 9. *Ps.* 33. 4. *Ps.* 34. 27. *Luc.* 1. 46.

PUNCTUM II.

HUmilitas versus Deum. *Quartus* ergo actus, cùm à Deo evehimur, præoptare infima, & recumbere in novissimo loco. Ita, cùm fieret Mater Dei, voluit esse ancilla, & in Bethleem stabulum elegit. 4. Elegit objecta esse.

5. Subjecit se legibus.

Quintus actus, subjicere se Dei, & Superioris ordinationibus, quando etiam jure quis posset eximi, ac licet sibi inde aliquid decedat: & nolle gaudere privilegijs. Ita B. Virgo implevit legem Purificationis, sicut Filius Circumcisionis, cùm neuter lege teneretur, & inde nota contraheretur peccati.

6. Submittere se inferioribus. *Rom.* 12. 10. 1. *Pet.* 2. 13.

Sextus, etiam æqualibus & inferioribus se submittere, credendo prima loca, & præveniendo eos honore quod suadet Paulus: *Honore invicem prævenientes*: & in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Et Petrus: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*. Hinc B. Virgo detulit Elisabethæ honorem, visitando, salutando, & ubique id agebat.

7. Servire alijs. *Matt.* 20. 28. *Marc.* 6. 3 *Ioan.* 23. 5.

Septimus, obsequia etiam humilia exhibere alijs, sicut *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*: & exercuit *fabrilem artem*, inde victum parans. Denique *lavit pedes discipulorum*. Non secus ejus Mater ancillabatur domi, ministeria omnia obiens.

8. Recusare dignitates.

Octavus præcedenti affinis, recusare functiones, & munia honorifica. Idcirco B. Virgo semper delituit, nunquam palam docuit, nec ulla fecit miracula.

PUNCTUM III.

9. Libenter esse pauperem.

SPectatur etiam humilitas in humilitationibus ferendis, vel ultro exercendis. Unde existit actus *nonus*, cùm quis libenter habet, quod tractetur, ut pauper, & abjectæ conditionis

nis homo. Ut talis B. Virgo in Bethleem exclusa est hospitio, ut diversari, *in stabulo* debuerit: & in Purificatione non agnum, sed *columbas offerre voluit*, quod erat pauperum. *Luc.* 2. 7. 24.

Decimus, in ferendo ignominiam, & contemptum cum silentio. Ubi sunt gradus. 1. Cùm nobis evenit tale quid ob culpam nostram. 2. Cùm absque culpa, & per falsa testimonia. 3. Quando per calumniam, propter opus, unde laudari debueramus. 4. Cùm sustinemus non ab inimicis tantùm & alienis, sed à fratribus & conjunctis, ut Christus in passione: & cùm eum cognati quasi *furiosum* vincire voluerunt. Similia per occasionem Christi Mater ferre debuit, maximè propter Filium. *Marc.* 3. 21. 10. Patienter ferre ignominias.

Vndecimus, cum pace cordis & serenitate vultus tolerare reprehensiones, punctiones, & insulsa responsa à quocunque. Tulit B. Virgo nonnunquam à Filio minus placidas in speciem responsiones, ut illic: *Quid est, quod me quærebatis? Et quid mihi & tibi est, mulier?* Et, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* In quibus nec culpa suberat Virginis, nec offensio Filij: sed documentum mysterii, & quædam probatio virtutis. *Luc.* 2. 49. *Io.* 2. 4. *Matt.* 12. 11. Ferre reprehensiones.

Duodecimus actus est, non se subtrahere, cùm ij, qui nobis conjuncti sunt, contemptum aut calumniam patiuntur, quasi nolimus videri ex illis esse, ne participemus simul incommodum confusionis. Non ita B. Virgo, quæ cruci astitit, matrem se professa tam ignomi- 12. Participem se facere injuriarum alicnarum.

nioſè crucifixi, eoque nomine à furentibus Judæis apperita contumelijs. Itaque B. Virgo perfectè implevit illud Sapientis consilium: *Quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Eccl. 3. 20.

MEDITATIO XXXVIII.

De devotione erga B. Virginem.

PUNCTUM PRIMUM.

Cur amanda B. Virgo.

HAnc devotionem conciliare possunt multa. I. Quod sanctissima Trinitas præ cæteris omnibus, tam hominibus, quàm Angelis amat hanc Virginem, tanquam illis omnibus sanctiorem. Unde æquum est à me etiam summè amari post Christum, ac de illius sanctitate, bonisque excellentibus gaudere, eique gratulari, ac Deo gratias agere.

I. Quia à SS. Trinitate amatur

II. Quia mater Christi

II. Quòd sit Mater Christi Domini, & ab eo summè dilecta: qui proinde vult eam ab omnibus amari & coli pro tam excellenti dignitate. Ac si de quibusvis pauperibus idem Dominus dixit: *Quòd uni ex his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis*: quanto magis, quod Matri suæ delatum fuerit, quasi proprium reputabit?

Matt. 25. 4.

III. Quia mater nostra.

III. Quòd sit Mater omnium nostrum, & quidem amantissima nostri, & indulgentissima: debetur autem matri amor, & præsertim tali, ac tantæ. Imitabor Joannem, cui cum à Domi-

Domino dictum fuisset: *Ecce Mater tua*, cupide *illam in sua accepit*: pro magna felicitate habens, quod inservire ei posset. *Ioan.* 19. 27.

IV. Quòd ab ea accipiamus multa bona: Nam *assiduè orat pro populo, & universa sancta civitate*, hoc est, Ecclesia; multò magis, quàm Jeremias faciebat. Deinde, non solùm repræsentat Filio petitiones suorum clientum; sed gnara necessitatum, prævenit orationes, ut in nuptijs innuens Filio. *Vinum non habent.* Præterea est potens ad impetrandum, & quia soli misericordiæ est intenta, per eam faciliùs contingit impetrari à Filio, ut ait Anselmus, quàm si ipse Filius rogetur, qui cùm justitiæ quoque rationē habeat, ut judex abnuit interdū ob demerita nostra, quæ Matri supplicanti libenter largitur. Accedit, quod (ut idem dicit Anselmus) devotio erga Dei Matrem quoddam est peculiare electionis signum: eo nimirum, quod illa circa suos devotos valde sollicita sit & intenta, ut à peccatis præserventur: dum ipsi respondere velint gratiæ. Denique est omnium mortalium, in qualibet necessitate singulare perfugium. *Ille solus*, inquit Bernardus, *ô Virgo beata! tuas laudes fileat: qui te fideliter invocatam senserit unquam in suis necessitatibus sibi defuisse*: quasi dicat fore neminem. Quis ergo non amet te, beata Mater? quis non ambiat tuus esse? Age: *In Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis tuis mitte radices.* *Ioan.* 2. 3. IV. *Matt.* 15. 14. Quia benefica. *Eccl.* 24. 13.

PUN-

PUNCTUM II.

QVòd Spiritus Sanctus singularem erga B. Virginem toti Ecclesiæ devotionem inspiraverit, quæ apparet. 1. in genere cultus eidem exhibiti, qui vocatur *hyperdulia*, supra cultum aliorum Sanctorum, infra divinum. Unde etiam compellat eam peculiaribus titulis: *Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra!* Petit etiam ab ea quæ muneris divini sunt: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis mala nostra pelle, bona cuncta posce: & Jesum, fructum ventris tui, nobis ostende.* Nam pro gratia, qua pollet apud Filium, velut in potestate sua habere omnia existimatur.

1. Cultus hyperduliæ.

2. Templa ædificantur B. Virgini. 2. Apparet generalis devotio ex tot templis, tamque magnificis in illius honorem extructis, & tot ejus imaginibus piè dedicatis ac sumptuosè ornatis, approbante cœlitus Numine per innumera miracula: necnon ex Ordinibus integris Religiosorum sub ejus nomine militantibus, totque alijs militantibus, totque alijs Sodalitatibus eidem consecratis, quin & regnis totis.

3. Festa multa B. Virg. 3. Ex solenni frequentique memoria, qua colitur in Ecclesia, tot diebus festis institutis per menses ferè singulos, ac hebdomadatim in sabbatis, proprio item de Virgine officio ad recitandum omnibus proposito cum Indulgentijs, & quotidie terno ad salutandam Virginem signo publicè dato, Psalterio Virginis, & Corona in usum receptis, officium Canonicum haud

aliter

aliter ritè claudendo, quam Antiphonâ ad Virginem: præter alia complura pia erga illam devotionis exercitia. Qui certè sensus totius Ecclesiæ tam generalis & propensus mirè commendatam reddit devotionem erga sacratissimam Virginem Dei matrem.

De modis recitandi Coronam B. Virginis vel Rosarium.

Principio accersenda est ante oculos divina præsentia: exhibitáque intima reverentia, petenda est gratia hoc obsequium dignè & fructuosè perficiendi &c. I. Quid faciendum ante recitationem Rosarij.

II. Deinde dirigenda intentio ad honorem divinæ Matris, & gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, & pro impetrandis novis; & denique ad satisfactionem pro peccatis, quæ ultima pars cùm applicatur alicui, alij nihilominus priores semper locum habent. II. Intentio

III. Deinde percurrenda est unaquæque decas attentione adhibita ad verba singula: non solùm ut rectè pronuntientur; sed ut bona aliqua cogitatio sensúsque eliciatur. Post unamquamque verò decadem interponenda est brevis meditatio, velut condimentum, & excitamentum devotionis, quæ triplex esse potest: atque inde tres modi recitandi coronam, sive Rosarium, existunt. III. Recitatio attenta.

I. Sumi potest salutatio Angelica in tot particulas divisa, quot sunt decades in corona atque ad singulas decades interponi debet una ex par- I. Modus cum meditâ salutationis Angelicæ.

particulis meditanda : quòd fiet juxta modum orandi traditum in introductione totius compendij. Aliàs adhibenda erit Oratio Dominica in petitiones distributa similiter secundùm decades, deque singulis meditandum, sicut p. 3. Medit. 14. ostenditur. Juvat etiam variare, cantico Virginis, *Magnificat* secundùm versiculos distributo post quamlibet decadem : de quo p. 2. Medit. 12.

II. Cum 15. mysteriis B. Virg.

II. Modus vix differt ab isto, nisi in materia meditandi : nam sumuntur quindecim mysteria B. Virginis : quorum quinque dicuntur gaudiosa : *Visitatio, Nativitas Christi, Præsentatio, Inventio in templo.* 5. dolorosa : *Oratio Christi in horto, Flagellatio, Coronatio, Bajulatio crucis, Crucifixio*: 5. glorioſa : *Resurrectio, Ascensio, Adventus Spiritus sancti, Assumptio ipsius Virginis, Coronatio ejusdem* : quæ quoniam sunt quindecim, conveniunt Psalterio B. Virginis, quod quiudecim constat decadibus : ac ita post singulas potest unum mysterium interponi, meditando. Nec opus est continuare totum Psalterium decurrere ; at sufficit per partes. Imò, si libeat in uno mysterio post plures decades hærere, commodè fit. Quia licebit, præter dicta mysteria, subinde alia interponere, velut *Circumcisionem Christi, Adorationem à Magis, fugam in Ægyptum, & reditum* : sed & ipsius Virginis *Conceptionem, Nativitatem, & Præsentationem.* Porro modus circa ista meditandi est, qui solet, cùm ex professo tractantur

in

in oratione, eliciendo documenta, & affectus, & semet per colloquia excitando, nisi quod carptim hoc loco, non exactè ista fieri possunt.

III. Tertius modus, ut virtutes B. Virginis sint materia interponendæ meditationes. Ubi heroici actus singularum in B. Virgine expendendi erunt, deinde mei defectus circa easdem, denique ferventia proposita concipienda meliorum.

Modus cum virtutum B. Virg. meditatione.

Cæterum isti modi diuturnius requirunt tempus, nec videntur subvenire tædio, quod ex ejusdem precationis tam frequenti repetitione concipi solet, nec juvare attentionem circa verba ipsa, cùm decurritur decas. Quare, cùm difficile sit, & non necessarium inhærere semper verbis, consuleretur difficultati, & tempori parceretur, præsertim ab hominibus occupatis, si inter ipsam recitationem cujusque decadis voluerent mente mysterium illud, conando affici. Tenebit autem quisque modum, quem sibi utilissimum sentiet. Porro illi modi tres utiles videntur, maximè illis, qui ægriùs meditantur, & tamen vellent conari: nam per eam alternationem orationis vocalis, & aliqualis meditationis, vitabunt fastidium, & ex alterutro aliquatenus afficientur, & quasi manu ducentur ad meditandum.

ME-

MEDITATIO XXXIX.

Pro Festis Sanctorum.

Aliqua puncta generalia sunt, quæ aptari facilè poterunt.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Electio Sanctorum. *Rom. 8. 29.*

ÆTerna electio, & illius exequendæ modus, ac ratio, quam significat Paulus illis verbis: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Prima igitur est *electio* gratuita ante mundi constitutionem, ut essent *Sancti, & immaculati in conspectu Dei*: ut in eis ostenderet divitias gloriæ suæ: nam cùm id omnibus, qui salvantur, conveniat, præcipuè illis, quos Deus mirificare voluit etiam in terris.

2. Vocatio.

Secunda est *Vocatio*, quæ varia extitit in diversis Sanctis, & habuit semper aliquid singulare, quod in unoquoque erit observandum.

3. Justificatio.

Tertia est *Justificatio*, ubi consideranda sunt specia liadona cujusq;, & insignia sanctitatis. Agendæ porro erunt Deo grates pro donis in eos collatis, gratulandúmque ipsimet, nobis autem ex imitatione fructus colligendus.

4. Glorificatio.

Quarta est *Glorificatio*, ubi recoli poterit pretiosa illorum morş, & transitus ad beatam æternitatem.

PUN-

PUNCTUM II.

QVomodo respõderint gratiæ Dei sibi communicatæ, exequentes illud: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum: tollat crucem suam, & sequatur me.* Ubi continentur tria: *Abnegatio sui, gestatio crucis* Dominicæ, *sequela Christi* in quibus Sancti excelluerunt. *Abnegatio* est mortificatio carnis, & appetitionum. In hac excelluerunt Sancti, nam si aliquando in peccato vixerunt, post conversionem acri pœnitentia vindicarunt: quod si ab initio præventi gratia fuerunt, nihilominus contenderunt carnem domare, & subjectam spiritui reddere, & leves etiam culpas severè castigare: *Carnem suam crucifigentes cum vitijs, & concupiscentijs.* Nec modo appetitiones circa illicita frænarunt, verum etiam circa concessa, ut violenter cælum raperent.

Sanctorum mortificatio. *Matt.* 16. 24. *Gal.* 5. 24.

Bajulatio autem *crucis* in laboribus pro Dei gloria fortiter subeundis, difficultatibus superandis, atque adversis tolerandis præcipuè spectatur.

Denique *sequela* Christi, in studio illum imitandi, & voluntatem illius accuratè implendi, consistit. Ex quibus colligam confusionem mei ipsius, & proficiendi desiderium.

Imitatio Christi.

PUNCTUM III.

QVibus favoribus Deus illos affecerit. Huc pertinent *visiones, revelationes, gratiæ sanita-*

Liberalitas Dei in Sancto.

nitatum, operationes virtutum, aliáque extra ordinem communem. Deinde in ipsa morte peculiaris visitatio divina, aut Angelorum, & præguſtatio cœlestis suavitatis ; post mortem autem honores publici decreti, & veneratio eis exhibita à Potentatibus qui eos olim despexissent. Præterea in die judicij honorifica sessio, & exaltatio, præter id quod intrinsecùs latet.

PARS

PARS SEXTA MEDITATIONVM *DE PERFECTIONIBVS Dei & beneficijs.*

Introductio ad Meditationes hujus Sextæ Partis.

De Mysterijs divinitatis, & ferventibus amoris & gratitudinis affectibus.

MEDITATIONES, quæ in hac sexta parte tradentur, spectabunt potissimùm divinitatem, Trinitatem, & opera, quæ à Deo in hominum utilitatem procedunt, non exclusis tamen nonnullis humanitati proprijs, quæ his ipsis, propter connexionem, quam cum illis habent, adjungentur. Scopus hujus partis sextæ.

Et quamvis eæ quæ in alijs partibus (circa Christi Humanitatem versantes) continentur, debili nostræ naturæ magis conveniant, præsentes tamen sextæ partis considerationes in seipsis longè sunt excellentiores, quibus Angeli, Beati in cœlis, ac perfecti omnes in hac vita de-

gentes maximè delectantur, atque in seipsis flagrantem *Dei amorem* (qui est proprius hujus sextæ partis, ac *Viæ Vnitivæ scopus*) rerum cœlestium meditationem augent, atque perficiunt.

In Reg. Brevior. Reg. 157

Qualis auten hic affectus, quo Deo servimus, esse debeat tradit breviter S. Basilius, dicens, debere esse *desiderium vehemens, insatiabile, stabile, atque immotum seu perseverans.* Quatuor videlicet illius conditiones insinuans, quarum prima est, ut sit desiderium *non tepidum* aut remissum, quale pigrorum esse solet, & de quo Sapiens: *desideria occidunt pigrum*: sed *vehemens*, fortè, efficax, quale ferventium esse solet, ut non desistat, nisi opere perficiat, idque perfectè atque exactè. 2. Ut sit *insatiabile*, ne in faciendo, aut perferendo paucis contentus sit: sed ad plura se extendat, remoto non tantùm tædio atque fastidio, sed excitata fame, quæ numquam dicat: *sufficit*. 3. Sit *stabile*, ne facilè moveatur, ut is de quo Sapiens: *Vult & non vult piger*: qui varia experitur, eaque præ tædio relinquit sine ulla stabilitate, quæ ad perfectionem omnino requiritur. 4. Sit *constans* & perseverans ad mortem, non dimittendo, laxando, intepescendo, ob tentationes aut persecutiones sed pectore firmo se opponat: sicut cervus ad fontes aquarum contendens per dura & aspera, donec sitim restinguat. Has conditiones habet Christus D. ut ex. 3. & 4. parte constat, cujus exemplum ut Domini ac Magistri

Desideria pia qualia esse debeant.

1. *Pro. 21. 25.*

2 *Pro. 30. 15.*

3. *Prov. 19. 4.*

4. *Psal. 4.*

gistri nobis sufficere deberet. Quanquam S. Basilius ibidem duas adhuc considerationes adjiciat. 1. ut versetur circa magnalia, perfectiones atque excellentias Dei, quibus affectus amoris, laudum, servitii & obedientiæ excitatur, si non modo infinito; prout Deus mereretur, at pro nostra fragilitate agnoscentes eum supervalere. Aliæduæ conditiones.

II. Ut occupetur præcipuè circa beneficia, quæ ex tali amore, scilicet vehementi, insatiabili, constanti, nobis donantur: sic enim lege gratitudinis ad similia reddenda, si nobis possibile foret, obligaremur. *Eccl 43. 32.* II.

Ex his S. Basilius colligit sensim hisce considerationibus generari perfectum amorem, quo Deus à nobis diligi desiderat, scilicet ex toto corde, mente, anima, fortitudine, omnibus viribus, si omnes nempe sensus interni & externi, cunctáque membra in ejus amore, eo quo possunt modo, occupentur; dum scilicet memoria, intellectus, appetitus, sensúsque omnes affectui amoris deserviunt, donec ita radicetur, *ac fundetur, ut nulla creatura separare possit*; imo *nec flumina.* Cant. 8. 7. *obruere valeant*, sed potius augeant. Hæc complectitur via unitiva, quæ hujus sextæ partis finis est. Quamvis enim amor ille præcipuè Spiritus Sancti donum sit: ex parte tamen nostra cellæ divini amoris propinquamus binis quasi alis sublati, puta meditatione perfectionum Dei, ac beneficiorum ejusdem in nos: & utriusque meditatio ita Effectus harum considerationum. *Ephes. 3. 17. Rom. 8. 39.*

connexa est, ut una sine altera perfecte non habeatur.

MODUS MEDITANDI DEI beneficia ex affectu gratitudinis.

Quinq; considerationes.

UT beneficiorum infinitatem agnoscas, téque gratum exhibeas, quinque potissimum considerandæ sunt. 1. *infinita Dei magnitudo*: unde fit minimum beneficium à tanto Domino magni faciendum sit. 2. *infinitas amoris*, ex quo confert, & seipsum quasi simul donat, rem amaram ingrediendo, semperque paratus est majora adjicere. 3. *ipsius beneficij magnitudo*, quæ suo modo infinita est, vel numero, vel excellentiâ. Quia quædam continent bona innumera, ut mundi creatio, conservatio: quædam comprehendunt excellentiam infinitam, ut Incarnatio, Redemptio, SS. Eucharistia, glorificatio: próque his omnibus gratiæ agendæ: pro pusillis (ait S. Bernardus serm. in Cant.) quia numero sunt infinita: & quamvis parva videantur, alio nomine sunt maxima. 4. *infinita* ejus cui conferuntur *vilitas hominis*, scilicet: miseri, ingrati & indigni, cujus Deus memor sit, ut jure cum S. August. Soliloq. 1. 10. dicat: *Quis ego sum, Deus, ut laudem te? nempe pulvis & cinis, putredo & vermis?* 5. *Infinita Dei* in conferendo beneficio *liberalitas*, quia gratis donat, non exspectando commodum ab eo, cui donat, idque tribuit, non tantùm immerenti, sed sæpe malè merito, & hoc non

1.
2.
3.
4.
5.

uno,

uno, sed infinitis modis propter peccata atque ingratitudinem. Et cùm peecator tantus sit Dei hostis, tamen non fatigatur ei benefaciendo quotidie. Hæc indicavit Christus illâ sententiâ: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* In qua quinque sunt verba, quæ hæc quinque indicant, ut 2. p. med. 2. dictum, Pro his beneficiis ex parte nostra restat sola *gratitudo*, cujus tres sunt actus. 1. agnoscere beneficium. 2. laudare benefactorem. 3. præstare obsequia gratis. *Ioan. 3. 6.*

Quin imo *gratitudo* nostra, ut plena sit, debet esse *universalis*, ut *pro omnibus hominibus gratiæ agantur*, nullo beneficio prætermisso, nec pro me solo, sed etiam pro omnibus hominibus. *1. Tim. 2.*

Et quoniam *creaturarum tria* sunt *genera*. 1. quædam creaturæ gratias agere volunt, & possunt ut *Angeli* & *beati* in cœlo, imo & *animæ purgatorii*, & justi in hac terra versantes. 2. quædam possent gratias agere, sed nolunt, idq; vel ex ignorantia, ut fit in idololatris qui Deum verum ignorant, & infidelibus; aut ex malitia, sicut accidit in damnatis tam dæmonibus, quàm hominibus. 3. ac postremo quædam non possunt aut velle, aut actu ipso gratias reddere, quia intellectu carent, ut beneficia comprehendant, quales sunt cœli, elementa, plantæ, animantes. Tria genera creaturarum. 1. 2.

Pro beneficiis ergo quæ his omnibus conferuntur, gratiæ nobis agendæ, conjungendo

nos cum creaturis primi generis, & supplendo ignorantiam & malitiam secundi generis, atque impotentiam tertii, invitando tamen eas ad laudes, ut hac ratione nos ipsos excitemus ad laudandum & glorificandum Deum, utendo ea forma, *Deo gratias*, quam ex Apostolo Ephes. 5. 4. sæpe usurpat Ecclesia in Missa & horis, quamque S. August. ep. 77. vehementer laudat.

MEDITATIO I.

Quod Deus sit.

PUNCTUM PRIMUM.

I.

Heb. 11. 6. Omnes creaturæ Deum esse dicunt. *Ps.* 99. 3. Simile.

I. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: id omnes creaturæ clamant: ac, si per singulas percurras, audies dicentes: *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Quemadmodum, si per elegantem imaginem, aut opus aliud insigne perspicias, statim cogitas à peritissimo artifice profectum fuisse, & aves illum nosse, ac de ipso quæris: ita conspecto hoc admirabili cœli terræque globo, quæque in eo sunt, subit animum, esse quoddam primum & inaspectabile principium, & effectorem, qui non frustra; sed certi finis gratiâ id opus molitus sit, & assidua gubernet providentia: cujus pernoscendi, fruendique desiderio merito exardescas.

II. II. Ergo oculos in altum attolle, & audi, quemadmodum *Cœli enerrant gloriam Dei, & opera*

opera manuum ejus annuntiant firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Quin *interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.* Respondebunt autem, quis ignorat quod omnia hæc fecerit manus Domini? O audiam hasce voces, & ferat in auctorem totus! *Ps. 18. 1. Iob. 12. 7.*

III. Quin provocabo creaturas omnes ad laudandum opificem suum: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. O habitatio Sion! exulta & lauda, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* O anima mea ascende tanquam super speculam, & contemplare quicquid est. Et vide, quia in medio omnium Deus est, ut in singulis cognosci valeat. *Non enim sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibi lætitiæ corda nostra.* Gratias agam, quòd hanc sui cognitionem impleverit. III. Invitatio ad laudandum Deum. *Dan. 3. 57. Isa. 12. 6. Act. 14. 1.*

PUNCTUM II.

QUod peculiariter ex homine ipso, tanquam minori mundo, cognoscatur Deus, juxta illud: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* In primis, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Hoc est, lumen rationis, tanquam splendor quidam divini vultus, ab eo procedens, per quod cognoscimus, I. Homo ex se Deum cogno. scit. *Ps. 138. 6. Ps. 4. 7.*

ſcimus, quid ſit bonum, & amplectendum, ac præcipuè ipſum, qui eſt ſummum bonum, & regula in noſtris actionibus omnis bonitatis. Nam proprium eſt ſolius hominis, præ cæteris creaturis corporeis, ut Deum agnoſcat.

2. Ex potentiis & ſenſibus.

2. Hoc lumen conſequitur inclinatio homini indita, ad bonum cognitum proſequendum, ac proinde ad rectè vivendum ſecundùm rationem, ac præcipuè ad Deum amandum, quæ eſt prima, ac ſumma rectitudo, unde cæteræ actiones regulantur. Hujus luminis fulgurationem prohibent peccata illud obnubilantia, & ſimul lætitiam cordis, quæ ex teſtimonio bonæ conſcientiæ ſolet oriri, ac potiſſimum ex dilectione Dei. *Nam fructus Spiritus ſunt charitas, gaudium, pax.* Contra autem ex malefactis oritur aculeus conſcientiæ.

Gal. 25. 2.

3. Ex corporis ſtructura

3. Deinde ipſa corporis humani architectura, partium innumerabilium proportio, connexio, officia, tum ſenſuum, ac potentiarum externarum ac internarum mira varietas, in unum conſpirans finem, plane ſupremum quendam Architectum digito demonſtrans, ut verè David: *Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?*

Pſ. 34. 10.

4. Ex ſpiritu hominis.

4. Sed præ his ſpiritus ipſe immortalis corpori inſpiratus ducit hominem in ſupremi ac puriſſimi Spiritus notitiam, quo mundus iſte continetur, ac vivificatur: de quo ſcriptum eſt: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc*

Sap. 1. 17.

quod

quod continet omnia, scientiam habet vocis: præbens nimirum lumen, ut ex effectis suis cognoscatur, & prædicetur Deus. Igitur in spiritu hominis, considerandæ sunt tres nobilissimæ potentiæ, *Memoria*, *Intellectus*, *& Voluntas*, quarum operationes minimè sunt corpori alligatæ; sed exspatiantur liberè ad cœlos usque, & naturæ abdita rimantur, quo sensus ipsi non perveniunt, excogitant artes, inveniunt disciplinas, rerúmque agendarum, ac moderandi hominum ipsorum mentes, modum, rationémque reperiunt. Ex quibus efficitur, hominis animum extra ordinem corporeorum esse immaterialem, invisibilem, atque immortalem, qui proinde, corpore soluto, subsistat ipse, atque permaneat.

5. Hinc idem ipse noster spiritus intelligit necessariò esse alium quendam spiritum, ex quo ista participet, siquidem ea non habet ex se; & qui similiter totum mundum regat, impertiátque vitam & motum; tametsi non ut forma, aut pars ipsius mundi, ut qui sine mundo esse possit, & verò ante illum fuit, multò meliùs, quam anima sine corpore. Namque hæc naturali caret perfectione, cùm exuta est corpore. *Vere Domine, mirabilis facta est scientia tua ex me.* 5. *Psal.* 138. 6.

PUNCTUM III.

NOn solùm bona utriusque mundi, magni & parvi, sed mala etiam nos in Deum ferunt, 1. Motus sublunares Deũ

demonstrant.

runt, terrores de cœlo, fulgura, fulmina, aëris injuriæ, & intemperies, maris tempestates, terræ motus, morbi, bella, fames, & quicquid ingruit malorum, dum, velut naturali instinctu permovent ad quærendam ex alto opem, quasi arrepta manu ad Deum nos ducunt: Quare sapienter & piè Josaphat Rex: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

2. Paral. 20. 12.

2. Pugnæ in corpore.

2. Deinde in ipso quoque parvo mundo, interna pugna carnis & spiritus, passionum & rationis, pronitásque ad peccandum, admonent nos supremi opitulatoris Dei, ad quem oporteat confugere, modo vincere velimus. Quamobrem homo inter prospera & adversa constitutus, ex utrisque ad Deum contendat, dum bona ab uno Deo auctore recognoscit, mala autem non nisi ejusdem ope amoliri posse confidit, quod est *pugnare*, ut ait Paulus, *per arma justitiæ, à dextris & à sinistris*, & ex utrisque, sive bonis, sive malis, fructum capere cognitionis Dei.

2. Cor. 6. 7.

Hæc viva notitia, quòd Deus sit, & assidua ejus veritatis memoria, frænum est vitiorum, calcar virtutum. Atteſtatur David: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: Quid autem inde consecutum? *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Nam si in aliqua Republica nec superiorem, nec vindicem esse ullum homines intelligerent, plane in vitia diffluerent: ita nisi credant, & præ oculis

Psl. 13. 1.

lis habeant, Deum esse. *Sic*, inquit Job, *Viæ omnium, qui obliviscuntur Deum.* Contra verò: *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus:* Porrò *peccatores confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Ego & verbo & opere confitebor. *Iob.* 8. 13 *Ps.* 76. 4. *Tit.* 1. 16.

MEDITATIO II.

Quod Deus sit æternus, & qui est.

PUNCTUM PRIMUM.

1. EST æternus, quòd significatur illo Dei nomine: *Qui est.* Nam Moysi quærenti nomen ipsius, qui apparebat in rubo, respondit: *Ego sum, qui sum. Et dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos.* Vocatur ergo: *Qui est:* quia nunquam non est. Fuit ergo ante mundum, & omnem creaturam, non parvo aliquo intervallo: sed si annorum millia millionum fingas, ante illa fuit, quia semper fuit: unde & vocatur *Antiquus dierum*, quia quidquid aliquando cœpit esse, novum est. 1. Deus æternus. *Exod.* 3. 14. Ante mundū. *Dan.* 7. 9

2. Deinde perseverat esse absque mutatione ulla, & variatione, quod est verè & simpliciter esse, quippe nullatenus deficiente ipsius esse: unde jure vocatur. *Qui est. Ego Dominus, & non mutor.* Et *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* 2. Immutabilis. *Mal.* 3. 6 *Iac.* 1. 17.

3. Postremo. *Erit semper: Tu Domine idem ipse es, & anni tui non deficient.* Atque hæc est æter- 3. Sine fine *Ps.* 101. 28.

æternitas, fuisse semper, ut non cœperit aliquando esse: & defiturum esse nunquam, ut nihil ei decedat vel accedat, quia utrumque est imperfectionis. Nam si accedat, non habuit esse perfectum: si decedat aliquid, fiet imperfectum esse.

Glorificabo igitur ipsum cum cœlestibus choris supplici confessione dicens: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Et quia peccator, quantum in se est, vellet quodammodo esse Dei destructum, quo impunè peccaret, dolebo me fuisse talem: gaudebo autem de ipsius æternitate.

Apoc. 4. 8.

PUNCTUM II.

1. Dei esse à seipso *1. Tim. 6. 16.*

QVòd solus Deus sit æternus, quia essentialiter est, *Qui est*: unde dicitur: *Qui solus habet immortalitatem.* Res cæteræ ex seipsis habent ut non sint: unde ab alio debent accipere, ut sint, nempe à Deo, *Qui est*; & illo subtrahente manum, recidunt in suum nihilum. *Vanitati creatura subjecta est*: Et *sicut vestimentum omnes veterascent. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Substantia mea tanquam nihilum ante te..*

Rom. 8. 20. Ps. 101. 27. Ps. 103. 29.

2. Hinc humilitas creaturæ &c. *Ps. 38. 6.*

Hoc est fundamentum veræ humilitatis, & submississimæ subjectionis erga Deum, diffidentiæ sui, fiduciæ in Deo contemptus proprij, & divinæ excellentiæ admirationis. Nunquam esse-

efferetur ob ulla bona, qui seriò cogitaverit quid sit ex se.

PUNCTUM III.

EO quod Deus est, *Qui est*, continet in suo esse omnes perfectiones absque compositione, modo simplicissimo & perfectissimo; ut præ illo creata omnia sint *quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera*, ut dicit Isaias. Tanti sunt res, quæ corda mortalium ad se rapiunt, posthabito ipso Deo ! Quin potius illi adhæresco, *Qui est ?* Ne deficiam, atque ut in eo omnia possideam, omnium posthac creaturarum *Detrimentum faciam, ut illum lucrifaciam.*

Dei esse excedit omnia. *Isa.* 40. 15. *Phil.* 3. 8

O *Qui es!* qui nomen hoc ineffabile, non Abraham, Isaac, & Jacob, sed Moysi manifestasti pro singulari beneficio, fac illius vim penitus intelligam, ut post odorem illius curam. *Exod.* 6. 3.

MEDITATIO III.

Quòd Deus sit infinitus, & incomprehensibilis.

OPportunè consideratio infinitatis & incomprehensibilitatis Dei suscipitur, ut circa Deum humana mens non præsumat, quando noverit eum non posse comprehendi. Sunt porro duo modi aliquid efformandi, vel appositione, vel detractione : pictor apponendo colores

lores figurat imaginem: sculptor detrahendo à rudi ligno, aut lapide segmenta. Sic Deum cogitare possumus, vel tribuendo ipsi perfectiones, quarum vestigia conspicuntur in creatis, atque ita vocando bonum, sapientem justum; vel amovendo ab ipso imperfectiones creaturarum, dicendóque ipsum infinitum, incomprehensibilem, immensum. Est doctrina Areopagitæ de Mystica Theol. cap. 3. & de divinis nominibus cap. 7. Ac de hoc secundo modo cognoscendi Deum procedet ista meditatio.

PUNCTUM PRIMUM.

DEus non est, ut quæ sensibus percipi possunt; non pulcher, ut astra; non lucens, ut sol; non magnus, ut corpora; non suavis ut cibi & concentus; non denique, ut aliquid istorum, sed supra hæc. Quare ipse ait: *Cui similem fecistis Deum? & cui assimilastis, & adæquastis me, dicit sanctus? dicant omnia ossa mea: Domine, quis similis tibi?*

Isa 40. 18. 25. Ps. 34. 10. & 85. 8.

PUNCTUM II.

I. I. A Sensibus externis ad internos transi, vel etiam ad intelligendi vim tum hominis, tum Angelorum. Nihil est eorum Deus, nec qualia sunt, quæ ab illis capiuntur, sed supra illa.

II. II. Proinde cogitabo, quod cognitio Dei in hac vita, & ex creatis, dicitur caligo & nebula: nam

nam, cùm supremum attigeris gradum, id tandem intelligis, non esse Deum, ut ista sed supra ista quod non est scire, *quid sit*: sed, *quid non sit*. Et hoc est, quod *Moyses* dicitur *ascendisse ad caliginem, in qua erat Deus*. Et *ingressus in medium nebulæ ascendit in montem*. Et *Dominus dixit, ut inhabitaret in nebula*. Quia etsi *lucem inhabitat*, at *inaccessibilem*,

Exod. 20. 21. 22. 18. *2. Reg. 8.* 12. *1. Tim.* 6. 16.

III. Igitur non est bonus, non justus, non sapiens, non potens, non aliquid eorum, quà homo aut Angelus esse potest; aut quale intelligit: sed quid inæstimabiliter majus. Unde Iob. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*. Nam si, ut ait Sapiens: *difficile æstimamus quæ in terris sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ in cœlis sunt, quis investigabit?* in hac caligine & nebula libenter morabor, gaudens quòd tantus sit Deus meus, ut non sim sufficiens cognoscendo.

III. *Iob. 36. 26. Sap. 9. 16.*

Supplebo amando, quod minus valeo intelligendo. Suspirabo ad illum statum, quando *non jam in ænigmate, sed facie ad faciem cognoscam, sicut & cognitus sum*.

1. Cor. 13. 12.

PUNCTUM III.

I. NOn solùm Deus non est ut creata, quantumvis perfecta; sed est infinitè supra illa in quovis genere perfectionis quod est dicere: non solùm est supra omnia, sed infinitè supra omnia: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis*: proinde & incom-

I. *Psal. 114. 3.*

comprehensibilis: nam Angeli, cùm sint substantia & virtute finiti, quod infinitum est, comprehendere nequeunt. Et ita quando etiam revelata facie cernitur, non potest comprehendi. Quo sensu Apostolus dixit: *Quem nemo vidit unquam: sed nec videre potest.*

1. *Tim.* 6. 16.

II. II. Ubi advertè quod in secundo puncto etiam dicebatur Deus non posse capi; sed id ex comparatione creaturarum: at modò consideratur incomprehensibilis simpliciter; etiam cùm in seipso clarè cernitur in gloria: quia creata intelligentia, etsi potest elevari, atque sustolli, ut non jam ab effectis; sed ipsam in se cognoscat divinitatem; tamen, quia creata est & infinita, non potest exhaurire cognoscendo infinitatem divini esse.

III. III. Hinc est, quod Seraphini apud Isaiam ex senis alis *duabus* tantum *volabant*, *duabus autem faciem Dei*, & *duabus aliis pedes velabant:* Quia Deus incomprehensibilis est, tum ex effectis suis, tum ex facie sua: quando etiam illam datur conspicere. Pedes sunt creaturæ ab eo conditæ; facies autem, visio beatifica, ubi cernitur sicut est. Sed in utraque cognitione opertus est: quia ex effectis non intelligimus quid sit: sed, quòd ex iis non sit, quæ sensibus, aut mente percipiuntur. In visione autem clara etiam latet incomprehensibilis majestas: quatenus exæquari intelligendo,

Isa. 6. 2.

do,

do, nisi à seipsa, non potest, ut nec infinitum à finito.

PUNCTUM IV.

I. AEstimandum est beneficium, quod Deus nobis de se revelaverit: tum ista, non excedentia humanum lumen, quo certius & sine errore à nobis perciperentur: tum alia, supra captum. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Et ad hoc misit Filium: *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* I. Dei bonitas in revelãdo. *Ps* 30. 8. *Ioan.* 1. 18.

II. Hinc gaudium concipiam de tanta gloria Dei mei, gratúsque existam, quod se mihi revelarit. Deinde excitabo, exercebóque fidem, ideo credens, quia ipse revelavit. II.

III. Denique spem illuc perveniendi, ubi non amplius in ænigmate, sed apertè credita conspiciam facie ad faciem. Quin in hac vita assequi possum clariorem mysteriorum intelligentiam, dum studeam mentis puritati. Nam *beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* III. *Math.* 5. 8.

MEDITATIO IV.

Quòd sit unus Essentiâ, trinus personis.

PUNCTUM PRIMUM.

I. QUòd sit unus essentiâi. 1. quia unum est summum bonum, in quo sunt omnes rationes boni: nam, si aliud ab illo esset, tunc careret ea ratione boni qua alterum ab ipso differet: I. Deus noster unus est.

ferret: & ita non esset omne bonum, sed limitatum, ac proinde, non esset Deus. 2. In hac veritate fundatur debitum amandi Deum ex toto corde, & supra omnia, quia ipse est unum, summum, atque omne bonum, de quo participant creaturæ, quod habent bonitatis. Et ita sicut ex Deo sunt bonæ: ita propter illum diligenda bonitas ipsarum, non aliter: quod est amare ipsum bonum creatum in suo fonte potiùs, quam in seipso. Amatur enim in seipso, non in Deo quando ratio amandi non est Deus ipse, sed sistit affectus in bono creato secundùm se, quod facit omnis peccans: unde dicitur *frui utendis* à D. Augustino. Frui enim est ibi quiescere, non ad alia referre: oportet autem uti bono creato ad fruendum bono increato.

II. Deus unus & solus.

II. Quia unus tantùm Dominus, & gubernator mundi esse potest: alioqui, si plures, dissidere possent voluntate, & alter alteri repugnare: ex quo mundi ordo non subsisteret. *Omne* enim *regnum in se divisum desolabitur*: quod si subordinatus unus esset alteri, jam non esset Deus, qui subjiceretur: quia nec supremus Dominus. In hac veritate fundatur præceptum illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Nemo potest duobus dominis servire*: quia possunt contraria præcipere: unde oportebit uni obedire, & alterum contemnere. Est igitur unus Deus, unus Dominus: uni serviam.

Luc. 11. 17.

Deut. 6. 13.

Mat. 6. 24.

III.

III. Unus supremus legislator, & judex, & finis ultimus esse debet. Si plures legislatores, cuinam

cuinam conformari oporteret? Si plures Iudices, nulla foret suprema sententia. Si plures fines, unus non expleret, satiarétve hominem: & sic neuter esset finis ultimus. In hac veritate fundatur, quod una esse debet nostra intentio, & in unum tendens. Colligã, quàm infelices sint Idololatræ, qui unum Deum ignorant. Item qui, cùm non ignorent, ventrem, aut pecuniam pro dijs colunt. Studebo cogitationes, desideria, studia omnia in unum dirigere: *Quid turbaris erga plurima? unum est necessarium.* Complectar omnes charitate non ficta, quando unum omnes habemus Deum, principium, finem: *Nunquid non unus Deus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?*

Deus legislator supremus.

Luc. 10. 41.

Mal. 2. 10.

PUNCTUM II.

I. QUòd sit trinus personis, Hîc debet captivari intellectus in obsequium fidei. Licet autem ita ratiocinari. Deus est infinitum bonum, in quo sunt omnes creaturarum perfectiones eminentius, absque imperfectionibus earundem: Igitur est *unum*, sine divisione, quæ est imperfectio; & *plures* sine diversitate, quæ est etiam imperfectio: nam, quæ diversa sunt, eorum quodvis caret alterius bono. Habent ergo unam essentiam, sapientiam, potentiam, voluntatem, & quidquid boni est, nec in eo dividuntur: sunt tamen plures, quo bono etiam societatis inter se fruantur: & plures sunt per communicationem, qua Filius à Patre, & ab utro-

I. Deus unus & trinus.

utroque accipit Spiritus sanctus divinitatem: sicque illud etiam bonum in Deo reperitur, quod semet communicat, non ad extra tantum, per quandam participationem limitatam, sed ad intra etiam, per totius substantiæ communicationem.

Affectus II.

II. Hinc primò concipiam admirationem ex incomprehensa majestate: cujus si sapientia, & judicia incomprehensibilia sunt, quomodo non ejus esse & divinitas? Domine, adauge fidem, quo valeam intelligere; intelligam, ut amem.

III.

III. Deinde concipiam gaudium de arctissima illa unitate inter divinas personas, quibus

Ioan. 17. 11.

associari, & unum fieri, pro modulo cupiam. Nam & Christus ita oravit: *ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Id etiam fiet, si quemadmodum Patris & Filij, & Spiritus sancti est unum sentire, & velle: ita meum sit idem cum illis per omnia. Fiam etiam unum cum Superioribus meis, qui locum Dei tenent, conformitate judicij & voluntatis, item cum fratribus meis, idem sapiendo & dicendo. Quare exprimam vivam imaginem illius unitatis & amicitiæ, qua inter se divinæ personæ communicant.

PUNCTUM III.

I. Modus considerādi mysterii.

I. MOdus processionis divinarum personarum. Pater intelligendo seipsum clarè & perfectè, format sui imaginem adæquatam, non accidentariam, ut quam format homo

mo rei conceptæ, sed substantialem, quæ sit idem cum substantia Patris intelligentis, quod in Deo nihil accidentale esse possit. Hæc igitur imago, ut prodiens à Patre concipiente seipsum, dicitur & est Filius. Et etiam Verbum, quia mentis quidam partus; & sapientia, quia per notitiam qua se Pater comprehendit, exprimitur. Hinc *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus & imago invisibilis* nominatur. *Heb.* 1. 3. *Colos.* 1. 15.

II. Rursum Pater hanc sui imaginem contemplans, in eaq; communicatam cernens omnem suam perfectionem substantialiter, fertur in illam amore adæquato, hoc est infinito. Et vicissim verbum cernens in Patre eandem naturam, tanquam in principio communicante, pari impetu amoris impellitur: isque impetus reciprocus Spiritum S. spirat. Est enim ille impetus communicativus illius ipsius boni, in quod fertur, & communicando producit tertiam Personam divinitatis, quæ vocatur Amor, quia amando producitur, & est amoris quasi terminus, seu amor terminatus. Nam & in creatis sicut intelligendo producitur verbum, seu conceptus expressus: ita amando producitur quædam in rem amatam sive propensio, sive magis quies, sed in creatis utrumque est accidens: in Deo autem est ipsamet Dei substantia. II.

III. Igitur ab una substantia quam Pater in se habet, & ex se, Filius autem & Spiritus sanctus per communicationem, dicuntur omnes tres, & sunt unus Deus, unus creator, unus III.

sanctificator, unus glorificator. Sunt autem ab æterno omnes, quia non liberè, sed naturaliter, eo quod est Pater, generat, ipséque, & Filius spirant. Idcirco nulla est inter personas prioritas existentiæ, sed ordo tantùm processionis. Quia verò omne ac infinitum bonum in se continent, non opus habent creaturis ad partem aliquam felicitatis: sed sui boni inamissibili possessione beatæ sunt, quo fruuntur comprehendendo invicem, & amando ex omni æternitate.

Colloquium ad Patrem.

I. I. Approbando quod ait: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?* parit autem unicum, non plures filios: quia est generatio adæquata, qua totum esse communicat: non simile, sed idem omnino. Neque idem pluribus communicare potest generando: quia una est tantùm sui ipsius notitia, & comprehensio, qua gignit, non alia, atque alia: & ita semel dicit Pater quod comprehendit, non sæpius; proindéque unum est tantùm illius Verbum, & Filius.

Isa. 66.

II. II. Porro, ô Pater æterne! quantopere tibi complaces in hac generatione, in hoc Filio? Nam si *filius sapiens lætificat patrem*, quanto hic magis te, cùm sit ipsa sapientia? ideo in Jordane, & in monte testificatus es: Quia *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et ad ipsum ait, *Filius meus es tu: ego hodie genui*

Prov. 10. 1.

Matt. 3. 17.

Ps. 2. 7.

nui te : istud *hodie* omnem continet durationis differentiam, præteritum, præsens, & futurum : quia æternitatem significat. Ergo ab æterno, & nunc, & in perpetuum gignis filium : quia semper manet, & est illa notitia, & comprehensio, qua procedit ex te Filius. Quin in nobis, postquam mens nostra formavit verbum intelligendo, dum hoc permanet, à mente formante procedit : desinit autem, cùm mens desinit formare. Tu autem, Pater æterne, nunquam desinis, neque desinere potes comprehendere te : atque ita producis verbum indefectibile, prout tu ipse es : *Verbum enim Domini manet in æternum*, hæc est paternitas, à qua *omnis paternitas nominatur in cœlo, & in terra*. Ad exemplar istius nos quoque efficimur adoptione filij, fratres autem Christi. O totus mundus transeat in adoptionem tuam, Pater æterne ! ô Pater luminum, cujus splendor est Filius tuus, per hunc, propter hunc illumina cor meum, ut *cognoscam te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum* : quo sim filius lucis, & aliquando te videam in lumine tuo facie ad faciem.

1. Pet. 1. 25. Eph. 3. 15. Joan. 17. 3.

Colloquium ad Filium.

O Fili æterni Patris, & Fili unigenite, quàm tibi congaudeo de hac Filiatione, qua es unus Deus cum Patre ! Verè es unigenitus : non modò, quia unus, sed quia nec esse plures potuerunt : quia non ex parte Filius, sed ex toto; Deus de Deo. Tu vera imago Patris, totum

adæquate repræsentans : quia per id es imago Patris, per quod Pater est Deus. Ille enim, dum contemplando se, exprimit sui Verbum, & imaginem suam, tibi divinitatem impertit : ut per hanc ipsam tibi communicatam repræsentes Patrem, à quo accepisti divinitatem. Quare tu es imago consubstantialis, Patríque æqualis. Quod si unigenitus & hæres, verè unicus hæres, qui totum, quod habet Pater, accepisti. O sim ego ex participibus tuis ! Utique si filius existam, etiam hæres, sicut dicit servus tuus.

Rom. 8. 17. *Quod si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

O unigenite, qui es in sinu Patris : & nunquam ab ejus recedis sinu ! ibi penetras secretum Divinitatis, & planè comprehendis, ibi amas pro eo, quod est infinitum bonum, ibi gaudio frueris tanto, quantus est Deus : hac sinus tanto melior quàm Abrahæ ! ô illic recipi merear, atque in idipsum requiescere ! Memento quod dixeris:

Ioan. 12. 26. *Volo ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.*

In hoc sinu existens, & amori Patris tui indulgens, una cum illo producis Spiritum sanctum, qui est Amor utrique consubstantialis. O spiratio beata ! ô amem ! ô spirem amorem ! Flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.

Collo-

Colloquium ad Spiritum sanctum.

TU es per excellentiam Spiritus, vitam à Patre & Filio accipiens, qua illi vivunt, quæ est divinitas ipsa : accipiendo autem gaudes, prout illi dando, omnes pari & uno gaudio gaudentes, quia unus est is Deus, & de uno gaudetis bono, quod ipsimet estis.

Procedis, ut impulsus quidam ; quia amando spiraris à Patre & Filio : sed non ideo foras prodis, sed in utroque manes. Procedis enim, ut amor Patris ad Filium , & vicissim Filij ad Patrem : & cùm intra Deum procedas, & in eo maneas, necessariò es Deus.

Vocaris *sanctus*, quia es amor divinus, qui est vera sanctitas. Certè nos eo sancti sumus, quòd Deum amamus, sicut oportet. Hujus igitur amoris inspirator, cùm sis ipsemet amor, singulariter *sanctus* diceris, quippe fons sanctitatis.

Vocaris per excellentiam *Donum, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Tu ergo donaris nobis, quando charitas donatur. Dona te mihi libenter, liberaliter : dilata cor meum, ut impleatur à te, & de te. *Rom. 5. 5.*

PUNCTUM V.

1. De mentis oratione ad similitudinẽ Trinit.

QVòd oratio mentalis ad similitudinem istius mysterij conformari debet. 1. ut mens Deum, quoad fieri potest, perfectè concipiat intra

intra se ipsam, & in ea contemplatione perse-
2. veret. 2. ut in apprehensam bonitatem totus
ferar per amorem, eique inhæream, ut sponsa:
Cant. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec*
3. 4. *dimittam.* Hinc sequetur fruitio, & gaudium,
quale promittitur in cœlo, ex similitudine di-
1. Ioan. vina. Ibi enim similes Deo erimus, *quia vide-*
3. 2. *bimus eum sicuti est*, quam similitudinem nunc
1. Cor. ex parte assequi possumus, sicut *ex parte cogno-*
13. 9. *scimus, & ex parte prophetamus* 3. sicut divinæ
3. personæ ineffabiliter sibi inhærentes, unum ha-
bent velle, & sentire: ita ego per hanc cum
Deo internam communicationem non aliud
velim, quam quod ille. Et quia Deus sic intra
se sibi sufficientissimus est, ut tamen ad creatu-
ras se diffundat: ita ego cupiam alijs quoque
prodesse. Hoc vocatur otium animæ, quia va-
cat strepitu, & sollicitudine exteriorum; & est
negotium omnium longè præstantissimum, ad
Ps. 45. quod invitamur: *Vacate & videte quia ego sum*
11. *Deus.*

1. Ioan. *Tres igitur sunt, qui testimonium dant in cœ-*
5. 7. *lo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus:* ipsi te-
stificantur de se, ut in mundi creatione & præ-
Gen. 1. 6. cipuè hominis, *quem fecerunt ad imaginem &*
similitudinem suam, in Christi Baptis-
mo, & Transfigura-
tione.

MEDITATIO V.

Quòd Deus sit infinitè perfectus.

PUNCTUM PRIMUM.

Deus perfectissimus.

PErfectum dicitur, cui nihil deest, quòd ei communicari possit, & debeat. Deus autem procul dubio perfectus est, ac proinde habet quæ ei convenire possunt: convenit autem ipsi omnis omnino ratio entis, quo fit ut omnis in illo sit, si quidem est eius perfectum, cui nihil deest, quod ad ejus perfectionem faciat. Differt igitur à creatura quacunque, etiam possibili, quòd hæc, cùm limitata sit, perficitur certis rationibus: Deus autem cùm sit ens illimitatum, non potest concipi perfectus, nisi omnia in se contineat. Quare dicitur: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Deus meus, & omnia, cur quæram aliquid extra te, quando in te habeo omnia? In Deo igitur sunt tanquam in ente simpliciter perfecto, & simul tanquam in idea, & principio efficiente, ex quo omnia. Agit enim unumquodque, secundum quod habet in se, quia nemo dat quod non habet: habet autem Deus omnia eminentiori modo, quàm sint in seipsis.

Rom. 11. 36.

PUNCTUM II.

In Deo sunt eminenter perfectiones creaturarũ.

ET *reliqua hujus Medit.* Speciatim in Deo sunt omnes perfectiones corporum inanimatorum, ac proinde potest sine illis agere, quic-

quicquid illa agunt. Deinde viventium, sentientium, & intellectualium creaturarum: omnes autem sunt in Deo una, simplex, infinitáque perfectio, uti in aureo nummo continentur multi minuti. Nam si distinguerentur, una excluderet alteram, & singulæ finitæ essent & limitatæ. Sic enitar omnes meas actiones, quasi unam facere per intentionem, qua soli Deo placere in omnibus velim. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Item in quovis bono opere plures jungam affectus bonos, qui me ad id impellant, ut unica actio sit multiplex virtus.

Matt. 6. 21.

MEDITATIO VI.

Quòd Deus sit summè bonus.

BOnitas est duplex, naturalis & moralis. De priori: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Habebant scilicet, quicquid naturæ cujusque conveniebat, quo fiebant amabilia. Moralis autem bonitas inest actionibus liberis, ut debitè fiant, & ex recta ratione. Cæterum Deo hæc etiam bonitas est naturalis, & essentialis, cùm homini sit adventitia, ab eaque possit deflectere.

Gen. 1. 31.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Dei bonitas in rebus.

QVòd Deus est summè & infinitè bonus. 1. quia omnem rationem bonitatis in se con-

continet, sicut & essendi. Unde ad Moysen Deus: *Ostendam tibi omne bonum.* 2. quia per essentiam habet, ac proinde indefectibiliter. 3. quòd creaturæ præ illo non sint bonæ, sicut nec sunt. Nam limitata est bonitas illarum, & participata, ac defectibilis: quare Christus ait: *Nemo bonus nisi solus Deus*: & apud Job: *Inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus.* Hinc quivis coram Deo humiliari debet licet sanctus: quia *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Non est sanctus, uti Dominus, nec est alius extra te.* Sanctitas autem est bonitas moralis.

Exod. 33. 19. 2. 3. *Luc.* 18. 19. *Iob.* 15. 15. *Isa.* 6. 3. 45. 5. 1. *Reg.* 2. 2.

PUNCTUM II.

SPecialius licet discurrere per singulas virtutes, eásque in Deo cogitare, absque imperfectionibus, simúlque unitas: nam hoc habent virtutes, ut quando ad summum veniunt, sint invicem connexæ & colligatæ, trahántque se mutuo, ut annuli in catena. Deinde, quod virtutes in Deo sunt exemplar nostrarum: quare nostræ eo sunt perfectiores, quo exemplari divino similiores. Cæterum solent quatuor genera virtutum distingui. 1. *Moralium*, in quibus spectatur conformatio ad regulam rectæ rationis. 2. *sublimiorum*, quibus aspiratur ad similitudinem Dei, cùm Christus dicat: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* 3. illarum, quæ hominem jam assecutum illam similitudinem, comitantur sive ex parte, ut in viris

1. In Deo plenitudo virtutum.

Index reliquarum.

1.

2.

Matt. 5. 48.

ris valde perfectis in hac etiam vita: vel planè; ut in Beatis. 4. Demum sunt ipsa exemplaria virtutum in Deo, qui proinde est etiam largitor virtutum; à quo & peti debent.

4.

PUNCTUM III.

Ps. 36. 27. Virtutes Dei putissimæ

HInc est quod duplex illa justitiæ pars, *Declinare à malo, & facere bonum*, divinæ bonitati maximè convenit: quoad 1. non potest ipse peccare, nec peccati esse causa; imo nec in natura assumpta potuit peccare, quod repugnet bonitati divinæ, & infinitæ. 2. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Æmulabor hanc sanctitatem, illud memorans: *Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* Talem voluit Ecclesiam suam esse: *Non habentem maculam: neque rugam.* Et talem laudat: *Tota pulchra es; & macula non est in te.* A sanctitate cognomen accepit tertia persona divina, ut *Spiritus sanctus* diceretur per excellentiam, & sub hoc nomine tota Trinitas laudatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Ps. 144. 13. *Leu.* 19. 2. *Deu.* 18. 13. *Eph.* 5. 27. *Cant.* 4. 7. *Is.* 6. 3.

MEDITATIO VII.

Quòd Deus sit, ut summè bonus, ita summè communicativus sui.

PUNCTUM PRIMUM.

BOnum *est diffusivum sui*, teste Dionysio: Deus

Deus autem cùm sit summum bonum, ita maximè communicativus sui: quod facit excellenter. 1. Quia liberè pro bona voluntate sua, non coactè. Vicissim ego *voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* 2. Quia nullo tuo emolumento: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: Sequitur autem, *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis*: quasi dicat, quia non poteram ei benefacere, convertit voluntatem meam, ut Sanctis ejus benefacerem pro ipso. 3. Quia summè se communicat pro modo suæ sapientiæ. Sic & ego.

De divinis nomi. c. 4.

1. *Ps. 53. 8.*

2. *Psal. 15. 2.*

3.

PUNCTUM II.

COmmunicat se, dans esse naturale rebus, secundùm quatuor gradus substantiæ corporeæ, viventis, sentientis, & intelligentis, quos singulos diversis creaturis tribuit; homini omnes: ut sint tanquam quatuor flumina ex fonte Paradisi egredientia, ex summo bono, & irrigantia universum mundum: quæ cùm in uno homine colligantur, meritò requiritur ab eo, ut Deum amet ex toto corde pro bono corporis, ex tota anima pro bono vitæ, ex omnibus viribus pro bono sentiendi, ex tota mente pro bono intelligendi.

PUNCTUM III.

COmmunicat amplius se, dans esse supernaturale, idque quatuor etiam modis 1. Dans esse

Excellentius se

communicat. esse *gratiæ*, quâ *divinæ efficimur consortes naturæ*, & Filij Dei. 2. Esse *gloriæ*, in qua *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* 3. Esse *personale* Verbi divini, ut homo sit verus Deus. 4. Hoc Verbum Caro factum communicatur ineffabiliter omnibus volentibus in Eucharistiæ mysterio.

1. Pet. 1. 4.

1. Ioan 3. 2.

Ex his quatuor communicationis modis duo posteriores soli homini concessi sunt, non Angelis, quæ est prærogativa singularis. Itaque homo non solùm factus est ad imaginem Dei per naturam, sed est factus imago Dei substantialis per unionem hypostaticam. O si ego me vicissim totum communicem, reddámque Deo, ut unde fluxerunt aquæ, ad Deum revertantur!

Deinde observa quod cùm conveniret, ut Deus hypostaticè se communicaret cuivis creaturæ, elegit hominem, in quo omnes creaturas sibi assumeret, quòd in eo sint omnes gradus essendi. Ergo omnes laudent illum: & ego præsertim exhibebo me sanctum, tum corpore, tum spiritu: quando in homine sic honorificavit Deus utramque substantiam per unionem personalem.

MEDITATIO VIII.

Quòd Deus sit summè amabilis.

BOnum est quod omnia appetunt, ut definit Philosophus. Expetitur autem vel propter seipsum,

seipsum, vel propter utilitatem, vel causâ delectationis: unde triplex bonum existit, honestum, utile, delectabile.

PUNCTUM PRIMUM.

Ut bonū honestū.

DEus est summè amabilis propter seipsum, quia est summè & infinitè bonus, & ipsa bonitas. Et est ultimate propter seipsum amabilis, ut non ob alium finem debeat amari cùm sit ipse summum bonum, sed alia omnia propter ipsum: siquidem est fons omnium, & ideo finis ultimus. 1. Sequitur non posse amari à creatura, quantum est amabilis, siquidem est infinitè bonus, sed à seipso tantum O, amem saltem quantum possum! 2. Debere amari saltem super omnia alia, & ita *ex toto corde, mente, & viribus.* 3. In illa bonitate posse spectari varias perfectiones, singulásque finitas, quasi totidem motiva amandi ipsum? est enim totus desiderabilis. 4. Quàm detestabile sit odisse Deum, in quo nihil odio dignum: unde Dominus ait: *Oderunt mē gratis*, sine causa: nam quando etiam punit, amabilis est illius justitia.

1. 2. 3. 4. *Ioan. 15.* 15.

PUNCTUM II.

Ut bonū utile.

ESt amabilis etiam ob utilitatem nobis ex illo provenientem. 1. Propter esse naturale acceptum, & quod res omnes in usum nostrum procreaverit. Cogita te audire singulas tibi dicentes: *Da & accipe & justifica animam tuam*: accipe meipsam, tanquam Dei munus, & vicis-

1. *Eccl.* 14. 16.

sim da animum gratum largitori, sicque justitiæ partes implebis: *Cave, ne sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* 2. Propter esse gratiæ & gloriæ: quod si amorem illi debeo ob naturalia, quanto majorem ob supernaturalia? si propter temporalia, quid propter æterna? si ob res extra ipsum positas, quid pro eo, quod seipsum fruendum mihi dat? O anima mea, da & accipe. 3. Quia omnis ratio boni utilis, quæ reperitur in creatis, in Deo est perfectius, & ab illo impertitur rebus. Si ergo amo creaturas qua utiles, ad finem aliquem consequendum: amem ipsum fontem magis, ubi bonum illud utile est melius, & à quo accipio.

Eccl. 4. 36. 2.

Cæterum motivum hoc amandi Deum ob utilitatem sic usurpabo, ut non Deum referam ad meum commodum, tanquam ad finem, sed ut illam ipsius Dei bonitatem præcipuè amem, qua ille se in nos effundit.

PUNCTUM III.

DEus est bonum summè delectabile. Est autem delectatio actus quidam animi conquiescentis, & gaudentis de bono possesso: sequitur autem cognitionem & amorem Dei, per quæ possidetur Deus.

1. Hinc 1. Deus ipse, qui seipsum perfectè comprehendit & amat, adæquatam infinito bono suo delectationem ex seipso percipit, hoc est, infinitam. Porro illius delectationis mens creata fit particeps: prout plus, minus de notitia Dei

&

& amore participat. 2. Oblectatur communicando seipsum creaturis: *Latatur Dominus in operibus suis*: & *Delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum*: quod significat approbatio illa circa creata: *Et erant valde bona*. Atque hoc ipso quod de nobis delectatur, redditur nobis ipse valde delectabilis, siquidem ait: *Delicia mea esse cum filijs hominum*. 3. Quæcunque rationes delectabilium insunt creaturis, reperiuntur in Deo perfectius. Unde potest per seipsum absque creaturis nos mirabilius delectare; quod & insinuat, quando promittit *centuplum*: quia inæstimabiliter majus gaudium confert relinquentibus terrenas oblectationes propter ipsum, quam quod afferre possunt omnia simul mundi delectabilia. 4. Cùm tam delectabilis sit Deus, & ipse tanta affluat delectatione. & ita delectabiliter se nobis communicet, & nobiscum sit: plane convenit, ut delectabiliter ipsi serviamus. *Iubilate Deo, servite Domino in lætitia, & introite in conspectu ejus, in exultatione. Non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tadium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Et *Hilarem datorem diligit Deus.* Disce quàm abominabile sit, ob delectationem ex creaturis, posthabere summum delectabile & infinitum. Et sunt, qui sic agunt, innumerabiles. Absit à me. *Ego in omnipotente delectabor: & Exultabo in Deo Iesu meo.*

2. *Psal.* 103. 31. *Prov.* 8. 31. *Gen.* 1. 31. *Prov.* 8. 31. 3. 4. *Psal.* 99. 2. *Sap.* 8. 16. 1. *Cor* 7. 7. *Iob.* 27. 10. *Hab.* 3. 8

MEDITATIO IX.

Qualem charitatem Deus habeat.

AMor tres habet actus. 1. est *benevolentiæ*, qua bene volumus amato, & in eo quod habet, acquiescimus. 2. *concupiscentiæ* in rem, quam alicui, vel nobis cupimus. 3. *amicitiæ* inter plures, ob bonum in quo communicant: quod si supernaturale sit, dicitur charitas. Ex his oritur *beneficentia* erga *amatum*.

PUNCTUM PRIMUM.

De Amore divino erga seipsum.

DEus amore benevolentiæ amat seipsum, quantum est amabilis infinita ejus bonitas, qui amor rectissimus est & debitus, non ut amor proprius, quo creatura amat se præ Deo, illius post ponens voluntatem: nempe amor in creaturam debet esse subordinatus amori in summum bonum, alioqui vitiosus est. 2. Inter divinas personas est amor amicitiæ perfectæ: nam sunt æquales, & communicant in bono infinito, & habent unum velle, quin unum intelligere, & operari.

Gaudebo quòd sit aliquis amor, quo Dei bonitas ametur, quantum est amabilis, nempe divinus, quo se Deus amat.

Deinde gratulabor mihi, quod ex illo amore oritur, ut etiam amet nos, quasi quid sui. Ita vi-

viciſſim amor noſter erga Deum urgere debet nos ad amandum proximum, quem ille ſic amat: amor enim noſter debet eſſe participatio divini: ergo ſicut ille ſe amando, convertit amorem in hominem: ita nos Deum amando, debemus ſimiliter in proximum converti.

PUNCTUM II.

QUomodo Deus amat alia extra ſe. I. Differt modus amandi à noſtro, quoniam Deus amando, confert creaturis idipſum, unde ſunt amabiles: quare amare & benefacere in Deo ſunt conjuncta. Amando cœlum, ſtellas, elementa, plantas, animantes, hominem: dedit eſſe, quod habent, & ſic amat ſpontaneè, non ex neceſſitate. At ego, Domine, non valeo ſic amare te, ut aliquid tibi conferam: amabo autem ſic, ut quod abs te accepi, totum in obſequium tuum impendam, nec non ut proximis meis, loco tui, benefaciam. Quomodo amat creaturas.

II. Amat hominem præ aliis creaturis corporeis, quia homo eſt ad imaginem Dei conditus, ſimilitudo autem eſt cauſa amoris. Hic dupliciter ad amandum Deum excitabor, &, quia fecit mihi magna, imaginem ſui me faciens, & quia, ſi *omne animal diligit ſibi ſimile*, quanto magis ego Deum, cujus ſimilitudinem gero, & cui ſimilem eſſe tantæ eſt excellentiæ? *Eccl.* 13. 19.

III. Creaturas irrationales amat Deus amore concupiſcentiæ, non amicitiæ: amat enim, ut ſerviant homini, alioqui eas non producturus.

Non sunt autem capaces, ut amentur amore amicitiæ, quia non possunt Deum redamare: voluit autem eas creare, ut ex illis, & in illis, homo amaret, laudaréque Deum. *Domine, quid est homo, quod memor es ejus? Omnia subiecisti sub pedibus ejus.* *Quàm admirabile est nomen tuum*? Ideo admirabile, quia sic hominem amasti: quot sunt res, in singulis amasti hominem, & ego non te vicissim in singulis amabo? Totidem donarem corda, si suppeterent totidem vitæ.

Ps. 8. 5.

PUNCTUM III.

Omnes amat.

QUòd Deus nihil excludit à suo amore, sed amat omnem creaturam, eo saltem, quod ab illo habet esse. *Diligis omnia quæ sunt: & nihil odisti eorum quæ fecisti*: unde & tribuit singulis quæ à natura ei conveniunt: hominem quoque peccatorem amat, tametsi minimè peccatum ejus.

Sap. 11. 25.

Hinc 1. petam à Deo, ut removeat quicquid ego mali adjeci ad bonum naturæ, quod ipse contulit: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me?* Absit: sed tolle à me, unde me præcipitas.

Iob. 1. 8.

2. Discam amare omnes, & velle eis suum bonum: tantum peccatum odisse *Diligite inimicos vestros: benefacite iis qui oderunt vos, ut sitis filij Patris vestri qui in cœlis est.* 3. Imitabor Deum, qui omnia ex amore operatur, sicut ait Sapiens: *Neque odiens aliquid constituisti, aut fecisti*: Et

Mat. 5. 44.

Et Dionysius: Amor est causa omnium rerum: ac si amare Deus desineret, interirent omnia. Ego vicissim omnia opera mea, ut in charitate fiant, elaborabo, ut suadet Apostolus: alioqui, *Si charitatem non habuero, nihil sum*, perit fructus. *Cap. 4. Divin. nomin.* *1. Cor. 13. 2.*

PUNCTUM IV.

QVòd Deus hominem non solùm amaverit, sed amicum etiam suum fecerit. Amicitiæ autem conditiones sunt istæ. 1. Debet esse inter æquales, & quia creatura infinitè inferior est Creatore, quo nos essemus capaces amicitiæ divinæ: *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficeremur divinæ consortes naturæ*: unde animam Justi vocare dignatur *sororem & sponsam*, quæ sunt nomina æqualium, ut passim Filius, imò Deus: *Ego dixi, Dij estis & filij Excelsi omnes.* Quòd si David jure miratur, quòd Deus hominem constituerit super omnia bona sua, & paulo minus ab Angelis minorem fecerit: quanto istud mirabilius, quod æqualem Angelis per gratiam, & suæ naturæ consortem effecerit. I. *1. Pet. 1. 4.* *Cant. 4. 9.* *Psal. 81. 6.*

II. Amicorum est communicare in bonis; unde illud: amicorum sunt omnia communia. Certè Deus communicat sua Justo, quando naturam, gratiam, & gloriam confert, ut verè usurpet illud: *Omnia mea tua sunt.* At Justus ex parte sua non habet bona quæ vicissim communicet, nisi quæ à Deo ipso acceperit: hæc igitur II. *Luc. 15. 31.*

gitur reddet agnoscendo ab illo esse omnia, atque in illius gloriam ijsdem utendo.

III. III. Amici sunt unum, amicus est alter ego, est una anima in duobus corporibus, magis est ubi amat, quam ubi animat: hinc avent amici convivere, mutuáque præsentia & colloquio frui, nihil inter se celant. Ita, *Qui adhæret Deo* 1. Cor. 6. 17. per amorem, *unus spiritus cum illo fit*, teste Paulo: Pro pupilla sua justos habet: *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*; Zach. 2. 8. quasi dicat: vos estis oculi mei. Porro *delicia* sunt ejus, *esse cum filijs hominum*. Et tandem totum se eis aperit: *Jam non dicam vos servos, quia servus* Ioan. 15. 14. *nescit quid faciat dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque accepi à Patre meo, nota feci vobis.* Quid autem, *cùm se revelabit facie ad faciem?* ô Domine, *quid est homo: quia sic magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum?* O valeam reddere vicem! sed quod minus possum, & debeo exhibere, præstabo proximo meo propter ipsum, imo ipsi Deo in proximo, exercens amicitiæ proprietates & munia. Præstabo me æqualem & humanum etiam infimis: communicabo libenter cum illis quæcunque habuero, eísque proderunt, tum corporalia, tum spiritualia. Denique fiam cum illis unum, ut ipsi cum Deo sunt unum per charitatem.

ME-

MEDITATIO X.

De quatuor excellentiis divinæ amicitiæ, & charitatis.

EÆ continentur verbis Apostoli: *ut possitis comprehendere, quæ sit longitudo & latitudo, & sublimitas & profundum.* Est autem *longitudo*, amicitiæ æternitas: *latitudo*, qua neminem excludit, sed omnibus patet: *sublimitas*, in cœlestium bonorum communicatione: *profundum* est abyssus secretorum quæ amicis patescunt. Eph. 3. 18.

Hæ proprietates & excellentiæ non in humana, sed in divina tantùm amicitia insunt, de quibus aliquid insinuatum in præcedenti meditatione: sed nunc ex instituto.

PUNCTUM PRIMUM.

AMicitia & charitas Dei sunt æterna ex parte Dei: nam ex quo est Deus, amavit quos creare constituit, & gratia ac gloria donare, quantum in se erat, sed præcipuè Prædestinatos, ut verè dicat: *In charitate perpetua dilexi te*: O si ego ex quo sum homo, amassem illum! saltem, ne ulterius differam serio amare amicum tam antiquum, verè monet Sapiens: *Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis ei.* Longitudo. Ier. 3. 8. Eccl. 9. 14.

Jam qui ab æterno amavit, procul dubio amavit prior: in quo charitas ejus commendatur, sicut

1. Ioan. 4. 9. cut ait ejus dilectus : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, non quasi nos dilexerimus Deũ ; sed quoniã ipse prior dilexit nos.* Unde sequitur quod nos non amaverit propter aliquod suum commodum ; sed gratis : quia bonus est ipse. Colligit hinc Joannes : *Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos.* Fiat, fiat.

Neque ab æterno solùm amat, sed in æternum. Et *misericordia ejus ab æterno usque in æternum*, utique & amor : *Quis nos separabit à charitate Dei* ? inquit Paulus. Quis efficiet, ut nos Deus non amet ? à quo amore accipimus virtutem : *In omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Quòd si à gratiâ excidamus, pergit mare, dum paratus est in gratiam nos recipere : *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere & ego suscipiam te.* O Domine ! ita me ama, & ad hoc ama ut constanter amem, nec amandi te cursum interrumpam, multo verò minus in fine abrumpam : sic fiet ut neque mors, neque ulla creatura prævaleat adversum me. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos :* ô & me in finem dilige ! da perseverare in charitate.

Ps. 102. 27.

Rom. 8. 35.

Ier. 3. 1.

Ioan. 13. 1.

PUNCTUM II.

Latitudo.

LAtitudo charitatis Dei est infinita, sinu suo complectens omnes omnino homines : quia *omnes vult salvos fieri*, quantum in se est : & *solem* justitiæ, Filium suum, *oriri facit super justos & injustos*, & *pluit* doctrinæ illius imbre *super bonos*

1. Tim. 2. 4.

Matt. 5. 45.

bonos & malos: quin recedentes à se blande revocat, & beneficijs demeretur: *Congregans carbones ignis, super caput inimicorum suorum*: *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*: ita cum illis agens, ac si ignoraret eorum culpas, dum ad pœnitentiam eos adducit, suæque restituit amicitiæ. Nihilominus electos peculiari prosequitur amore; unde dicit: *dilexi Jacob, Esau autem odio habui.* Sed heu! *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suũ absque termino.* ô claude, claude Domine Deus! & cœlum potius pande, ut repleatur domus tua.

Rom. 12. 20. Sap. 11. 24. Mal. 1. 2 Is. 5. 14.

Deinde considera quod etsi amicitia humana, teste Philosopho, debeat esse inter paucos, quòd qui fideles amici sint, non est reperire multos, & quia familiaris convictus non potest esse ad multos: At divinæ alia est ratio: potens est enim Deus sibi multos parere sinceros & fideles amicos: & ita singulis potest convivere, séque ipsum communicare, ac si unus tantùm foret: quare de multitudine Fidelium, tanquam de una persona, & ad unam loquitur: *Una est columba mea, perfecta mea*: ô sim columba per innocentiam, perfecta per charitatem. Æmulabor divinam, dilatans cor in amorem omnium, absque exceptione. Et omnes sint mihi instar unius amici, in Deo omnes complectendo.

PUN-

PUNCTUM III.

Sublimitas. SUblimitas charitatis est immensa, ut dona communicata. Nam 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater; ut Filij Dei nominemur, & simus*: quid sublimius? Et porro ad dignitatem filiorum adjecit, quidquid decet Filium Dei: quòd quantum sit, non assequimur modo, teste Joanne: *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: scimus quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* 2. Amplius se extulit charitas Dei: *Sic enim dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, Et *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia Filium suum unigenitum misit in hunc mundum, ut vivamus per eum.* Voluit Deus ex hominibus sumere, qui esset simul verus Deus, & talem cum homine amicitiam contrahere, quæ propria foret illi qua divinæ inter se personæ cohæresunt: illæ enim sunt unum Essentiâ: Deus autem & homo per Incarnationem, sunt unum personâ. In qua conjunctione & amicitia Christi hominis cum Deo fundatur nostra, quàm cum Deo contrahimus. Nam quia Filium suum nobis per Incarnationem dedit, ideo *cum illo, omnia nobis donavit*: ô charitas sublimis! Quousque extolleris? Qui est Deus verus, fit verus homo: ut in hoc Deo & homine adoptemur ipsi in filios, atque in amicos intimos adsciscamur. Fiam unus ex istis! *Respice Domine, in fa-*

1. 1. *Ioan.* 3. 1.

2. *Ioan.* 3. 16. 1. *Ioan.* 4. 9.

Rom. 8. 32.

Ps. 83 10

faciem Christi tui, méque ad imaginem illius renova. 3. Adjecit charitas ad hæc, ut Deus in assumpta humanitate abderet sese sub speciebus panis & vini, quo mirabiliter in pectus & animam ipsam uniuscujusque pervaderet, nexúque ineffabili jungeretur singulis. 4. ipsum Spiritum factum suum donat nobis, donorum maximum & charitatem ipsam: ut postquam cætera dedit, fontem ipsum donorum effunderet in nos. Quid non hîc concipiam desideriorum? quid non aggrediar? Auscultabo monenti Apostolo: *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu spirituali, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam, & laudem Dei. Amen.* 3. 4. *Phil.* 1.9

PUNCTUM IV.

PRofunditas charitatis tanta est, ut Deum, quo nihil excelsius humiliaverit ad humanam conditionem: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens & habitu inventus ut homo.* Quia enim amicitia quandam requirit æqualitatem, demisit se Deus, *assimilatus per omnia nobis*, ut fiduciam præberet suæ amicitiæ consequendæ. Non modo naturam nostram assumere propter nos voluit: sed etiam ærumnas, quia *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Implevit supremum officium amicitiæ. Quanquam majus aliquid facit, non enim pro amicis Profunditas. *Phil.* 2.7 *Heb.* 2. 17. *Ioan.* 15. 13.

amicis id promerentibus mortem subijt, sed pro inimicis; ut sibi eos faceret amicos. Et in hoc
Rom. 5. 8 *commendat charitatem suam: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* O charitas Dei verè patiens, verè benigna! sed & in mysterio Evchariſtiæ Deus se profundè humiliat, usque in nostra ipsa viscera se demitti volens, secundùm viscera charitatis suæ. Postremo profunda etiam judicia sunt Dei, & viæ, per quas deducit amicos suos ad
Rom. 8. 28. optatum finem. Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam adversitates, & tentationes: nec non subinde ipsi lapsus, unde cautiores firmioréque resurgunt. Et quis possit investigare secreta providentiæ Dei erga suos amicos? Igitur
Eph. 3. 17. *in charitate radicati & fundati æmulemur charismata meliora*, has Divinæ charitatis quatuor excellentias; *Longitudinem*, ut maneat per omnem vitam: *Latitudinem*, ut nullum hominem, nullum genus officij non complectatur; *Sublimitatem*, ut nihil sapiat terrenum, Deum in omnibus intueatur: denique *Profunditatem*, ut velit etiam conculcari propter dilectum suum.

MEDITATIO XI.

Quòd Deus vult amari à nobis.

PUNCTUM PRIMUM.

Imperat vt se amemus.

CHaritatis quidem est amare potius quàm velle amari: sed & hoc avet charitas Dei

erga

erga nos, unde & præceptum condidit, quo jubet se amari; & quidem sine modo, *toto corde*, &c. Postquam ipse ita amavit, & de facto amat, & quo plus amatur, plus amat. *Ego diligentes me diligo:* & pro dilectionis modo ego etiam diligo; nam quanto magis diligitur, plura confert unde diligatur. *Prov.* 8. 17.

Hoc præceptum vocat Christus *primum* & *maximum*, pluribus de causis. 1. Quia est *fundamentum* reliquorum & omnis perfectionis. 2. *Dignitate*: quia sine charitate reliquæ virtutes nihil sunt. 3. *Meritò*, quia *si distribuero facultates in cibos pauperum, & corpus tradidero, ita ut ardeam, nihil mihi prodest sine charitate.* 4. *Suavitate:* hinc enim *jugum Christi suave est, & onus ejus leve:* Et charitatis fructus est *gaudium in Spiritu Sancto.* 5. *Efficacitate*: quia facit implere omnia præcepta. Unde Christus, *In hoc tota lex pendet & Propheta, & plenitudo legis est dilectio, finis præcepti charitas.* Quare monemur: *Omnia vestra in charitate fiant.* Si quidem tanti est, satagam ut illud impleam perfectè, quod fiet si removeam omnem alium amorem à me, & quæcunque charitati adversantur, aut ejus fervorem remittunt. Deinde fi accingar ad exequenda illa, unde conservatur & augescit. *Mat.* 22. 37. 1. *Cor.* 13. *Mat.* 11. 30. *Rom.* 14. 17. *Mat.* 22. 40. *Rom.* 13. 10. 1. *Tim.* 1. 5. 1. *Cor.* 16. 14.

Diligam igitur *ex toto corde*, mortificans quidquid est amoris proprii, & meam abnegans voluntatem, ut impleam divinam? *ex tota anima*, refrænans illius passiones, & servire faciens Deo; *ex tota mente*, captivans intellectum in

obsequium fidei, & divinæ voluntatis; *ex omnibus viribus*, ut omnes facultates animæ impendam in Dei servitium.

PUNCTUM II.

Dat quo amemus.

NOn præcipit solùm ut amemus: sed ipsam infundit charitatem, quâ id præstare possimus, & insuper inspirat per inspirationes internas ad amandum utendúmque charitate infusa; unde illa magis augeatur & roboretur.

Amplius confert charitatis fontem, Spiritum S. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et *In hoc cognovimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Porro Spiritus S. est in nobis, fovens donum suum, & ad operandum secundùm illud nos instigans.

1. Ioan. 4.13.16

Quin Pater & filius adveniunt: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Convivunt personæ divinæ amanti animæ per communicationem amicitiæ singularis, ac intimæ, quali uniuntur inter se ipsæ.

Ioan 14. 23.

O diligam te Domine, fortitudo mea! Si Deus charitas est, quid ea potest esse melius? si is qui est in charitate, est in Deo, quid potest esse securius? & si Deus inest, quid potest esse lætius? Quid itaq; diligis, si talem charitatem non diligis?

PUN-

PUNCTUM III.

LIcet Deus id non præcepiſſet, amari debuit: at invitat etiam præmiis ampliſſimis. Nam cùm poſuiſſet dilectionis mandatum, ſubdit: *Vt bene ſit tibi*: non mihi inde bene, ſed tibi. 1. menſura gloriæ datur pro menſura charitatis: *Qui diligit me, ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Prout dilectio fuerit, ita erit manifeſtatio ſui in gloria, quæ eſt beatitudo eſſentialis. 2. Dona & favores Dei peculiares in hac vita promeretur charitas. Unde Sapientia: *In viis juſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum judicii; ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* 3. Fovet Deus in nobis ignem charitatis, adjectione beneficiorum, tanquam materiæ optatæ, unde magis inflammetur. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?* Hi ſunt *funiculi Adæ, vincula charitatis*, quibus nos trahit ad amandum ſe: vult enim in terra habere ſuos Seraphinos. O ſim! 4. Comminatur ſupplicia, niſi amemus: ut vel ſic adigat: *Qui non diligit, manet in morte.* Et, *Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema*, maranatha.

Caritatis præmia. *Deut.* 10. 13. 1. *Ioan.* 14. 21. 2. *Prov.* 8. 20. 3. *Luc.* 12. 49. *Oſea.* 11. 4. 4. 1. *Ioan.* 3. 25. 1. *Cor.* 16. 22.

Porro Deus diligendus eſt, propter bonitatem ſuam præcipuè; non propter ſpem mercedis, aut metum ſupplicii: licet tamen hoc quaſi triplici vinculo obſtringere ad amandum; & propter bona quæ nunc recipimus, & propter futura ſperata, & ob mala declinanda.

MEDITATIO XII.

Quòd Deus sit infinitè misericors.

PUNCTUM PRIMUM.

Misericordia supetat justitiã.

IN operibus Dei misericordia & justitia vigent, sed magis illa juxta illud. *Misericordia superexaltat judicium.*

Iacob. 2. 13.

I. Misericordia præcedit justitiam: quia non plectuntur, nisi qui misericordia abusi sunt. *Nũquid voluntas mea est mors impii, & non ut convertatur & vivat? Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.*

Ezec 18 23. &c. 33. 11. *Sap.* 1. 13.

II. Comitatur ubique justitiam: etiam in puniendo admiscet Deus misericordiam. *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* quasi dicat: nec in irascendo desinet misereri. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Nempe offert veniam, etiam tunc; & ad hoc castigat, ut resipiscam, & infra meritum flagellat: quin in ipso inferno citra condignum mulctat. Est igitur misericordia veluti finis justitiæ: nam & ex damnatione reproborum intendit & procurat salutem electorum, qui inde proficiunt.

Ps. 76. 10.

Hab. 3. 2.

III. Majora Deus præstitit misericordiæ documenta, quàm justitiæ, ut mox dicetur. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Hinc fiduciam concipiam: oportet quidem justitiam præ oculis habere, ne præsumam; sed præcipuè inhærebo misericordiæ, ad quam tanquam ad majus quodam-

Ps. 144. 9.

damodo tribunal provocabo, hortante Paulo. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Heb. 4. 16.

Misericors Dominus & justus, & Deus noster miseretur, quasi dicat: sed præcipuè miseretur; *Justus Dominus & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Ego sum Deus zelotes, visitans patrum iniquitatem in filios, in tertiam & quartam generationem.* At sequitur. *Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Psal. 114. 5. Psal. 10. 8. Exod. 20. 5.

PUNCTUM II.

AMplitudo divinæ misericordiæ: quæ omnes creaturas complectitur, & omnibus miseriis subvenit: unde misericordia fundatur in omnipotentia: *Misereris omnium, quia omnia potes,* Bonum factum, quod ambæ adsunt; ut cùm per misericordiam velit, per potentiam valeat opitulari. *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine, misericordia.* Ad omnes creaturas extenditur: quia *Misericordia Dei plena est terra*: omnes res habent aliquem defectum, unde misericordia Dei egent: De brutis, *Homines & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Et: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* At quanto magis hominibus impendet? unde & ad Jonam

Amplitudo in omnia. Sap. 11. 24. Psal. 61. 12. Psal. 32. 5. Psal. 35. 7. Psal. 146. 9.

Ion. 4 11. Jonam ait: *Tu doles de hedera, & ego non parcam Ninive?*

Ps. 62. 4. *Ps.* 118. 77. Vere *Domine, melior est misericordia tua super vitas*: quia nihil nisi abs te venit. *Veniant igitur mihi miserationes tuæ, & vivam.* Gaudeo, quia nihil est miseriarum, quod levare non possit, & velit pro ordinatissima sua providentia, quantum expedit mihi.

PUNCTUM III.

In peccatores. *Sap.* 11. 24. SIgillatim misericordia Dei erga peccatores expendenda est. De qua Sapiens: *Misereris Domine, omnium; quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis* enim *omnia quæ sunt: parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Hinc colliguntur proprietates misericordiæ divinæ. 1. Quod neminem excludit. *Misereris omnium Domine* duas tantùm reddit causas. Quòd omnes ab ipso facti sunt, & quia amat omnes. Quod ad omnia peccata extenditur, quantumvis magna & multa. 3. Quod expectat patienter, dum resipiscat peccator: & non semel, aut *septies; sed septuagesies septies*, & infinities recipit pœnitentem. Quæ *benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit*, non fræna laxat peccandi. 4. Quod misericordia Dei maximè se impendit eis, qui & ipsi misericordes sunt erga proximos.

Mat. 18. 12. *Rō.* 2. 4. *Mat.* 5. 7 *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

PUN

PUNCTUM IV.

In electos.

MIsericordia Dei erga electos, quos Paulus vocat *vasa misericordiæ*. 1. est æterna, & *usque in æternum super timentes eum*, & quidem erga electos; imo etiam erga omnes, quantum in ipso est. 2. Comitatur electos ab ortu, & *Misericordia prævenict me*. 3. est altissima quia evehit ad summa: *Magna est* in cœlo, & *super cœlos misericordia tua*. Et: *Secundùm altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se*.

Rom. 9. 23. *Ps.* 102. 17. *Ps.* 58. 11. *Ps.* 107. 5. *Ps.* 102. 11.

PUNCTUM V.

Documenta misericordiæ. 1.

DOcumenta divinæ misericordiæ. 1. Cùm Deus non esset capax affectus tristitiæ, ex miseriis nostris: *Voluit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret*. 2. Non affectu tantùm, sed re communicare voluit miseriis nostris. *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. 3. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Summa hæc misericordia, qua voluit esse cibus noster, medicina, hostia, & quid non? *Confiteantur tibi misericordiæ tuæ, quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis*.

Heb. 2. 17. 2. *e.* 4. 15. 3. *Ps.* 110. 4. *Ps.* 106. 9.

Siquidem Deus ita misericors est, imitabor ipsum pro viribus erga proximum, quod monet Christus ipse: *Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est*: quare cu-

Luc. 6. 36.

piam dari mihi occasionem exercendi misericordiam, ut cùm David dicebat: *Numquid superest aliquid de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei?* Dei dicit, qualem Deus exhibet. *O Pater misericordiarum! ostende nobis misericordiam tuam*, fac intelligamus illius magnitudinem, & experiamur in nobis, quo tanquam filij tibi similes in exercenda illa reddamur.

2. Reg. 9

1. Cor. 1. 3.

MEDITATIO XIII.

Quòd Deus sit infinitè liberalis.

PUNCTUM PRIMUM.

Iac. 1. 5. Dei liberalitas ex quibus cognoscitur.

EST summè liberalis: quia *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Spectatur in istis. 1. in multitudine donorum naturæ, & gratiæ. 2. in excellentia, siquidem se etiam ipsum dat. 3. erga omnes absque acceptione personarum. 4. nullo debito, tantùm quia bonus est, & per se propensus ad largiendum, unde ab eo cœpit liberalitas. *Quis antè dedit mihi, ut reddam ei?* ait apud Job: Sicut Paulus: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* non spectat compensationem: quia *bonorum nostrorum non eget.* Quod si requirit gratitudinem, facit quod justitia id postulet, & quo plura largiatur. Similiter, si obedientiam, cùm sit summus legislator: jubet autem quæ nobis expediunt. Itaque si-

Iob. 41. 2
Rom. 11. 35.
Ps. 15. 2.

sicut:

cut : *Nemo bonus, nisi solus Deus* : ita neque liberalis. *Luc.* 18. 19.

Studebo vicissim liberalem me exhibere Deo in omnibus quæ ei grata fore cognovero : ídque *non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus* : neque spe tribulationis, sed pro bonitate ipsius, & quia is maximè cupit, imo petit ; *Fili! præbe mihi cor tuum* : illud ei tradam, quia non alibi melius locari potest : cumque illo omnia mea desideria & affectus offeram, uti sponsa : *omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* *2. Cor. 9. 7.* *Prov. 13. 16.* *Cant. 7. 13.*

PUNCTUM II.

SIngulariter liberalis est in eos, qui ipsi se præstant liberales. 1. In eorum exaudiendis orationibus : siquidem ipsi prompti sunt placita ei præstare. 2. Si nos immemores simus petendi, *Ipse spiritus postulat pro nobis* : inspirans, ut petamus, quia dare cupit. 3. Dat etiam non petentibus : *Antequam clament, ego exaudiam.* 4. Replet consolationibus cœlestibus, inprimis eos, qui ejus causâ reliquerunt omnia. 5. Providentiam eorum gerit singularem, peculiarémque in tentationibus & periculis ; assumit ad magna opera : virtutes meritáque accumulat, quo liberalius remuneret, juxta illud : *Date & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Vincit immensum liberalitas divina nostrum desiderium. Ergo *non sit porrecta*

Deus liberalis erga eos qui ipsi sunt liberales. *Rom. 8. 26.* *Isa. 65. 24.* *Luc. 6. 38.*

Eccl. 4. 36. Psl. 103. 28. *recta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Aperit* enim ille *manum suam, & implet benedictione.*

PUNCTUM III.

Deus parcus in te, quia tu parcus.

QVam ego sim parcus erga Deum. Petenti aquam Samaritana non dedit sitienti in cruce Judæi obtulerunt acetum. Sic ego, aut non facio, aut vitiosa facio. Percurram præcepta, consilia, regulas Instituti, præscripta Superiorum, inspirationes divinas. Parcum me præsto in omnibus, ut mirum non sit, experiar Deum mihi parcum, si non exaudiar, si consolatione priver, & bonis, quibus adeò abundant liberales. Mihi dici cogitem à Deo: *Nunquid abbreviata & parvula facta est manus mea ut non possim redimere?* nequaquam, sed tua me prohibet parcitas, & dolet sic se cogi, ne sit liberalis. O expergiscar à torpore isto!

Isl. 50.

MEDITATIO XIV.

Quòd Deus sit immensus, & ubique præsens.

PUNCTUM PRIMUM.

Dei immensitas

Jer. 23. 24. Sap. 1. 7. Psl. 18. 78.

DEus est in omni loco. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo?* Et *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*: Quare quocunque vadam, per Deum ipsum vado, & illic eum inveniam: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descen-*

descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quin si millia millium orbium essent, omnes repleret: ita ut mundus hic pro puncto sit, respectu spatij quod replere potest. Quare Salomon: *Cœli cœlorum te capere non possunt.* 3. *Reg.* 8. 27. Viva fides hujus præsentiæ efficax est, & juvat elevationem mentis ad Deum jaculatoriè per intervalla, si fiat, quod de Moyse scribitur: *Invisibilem tanquam videns sustinuit.* *Heb.* 11. 27. Et huc respexit Paulus: *Volo viros orare in omni loco.* 1. *Tim.* 2. 8. *O Israël quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis illius! Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* *Bar.* 3. 24. *Excelsior cœlo es, & super stellarum verticem sublimaris, esque profundior inferno.* *Iob.* 11. 8

PUNCTUM II.

MOdus existendi ubique. 1. Ubique est per essentiam, hoc est, per suam substantiam: & quia substantia ejus est etiam ipsius operatio, ubique est seipsum comprehendens, amans, generans, spirans, gubernans, & creans omnia. Quare frui eo ubique potes, & perfectiones ejus præsentes contemplari, amare. Non enim est divisus, ut alia alibi illius pars existat, sed indivisibiliter totus est ubique. 2. Per præsentiam: quia cognoscit, quicquid agitur ubique. Non enim est in loco, ut homo dormiens & ign orans quid ibi agitur, nec ut anima nostra in corpo-

1. Deus ubique per essentiam.

2. Per præsentiam.

corpore, nequaquam videns, quæ in illo sunt.
Ps. 138. 12. Nec tenebræ obstant: quia *tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.*
Matt. 6. 6. Quare, ô anima, si oras, ipse *videt in abscondito*:
Hab. 3. 13. Si tentatio urget, cogita quod *Mundi sint oculi ejus, ne videant malũ, & respicere ad iniquitatem non possunt.* Si affligeris, utique videt, & vult in tempore subvenire: si bonum operaris, non hominibus, sed omnia intuenti placere
Prov. 15. 3. *&c.* 16. 2. studę: nam *oculi ejus in omni loco contemplantur bonos & malos.* 3. Per potentiam, qua dat omnibus esse, necnon etiam operari, & eos
3. Potentiã conservat: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Itaque sicut intuens hominem ejúsque
Act. 17. 27. actiones, cogitato animum in eo existentem, dantémque ei esse & operari, ita res omnes, & singulas considerans, Deum in ijs communicantem, quòd sint & agant contemplabor: non tanquam sit forma, aut pars rerum; sed modo eminentiori, ut prima causa omnis esse.

Quare gaudebo, quòd ita Deus creaturis suis conjunctus sit: ac, si pulchræ sint, non capiar tamen ab illis, sed dantem quod sunt, potius amabo; si fœdæ & terribiles, nec multum movebor, in eis contemplans Deum. *Pone me*
Iob. 17. 3 *juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me, Si*
Ps. 26. 3. *consistant adversum me castra, non timebit cor*
Ps. 15. 8. *meum. Providebam Deum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.*

PUN-

PUNCTUM III.

SPecialior consideratio divinæ præsentiæ in me. 1. Quòd sit circa me, ambiens circum me totum, ut mare pisces, ut mater prolem utero claudit. Gaudebo, me sic vallatum, & conclusum à Deo, quasi intimis visceribus. Cogitabo Deum tanquam ignem toto mundo effusum, nam *Deus ignis consumens est*, & mirabor, si non ignescam. Item ut lucem purissimam, à qua optem illustrari. 2. Quòd sit in me, & intra me magis, quàm anima in corpore, & intimius, per triplicem modum, essentiæ, præsentiæ, & potentiæ. Ibi tres personæ Divinæ sunt, & Divinitas, ibi perfectiones, *bonitas* se mihi communicans, *sapientia* mentem illuminans, *potentia* faciens me operari, oculos videre, aures audire, &c. Sum ego quasi domus continens Deum, sed quæ, illo abscedente, mox corruit. Ibi est Deus tanquam in conclavi, ad quod proinde me recipam, oraturus, ut Christus monet: *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum.* Circumspiciam, ne quid ibi sit quod displicere possit habitatori Deo? Quid foris quæram, qui intus habeo totum?

Deus 1. Circa me. *Deut.* 4. 24. 2. In me. *Matt.* 6. 6.

PUNCTUM IV.

SUnt alij modi peculiares, quibus Deus est in certis locis. 1. In cœlis est manifestus, ubi suam essentiam Beatis ostendit: proinde dicitur: *Tabernaculum Dei cum hominibus, ubi ipsi popu-*

Alij modi præsentiæ Dei. 1. *Apoc.* 21. 3.

populus ejus erunt, & Deus cum eis erit eorum
2. *Deus.* 2. Specialiter est in locis alijs ubi suæ præ-
sentiæ singulare aliquod exhibet signum, ut cùm
apparuit Jacob in scalis: unde dixit: *Verè Deus*
Gen. 23. *est in loco isto. Non est hìc aliud, nisi domus Dei,*
12. *& porta cœli:* quod in templa & orationis loca
3. convenit. 3. In justis per gratiam: nam ait Jo-
1. Ioan. annes: *Qui manet in charitate, in Deo manet,*
4. 16. *& Deus in eo.* Vicissim in Deo manent, quia
amans est ubi amat; amant autem se invicem
Deus & justus. Deinde justus in Deo est per
protectionem, habitans in adjutorio Altissimi;
Deus autem in justo, operans in illo opera gra-
4. tiæ. 4. Est in quibusdam eximijs amicis modo
singulari, insinuans se illis intimè: unde existit
in illis fiducia magna, securitas, gaudium, &
quoddam internum testimonium gratiæ præ-
sentis & futuræ gloriæ pignus.

Ex his modis tertius nobis sollicitè procu-
randus est, quartus autem suspiciendus.

MEDITATIO XV.

Quòd Deus sit infinitè sapiens.

PUNCTUM PRIMUM.

Comprehendit seipsum, & omnia extra se in seipso

COmprehendit seipsum, & ita omnia, quæ per suam omnipotentiam facere potest, & omes rerum eventus possibiles, & quidquid à se disponi potest circa creata, atque hæc in seipso cognoscit: quæ est ipsius, beatitudo. Con-

gaudeo

gaudeo ipsi de tanto gaudio: & ô sim aliquando particeps, non jam ipsum in creaturis, sed ipsum in se, & in eo creata contemplans! Tunc satiabitur illud inexplebile sciendi desiderium: *Satiabor, cùm apparuerit gloria ejus.* Nam, ut ait Gregorius, *quid non videt, qui videntem omnia videt?* Tunc *erimus sicuti Dij scientes bonum & malum*, sed minimè per experimentum. *Psal.* 16. 15 *Li.* 4. *Dialog. c.* 33. *Gen.* 35.

PUNCTUM II.

EST sapiens non accidentali sapientia, sed per suam essentiam: unde non ab alio didicit: *Quis* enim *consiliarius ejus fuit*, aut magister? & est sapiens, non limitate circa aliqua tantum, vel aliquatenus, sed *Sapientiæ ejus non est numerus*: qui proinde solus est sapiens, sicut solus bonus. Humilietur ergo homuncio, & dicat cum Salomone ipso: *Stultissimus sum virorum, non didici sapientiam.* Et quod Jeremias, *Stultus factus est omnis homo à scientia*: unde rectè Socrates: *hoc unum scio me nihil scire.* A nativitate nullam habet scientiam homo; quod autem acquirit, tenue est: & quantum tandem, præ infinita sapientia? quare est insignis arrogantiæ, ut homo assequi velit divinæ Sapientiæ rationes. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi, Spiritus Dei*, & *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigabit?* *Abscondita est*, inquit Job, *ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet*, ipsos Angelos; unde dicitur, *Qui ascend s* Sapiens per essentiam. *Isa.* 40. 13. *Psal.* 146. 5 *Prov.* 30. 1. *Ier.* 10. 14. 1. *Cor.* 2. 11. *Eccl.* 1. 13. *Iob* 28. 21.

cendis super Cherubim: qui alioqui à scientia nomen acceperunt.

PUNCTUM III.

Ps. 76. 13. Peculiaria Divinæ Sapientiæ inventa. *Meditabor in omnibus operibus ejus, & in adinventionibus ejus exercebor.*

Sapientiæ divinæ inventa. I. Est opus creationis: *Fide* enim *intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, ut ex invisibilibus visibilia fierent: hoc est, quæ in arcano Divinæ Sapientiæ latebant, foras prodirent. Ubi de opere sex dierum licet cogitare.

I. Heb. 11. 3.

II. Gen. 2. 7. II. Opus sapientiæ est ipse homo: quem *ex limo plasmavit*: & inspirato spiritu incorporeo & immortali, Gen. 2. 7. *fecit in animam viventem.* Mira est in hominibus ingeniorum, propensionum, facierum varietas: & his excogitatæ artes mirabile, inventæ scientiæ: quæ sunt omnia divinæ sapientiæ participatio. Nam *Deus scientiarum* 1. Reg. 2. 3. *Dominus est.*

III. III. Opus gratiæ quo pertinet stupenda humanæ naturæ assumptio in personæ Verbi unitatem: tum ineffabilis communicatio Dei cum singulis hominibus per Eucharistiæ mysterium: & viæ mirabiles, per quas deduxit electos ad salutem: quæque cum singulis agit intus, foris-que disponit.

IV. IV. Universè in operibus Dei relucent ipsius perfectiones: quod est eximiæ sapientiæ inventum, quod ita se Deus exhibet cognoscendum: unde dicitur: *Omnia in sapientia fecisti,*

tisti, & effudit illam super omnia opera tua. Ps. 103. 24.

Ergo in rebus licet deploratis non diffidam, quando Dei sapientia potens est exitum reperire. Ego quoque adinventiones excogitabo, magis quotidie Deo placendi, meque ipsum mortificandi: quoniam *Justus fructum adinventionum suarum comedet.* Eccl. 1. 10. Isai. 3. 10.

PUNCTUM IV.

QUomodo sapientia Dei omnia fecerit in numero, pondere, & mensura: nam comprehendit & definivit numerum dierum, rerumque omnium, vel minutissimarum: indidit rebus propensiones, & dirigit in proprios fines: definitum perfectionis gradum unicuique attribuit. Fecit omnia in numero, pondere & mensura.

PUNCTUM V.

SApientia exæquat æternitatem. 1. Novit omnia præterita, & ita habet præsentia, ut non possit in eum cadere oblivio, & novit perfectè absque errore, ambiguitate, aut dubitatione. *Oculi* enim *Domini multò plus luciliores sunt super solem.* Ac ita nihil boni, aut mali, quod egerim, ipsum latet. 2. Intuetur præsentia. *Vivus sermo ejus & penetrabilior omni gladio ancipiti: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*: Unde circumspectè me geram in oculis Dei, servans illud: *Videant oculi tui recta, & palpebræ tuæ præcedant gressus meos.* 3. Prospicit futura, quasi existentia. Æquat æternitatem. 1. Eccl. 23. 28. 2. Ier. 17. 10. Heb. 4. 12. Prov. 4. 25. 3.

PUNCTUM VI.

Cognoscit omnia possibilia. *Sap.* 7. 14. *Colos.* 2. 3.

PRæter dicta, novit quæcunque cadunt sub divinam omnipotentiam, innumerabiles mundos, & alios aliis perfectiores. Porro de sua sapientia *communicavit* creaturis *sine invidia*, præsertim Angelis & beatis, & ante omnes Christo homini, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*: ita ut noverit prorsus omnia ab æternitate in æternitatem: possibilia autem non potest comprehendere ut homo, quia nec omnipotentiam. *Verè magnus es Domine, vincens scientiam nostram: O, doce me utilia! Mitte sapientiam de cœlo sancto tuo, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.* *Iob* 36 26. *Isa* 48. 1. *Sap* 9. 10.

MEDITATIO XVI.

Quòd Deus sit omnipotens.

PUNCTUM PRIMUM.

Omnia potest. *Luc.* 1. 37.

DEus est omnipotens, ita ut possit facere, quidquid non implicat contradictionem in genere entis: ut Philosophi loquuntur. Et hoc judicavit Gabriel: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

1. Excellentia divinæ omnipotentiæ.

Quare 1. potest plures res, & mundos absque certo numero facere, & perfectiores: ut quidquid factum est, præ eo quod facere possit, quasi nihil sit. Nam divina essentia est infinita: creaturæ autem sunt participatio quædam illius:

Cùm

Cùm igitur ejus perfectio nunquam possit exhauriri, aliæ atque aliæ sine fine res à Deo produci possunt. Unde Sap. *Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia illius, glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia illius.* 2. Potest circa res jam creatas facere quicquid libuerit. *Ipse est omnipotens super omnia opera sua.* Hinc miracula. 3. Velle ejus est posse: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Subest ei cùm voluerit posse.* Dicam ergo cum leproso illo; *Domine, si vis, potes.*

Eccl. 43. 36. 30.

2.

v. 30.

3.

Ps. 113. 11.

Sap. 12. 18.

Mat. 8. 2

PUNCTUM II.

OMnipotētia est propria Dei. 1. Quia est per essentiam potens: unde & *solus potens*: creatura autem sicut ex se non est, ita nihil potest. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quia potest solus omnia facere, absque alicujus adminiculo: creaturæ autem, quod, Deo dante, possunt, non faciunt, nisi Deo movente, *Qui*, ut ait Isaias, *opera nostra operatur in nobis*, & Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Quod omnipotentiam suam communicat creaturis, maximè Angelis & hominibus, ut Deo conjuncti, tanquam ejus instrumenta, valeant quidvis: sic Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat*: & Christus: *Si credis, omnia possibilia sunt credenti.*

Solus potest.

1.

1. *Tim.* 6. 15.

2. *Cor.* 3. 5.

Isa. 26. 12.

Ioan. 15. 5.

3.

Phil. 4. 11.

Mat. 9. 23.

PUNCTUM III.

Assiduè exercet potentiã

Quòd Deus non otiosam habeat omnipotentiam, sed assiduè exerceat, simul cum sapientia & bonitate: quibus tanquam *Tribus digitis appendit molem terræ*, conservat, gubernat. Nam sapientia disponit, bonitas vult, potentia exequitur. Hæc appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto, qui ut unum sunt principium, ac fons omnium, ita sunt una sapientia, bonitas & potentia. His respondent tres virtutes, sapientiæ fides, potentiæ spes, bonitati charitas.

Isa. 40. 12.

MEDITATIO XVII.

De omnipotentia Dei in creatione, & de hujus beneficio.

PUNCTUM PRIMUM.

Gen. 1. 1.

Primus articulus fidei hic est, quod *In principio creavit Deus cælum & terram; mare & omnia quæ in eis sunt*, visibilia & invisibilia.

Ioan. 1. 3.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

1.

Circa quod cogita. 1. Quod ante illud initium nihil extitit, nisi Deus solus, cætera nihil erant. Hoc fundamentum humilitatis propriæ.

2.

2. Quod creaverit non necessitate, non cõmodo suo, non bonitate creaturæ, sed sua impellente.

Prov. 6. 4.

Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus.

3.

3. Quod hujus ordinis rerum exemplar ipse

ipse sibi fuit, non aliunde sumpsit: quod ista, non alia, hoc modo: non alio fecerit, ipse sapientia & bonitate sua disposuit. Agnoscam & gratus ero, quòd me inter ea esse voluerit, quæ ex nihilo evocavit, tot aliis sibi relictis in suo non esse.

PUNCTUM II.

IN creatione mundi elucet omnipotentia multipliciter. 1. Quòd ex nulla præcedente materia creaverit: Efficientia autem creata nihil agunt sine illa. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* 2. Quòd ex creatis rursum produxit alia, ex elementis plantas, & animantes: quo discerenius potentiam illius super res à se factas. 3. Quòd solus fecit, nec adhibito ministerio Angelorum: *Qui extendit cælos suos*, ait Iob: nempe ut solus agnosceretur auctor: & ita Sancti dant illi gloriam in cœlo: *Quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant.* 4. Fecit sine resistentia, sine mora, verbo. *Dixit & facta sunt.* O sic ego obediam Creatori! heu sola resistit perversa voluntas! O dic efficaciter, & fiet.

Ex quatuor relucet ōnipotentia.
1. *Rom.* 4. 17.
2.
3. *Iob* 9. 8.
Apoc. 4. 11.
4. *Ps.* 118. 5.

PUNCTUM III.

QUod per intervalla sex dierum perfecit, cùm momento potuisset, ita voluit. 1. ut sapientiæ Divinæ dispositio melius à nobis attenderetur, 2. Ut rerum ipsarum consequentia, & necessitas cerneretur: dum aliæ per alias perficiuntur.

Modus creationis.
1.
2.

3. Ad insinuandum, quod ita fit in sanctificatione hominis, per quosdam gradus deducendo hominem ad perfectionem.

MEDITATIO XVIII.

Circa id, quod initio temporis creatum est.

Genes. 1. *IN principio creavit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

PUNCTUM PRIMUM.

Creatio cœli. IN principio temporis creavit cœlum, corpus illud pulcherrimum & amplissimum, quod quantum quantum est, *palmo ponderavit*, ut ait Isaias, & cùm sit perfectè sphæricum, nullo fulciente stare jussit: omnes autem cœlestes orbes Empyreo circumdedit; quò foret aula & thronus Dei, sedésque Sanctorum tum Angelorum, tum hominum, ubi eis manifestaret gloriam suam. *Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum*, pro tempore viæ & peregrinationis. *Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Isa. 40. 12.

Ps. 113. 16.

Ps. 83. 5.

Porro cœlum condidit non vacuum, sed refertum novem ordinibus Angelorum, multitudine innumerabili, quos naturæ & gratiæ donis ornatissimos creavit: mox etiam donandos gloria qui in auctorem suum conversi, primo illo

illo suæ creationis momento exultaverunt in Deo suo: nam de illis apud Job Dominus ait, *Ubi eras cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Astra dicuntur matutina: quod in primo exortu mundi, & quasi diluculo extiterunt. Gratulabor, & congaudebo ipsis: atque ad Dei laudes celebrandas provocabo: *Laudate Deum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* *Job. 38. 7.* *Ps. 148. 2.*

PUNCTUM II.

SImul etiam creavit terram intra cœlum, & in centro illius posuit, & quasi appendit: si cui dicit Job: *Et appendit terram super nihilum*: & Isaias: *Appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera*: Librata dicitur, quia in neutram partem reclinare potest: *Fundata est super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.* Sic terra mea corpus meum non degravabit animum, si super nihilum suum steterit, & cogitaverat, quia terra sum, & mox dissolvenda. Creatio terræ. *Isa. 40. 12.* *Ps. 103. 3.*

Porro terram operiebat abyssus aquarum, ut non conspiceretur: ita cor terrenum operiunt malorum gurgites. Quare ad Deum clamandum: *Circumdederunt me aquæ, Domine, usque ad animam: Abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum: sed tu Domine Deus meus, sublevabis de corruptione vitam meam.* *Jon. 2. 6.*

PUNCTUM III.

Gen. 1. 2. Ruditas terræ & aquæ.

TErra, cùm creata est, *inanis erat, & vacua* absque omni ornatu plantarum, & incolentium animalium: Insuper *tenebræ erant super faciem abyssi*: Hoc est, spatium inter cœlum & terram, quod aquis ac nebulosis vaporibus repletum erat, omni prorsus luce carebat.

Per hæc repræsentatur status hominis post Adæ lapsum; inanis à fine suo, frustratus fine, vacuus gratia & donis, tenebris peccati ignorantiæ obrutus.

Cur aliter cœlum Empyreum, aliter terra initio producta sit. 1. quòd cælum significat statum gratiæ: terra autem conditionem hominis ex seipso: *Vniversa vanitas omnis homo vivens.* 2. quòd cœlum Empyreum est sedes perfectorum, qui finem suum consecuti sunt; terra autem viatorum: & pergentium ad finem, & pro tempore tantùm habitanda. Nunc ego me peregrinum cogitabo in terrâ miseriæ, & suspiciam quo tendam, *Ascensiones in corde* meo *disponens in valle lachrymarum*: *donec videam Deum Deorum in Sion.*

Ps. 8. 6.

Ps. 83. 6.

PUNCTUM IV.

Gen. 1. 2. Spiritus Sanctus super aquas.

QUòd *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quas vocaverat abyssum, nimirum virtutem tribuens: ut ex aquis gignerentur volatilia & pisces, & terræ etiam fœcunditatem

tatem impertiens. Significabatur etiam sanctificatio aquarum ad regenerandos in Christo homines, quàm postea Spiritus sanctus operaturus erat. Et quod idem Spiritus peccatoribus, gratia vacuis & in obscuro positis, se communicat, ut ad meliorem statum revocet: *Ferebatur*, inquit, quo significatur irrequieta cura providentiæ circa nos, & ferebatur quasi confovens aquas ad gignendum; sicut gallina sub alis pullos, ut succrescant & solidentur.

MEDITATIO XIX.

De opere primæ diei.

DIxit Deus: fiat lux: & facta est lux: & vidit, quòd esset bona: & divisit lucem à tenebris, appellavitque lucem, diem, & tenebras, noctem. Gen. 1. 3.

PUNCTUM PRIMUM.

I. Lux corporalis.

OPus fuit luce in mundo, qui licet omnem aliam accepisset perfectionem, sine luce inutilis fuisset: nam ejus pulchritudo non fuisset homini perspecta, nec homo ipse suis functionibus, ad vitam necessarijs commodè uti posset. Lux exhilarat omnia, præcipuè hominem, unde Tobias dicebat, *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Per lucem quoque in mundo inferio- Tob. 5. 12.

ri gignuntur, & foventur omnia. Ergo gratias Deo agam pro hoc dono, & bene illo utar, ad cognoscendum Deum ex omnibus operibus suis. Contra detestabor eos qui abutuntur ad peccandum, vel, *Qui oderunt lucem*, ut malefaciant, & *ne arguantur opera eorum.*

Ioan. 3. 20.

II. Lux spiritualis.

Est & lux spiritualis, quâ pellantur ex anima tenebræ peccati & ignorantiæ, quâ Deum ipsum cognoscimus, & agenda à nobis. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Per hanc gignuntur foventúrque virtutes. O Pater luminum, gratias tibi ago pro hac potissimum luce: ô fons luminis, *Illumina tenebras meas.* Fiat in me *sicut lux splendens, quæ procedit, & crescit, usque ad perfectam diem.*

Ps. 4. 7.

Ps 17. 29

Prov. 4. 18.

PUNCTUM II.

I. Tria in luce perpendenda.

PRima die lux facta est: quia nec dies fuisset sine luce: ac proinde principium dierum à creatione lucis esse debuit. Potuisset tamen creari post alium mundi ornatum: sed voluit in luce creare cætera: nam & in spiritualibus lux præcedit omnem actionem: *Vanum est vobis ante lucem surgere*: ô Domine, præveni me luce tua, quo te agnoscam & amem. *Præveniam* & ego *solem benedictionem tuam, & ad ortum solis te adorabo*: nam ita faciendum monet Sapiens exemplo Israëlitarum, qui manna ante ortum solis colligere debebant.

Ps. 126. 3.

Sap. 16. 28.

Nihil

Nihil præter lucem prima die creavit: quam obire circum totum mundum voluit diémque efficere. Sat operis pro una die existimans, diem constituisse. Docemur & nos magnificare lucem spiritualem: & bene diem esse collocatum, quo in luce profecerimus. Quod studium constanter adhibendum usque ad extremam vitæ periodum, quasi ad summum diei. O Sapientia, quæ fecisti *in cœlis, ut oriatur lumen indeficiens*: oriatur, obsecro, in me etiam, ut nunquam occidat: ô *Lucifer, qui nescis occasum*, tu mihi nunquam occidas. II. *Eccles.* 24. 5.

Dixit, fiat lux. Dixit Pater per Verbum suum qui est ejus Filius. *Vidit* Filius, qui est sapientia: *quòd esset bona*: & Spiritus sanctus qui est amor, complacuit in ea. Tota Trinitas unus Deus, jussit fieri, & facta est: vidit, & in opere complacuit. O Domine, dic quoque, ut in anima mea fiat lux. III.

PUNCTUM III.

Divisit lucem à tenebris: voluit vicissitudinem esse, ut die operarentur homines, & animalia, noctu quiescerent in hoc etiam gerens curam nostri: quare *Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite nox & dies Domino.* Divisio lucis à tenebris *Dan.* 3. 71.

Sed & spiritualiter idem contingit: inprimis Deus & serena illa lux, de qua Joannes, *& tenebræ in eo non sunt ullæ.* Et qui illam vident Sancti, semper in luce sunt, absque vicissitudine tenebrarum. *Nox enim non erit illic*, ait Joannes. I. 1. *Ioan.* 1. 5. *Apoc.* 21. 25.

nes. At in terra alij ambulant ſicut in die filij lucis, alij in nocte, quin idem homo nunc lucis, nunc tenebrarum filius eſt. Dividet autem Deus inter utroſque: nam, *Quæ ſocietas luci ad tenebras?* cùm ad judicandum venerit? O pertineam ad lucem, & ad hanc diem!

2. Cor. 6. 14.

2. Præterea in ipſis juſtis datur diviſio lucis & noctis; quin in uno atque eodem, dum modo adverſa, modo proſpera accidunt, & conſolationum ac deſolationum vices alternant: feram utramque ſortem cum gaudio de manu Dei.

3. Ipſe, *Qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, luceat in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu*, claritatis, inquam, qualis relucet in facie Chriſti.

2. Cor. 4. 6.

Iſ. 5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Non ſic ego, ſed quod Deus lucem dixit, mihi erit lux; ſimiliter de tenebris.

MEDITATIO XX.

De opere ſecundæ diei.

Gen. 1. 6. DIxit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & factum eſt ita: vocavitque Deus firmamentum Cœlum, & factus eſt manè & veſperè dies ſecundus.*

PUN-

PUNCTUM PRIMUM.

FIrmamentum est aër fusus inter cœlum & terram, cujus elementi miræ sunt utilitates: in eo stamus, & movemur, respirationem & vitam ducimus; per illum species rerum ad sensus deferuntur colorum, sonorum, odorum, & de cœlo lux transmittitur cum reliquo influxu planetarum: ibi coalescunt pluviæ, nives, ros: & venti, ne inferiora torpescant, atque marcescant, in omnem partem adspirant: igitur & propter hunc gratias agam Auctori, quoties respiro. Aëris elementū

Cæterum etsi est corpus tenuissimum, & maximè instabile, vocatur tamen firmamentum: quia constanter ac firmiter obit sua munia, & locum suum tenet, omnia replens, quocunque accessus datur, nec disjungi inter se corpora, vacuo intervallo, ullatenus sinens. Ergo assignatam stationem sibi immobiliter tuetur, non secus absque ipsi cœli, licet secundùm partes huc illúcque agitatus. Cur aër firmamētum?

PUNCTUM II.

Divisit aquas ab aquis: oportebat enim discooperiri terram propter germina, & nihilominus irrigari ad fœcunditatem: in hunc ergo finem super aëra coëgit nubes, seu locum nubium, quæ sunt aquæ supra firmamentum. Nubes. *Gen.* 1.

Nec id modo, sed nubes ipsas dispensat, & provocat, promovétque sicut placet ejus providentiæ. Nam apud Jobum de nubibus dicitur,

Iob. 37. 12. & c. 38. 28. Matt. 5. 45. tur, *Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Et quasi glorians ait : *Quis est pluviæ Pater, vel quis genuit stillas roris ?* O qui *pluis super justos* ne, quæso, ab anima mea subtrahas imbrem salutarem gratiæ tuæ.

Ps. 76. 13. Sapientiæ divinæ inventa. I. Heb. 11. 3.

Aliter etiam Deus est mirabilis in nubibus cœli, quod tantas moles sustinet suspensas : cúmque defluere sinit, guttarim demittit, ne obruant animantes, & terram eluvione destruant : utrumque Job deprædicat : *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.* Iob. 26. 8

II. Gen. 2. Gen. 2.

Præterea, nubes pro umbraculo sunt, excipientes lumen solis, & ardores à terra arcentes : unde illud : *Frumentum desiderant nubes, & nubes spargunt lumen suum :* reflectunt videlicet, ne feriar, aduràrque fruges. En quot, & quanta bona ab hujus diei opere. Iob. 37. 12.

1. Reg. 3. III.

PUNCTUM III.

Cur firmamentum cœlum.

FIrmamentum appellavit cœlum. 1. Nam aër aspectu similis est orbibus cœlestibus, ut nihil oculus distinguat. Est enim diaphanus pariter, & lucem astrorúmque influxus transmittit. Firmamentum hoc seu cœlum est anima justi, illustrata à Deo secundùm intellectum, firma & stabilis in bono per gratiam, licet conditione sua mobilis. In ea dividuntur aquæ, dum spiritus cœlestia petit, caro autem ei subjecta obe-

IV.

obedit: sed & hæc à spiritu irroratur, ut etiam *exultet in Deum vivum.* *Ps.* 83. 3.

At cur Deus opus hujus diei non approbavit, ut præcedentis? quia non illud hac die perfecit, sed sequenti, quoad aquarum divisionem: postera enim die congregavit aquas inferiores in certa loca, ut detegeretur terra. Nempe docet, non qui cœperit, sed *qui perseveraverit*, atque perfecerit laude dignum. *Matt.* 10. 22.

Aliqui putant, hac die peccasse Angelos, & separatos bonos fuisse supra firmamentum, à malis in abysso: de quibus apud Job: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* *Iob.* 26. 5 Atque in odium peccati illorum reticeri laudem hujus diei. Adde; quod hæc dies initium dedit disjunctioni diei à die, cùm sit secunda: Deus autem amat unitatem, atque concordiam.

MEDITATIO XXI.

De opere tertiæ diei.

PUNCTUM PRIMUM.

Gen. 1. 9.

Dixit Deus: congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida. In aquis maris paret omnipotentia Dei. 1. Enituit Omnipotentia. 1. Quod momento, aut imperceptibili tempore paruerunt aquæ voci Creatoris. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus*, nempe terræ: *Super montes stabunt aquæ*: nam & hos operiebant. *Ab increpatione tua fugient,* *Ps* 103. 6.

fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Et
1. quasi trepidæ festinato parebunt. 2. Quod quamvis naturali inclinatione appeterent superstare terræ, eâ postpositâ, recesserunt. O sic abnegare discam propriam voluntatem & propensionem! Et quando etiam ad humiliorem locum detrusus fuero, obsequar libenter.
1. Cor. 10. 3. *Non quæram*, cum Paulo, *quod mihi utile est, sed quod multis.* 3. Quòd ibi se continent, nec excedunt: *Circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos:*
Prov. 8. 29. Iob. 33. 10. de quo etiam gloriatur Deus apud Job: *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulva? Circumdedit illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi, hîc confringes tumentes fluctus tuos.*

Admirabor potentiam, & timebo, cùm di-
Ier. 5. 22 cat ipse: *Me non timebitis, & à facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum maris, &c.* Timebo offendere tantùm Dominum, & dolebo quod toties offenderim. Tu Domine, cor meum tanquam mare procellosum timore tuo, & protectione tua circumda & contine. Sperabo in te, quoniam sic potens es, & *mensus es*
Is. 40. 12 *pugillo aquas.*

PUNCTUM II.

Montes & valles 1. Ps. 10. 3. QVomodo terra jussu Dei aperit amplissimos sinus ad recipiendas aquas, & repentè montes vallésque existunt. *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem fundasti*

Ps. 76. 13. Sapientiæ divinæ inventa. I. Heb. 11. 3. II. Gen. 2. Gen. 2. 1. Reg. 3. III. IV.

ſi eis. Qui commovet terram de loco ſuo; & columnæ ejus concutiuntur? Quis non timeat à potentia Illius. At & fiduciam concipiam, quando is promittit: *Si habueritis fidem, dicetis monti huic: Tranſi illuc, & tranſibit; & nihil impoſſibile erit vobis.* *Iob. 9. 6.* *Mat. 17. 19.*

Illud quoque Omnipotentiæ: quod ſubitò terra ſiccata eſt, non per dies multos, ut poſt diluvium; nec immiſſo vento urente, ut mare rubrum, ſed nutu Dei. O exſiccet etiam in me humores pravarum cogitationum & affectionum, ne locum inveniat ille, qui *ſub umbra dormit, in ſecreto calami, & locis humentibus.* *Iob. 40. 16.*

Terra ſubitò ſiccata. 2.

Sed ita Deus aquas congregavit in maria, ut quaſi venas in terra ipſa aperuerit, per quas aquæ dulces commearent: unde fontium ac fluviorum varietas, vel ex ipſis rupibus prodeuntium. Nec temporariæ ſunt ſcaturigines, ſed perennes. Et cum flumina ex mari prodeant falſo, percolata dulceſcunt ad humanos uſus, qui multiplices ſunt ad rigandam terram, ad potum animalium, ad lavandum, ad temperandum æſtum, ad ſanandos morbos: quare benedicite Deo, maria, flumina, fontes, terra, montes, & colles. 3. Fontes.

Poſtremò terram ipſam ita diſpoſuit, ut pars eſſet pinguis, ad alendas, plantas & fruges; pars dureſceret in metalla, quorum varia foret utilitas: pro quo etiam gratias agam. 4.

Cur nihil de metallis

Verum hæc non ſunt recenſita, uti reliqui terræ fructus, quòd intra terram abdita ſint, & nolit Deus eorum nos cupiditate teneri: nam in cupidos dicetur: *Domine, à paucis de terra divide eos in vita eorum.* Hoc eſt, ne partem illi habeant cum electis tuis, qui ſunt pauci: quoniam inhiarunt & repleverunt ſe theſauris, quæ tu extra oculos poſueras, ne concupiſcerentur.

Pſ. 16. 14.

PUNCTUM III.

Plantæ. *Gen.* 1. 11.

UBi terra detecta fuit, placuit Deo, & dixit: *Germinet terra herbam virentem.* Noluit ornatum terræ differre in diem alterum: ſed poſtquam aquis quaſi veſtimento fuit nudata, noluit rudem relinquere, ſed ſuperveſtiri meliori veſte. Ita vult exuere nos veterem hominem, ut ſtatim novum nos induat: neque plantas ex nihilo creavit, ſed ex materia terræ produxit, quia vult nos cooperati ad juſtificationem noſtram. Sed quæ, & quomodo fecit ex terra? Multa, & mirabiliter. 1. Produxit innumerabiles ſpecies plantarum, herbarum, florum, nec quidvis ubiq;, ſed convenienter ad clima, cœlíque temperamentum. Sic omnia ſuaviter diſpoſuit. Unde etiam dona gratiæ attemperat naturis, ut ſuavius & conſtantius operentur homines. 2. Perfecit totum momento, per omnia terræ ſpatia, ſubitóque apparuit terra conveſtita pulcherrimè: unde ait: *Pulchritudo agri mecum eſt.* 3 Produxit jam perfecta, non per incrementa, quia ita decet Deum: unde arbores extitere ſubito adultæ, folijs,

Dei providentia ergacreaturas. 1. 2. Pſ. 49. 11. 3.

Pſ. 76. 13. Sapientiæ divinæ inventa. I. *Heb.* 11. 3. II. *Gen.* 2. 7 *Gen.* 2. 7 1. *Reg.* 2 3. III. IV.

lijs, fructibúsque decoræ. O, sic Domine, perfice me! *Facile est* enim *in oculis tui subito honestare pauperem.* 4. Talia fecit, unde nobis utilitates maximæ provenirent: nam & sunt, quæ singulos sensus oblectant, & vitam sustentant, & utraque non unius generis, sed multiplicia: quin ad curandos morbos virtutem indidit mirificam, & quæ carere fructu videntur, ut quædam arbores, habent usus necessarios ad ædificia, ad instrumenta varia conficienda, ad alendum ignem. Et quæ ipsi per se homini non sunt usui, serviunt brutis in commodum hominis: *Qui produxit fœnum jumentis, & herbam servituti hominum: omnia à te expectant, ut des illis escam, in tempore: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* 5. Ut commodum foret perpetuum, dedit plantis virtutem seminalem ad propagandum se.

Eccl. 11. 25.

Ps. 103. 14 27.

5.

Ergo his tot nominibus *Benedicam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.*

Ps. 115. 12.

PUNCTUM IV.

INter hæc *plantavit Paradisum voluptatis* hac ipsa die, in sedem peculiarem hominis, antequam ipsum conderet. 1. Is locus fuit in optima cœli temperie, & terræ qualitate, 2. Omnigenis consitus plantis ad omnem oblectationem & alimentum, ut carnium usus nunquam foret. 3. In medio erat lignum vitæ à morte & corruptione præservans, donec fuisset Deo visum transferre hominem ad statum immorta-

Gen. 2 8. Paradisi terrestris excellent.

1.

2.

3.

4. lem. 4. Interfluebat amœniſſimus fluvius, & ſaluberrimus ad potum, atque ad fœcundandam eam terram, qui mox in quatuor dividebatur, ad
5. vicinas circum oras irrigandas. 5. Fuit locus haud dubiè ampliſſimus, ad plurimorum incolatum, inſtar provinciæ alicujus. Gratus exiſtam, quia non Adæ ſoli, ſed mihi etiam Paradiſum hunc condidit Deus. Et quando inde ejectus ſum, adipiſcor pro eo cœleſtem. Illum amiſi, interveniente culpa originali, qua jam deleta per Baptiſmum, ſatagam ne proprijs actibus excidam à ſpe cœleſtis. Conſerva me Domine in Eccleſia tua, tanquam in Paradiſo deliciarum, & præbe fructum ligni vitæ in cibum, qno præſervatus, tandem aſſumar ad te, ubi vivis & regnas in æternum.

Pſ. 76. 13. Sapientiæ divinæ inventa.

I. Heb. 11. 3.

II. Gen. 2. 7 Gen. 2. 7

PUNCTUM V.

Omnes res bonę. Uſus malus.

I. Reg. 2 3.

III.

ET *vidit Deus, quòd eſſet bonum*, quidquid hac die fecerat. Bona ſunt, quæ Deus in alimentum hominis creavit: uſus autem aliquando malus eſſe poteſt: quando ſcilicet prohibetur, ut lignum ſcientiæ boni & mali, ad probationem obedientiæ, vel cùm ad alios fines, vel ab Eccleſia, vel ſponte interdicitur ad mortificationem carnis, vel cùm inordinatè rebus utimur. Alioqui omnis creatura bona eſt, & *nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Nam verbo divino approbatur, ut bonum, & oratione in ſumendo benedicitur.

1. Tim. 4. 4.

IV.

Inter

Inter alia spinæ & herbæ mortiferæ creatæ sunt; sed hæc etiam ipsa bona sunt, si non homini, alijs saltem animantibus, vel ob alios fines universi: quin ipsi homini conducunt pro antidotis, & tandem instrumenta sunt justitiæ divinæ, cui etiam serviunt res alioqui nobis utilissimæ, ut aqua, dum suffocat, ignis dum exurit. Quare, ut ait quidam, omnes creaturæ dicunt homini: *Accipe, redde, fuge.* Accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium: quasi dicat: si non ob beneficium, saltem ob supplicium bene utere.

MEDITATIO XXII.

De opere quartæ diei.

PUNCTUM PRIMUM.

Commoda ex sole.

QUòd creavit solem, luminare majus, in quo multa insunt miranda. 1. Magnitudo lucis, ut ad ejus ortum obfuscentur reliquæ stellæ, qui & fons lucis dicitur, quòd ab eo astra eam mutuentur. 1.

2. Lux ejus perpetua est & constans, absque ulla variatione: quod lunæ non convenit. 2.

3. Amplitudo corporis, ut sexies millies superet lunam, terram autem centies. 3.

4. Efficacitas, qua momento totum hemisphærium pervadit sua luce: motu vero diurno diem conficit, totam obiens illustránsque terram. 4.

5. Vis calefactiva, qua omnia gignit, & vivificat. 5.

6. Distinguit tempora, facit annum proprio motu, 6.

& in eo ſtatas temporum varietates, veris, æſtatis, autumni, hyemis. Obhæc vocatur *Vas admirabile, opus Excelſi*: per excellentiam *procedit ut ſponſus, exultat ut gigas ad currendam viam.* Eſt ſymbolum Divinitatis: quare dicitur: *In ſole poſuit Deus tabernaculum ſuum.* Et conveniunt Deo multò amplius prædictæ ſolis excellentiæ. Anima quoq; perfecta eſt quaſi ſol, *electa ut ſol* & radios fundit bonorum operum.

Eccl. 43. 2.
Pſ 18. 6.
Pſ. 76. 13.
Cant. 6. 9.

PUNCTUM II.

Sapientiæ divinæ inventa.

I. *Heb.* 11. 3.

II. *Gen.* 2. 7 *Gen.* 2. 7

Lunæ excellentia

ITem creavit lunam, luminare minus: cujus ſunt excellentiæ. 1. Magnitudo aſpectabilis, & pulchritudo ſingularis, cùm plena eſt à ſole, à quo ſuum lumen accipit, quod non intra ſe continet: ſed noctem pro ſole illuſtrat. 2. Æquabilis reſpectus ad ſolem, à quo pars ei objecta ſemper illuſtratur, *Craſcens mirabiliter in conſummatione*, ut ait Sapiens: hoc eſt, ſenſim deficiens, donec conſummetur ejus lux. 3. Vires habet magnas in mare, & corpora quas experimur. 4. Suo motu efficit menſes, varietates temporum inducit, & particulares effectus gignit.

1. *Reg.* 2 3.

III.

Eccl. 43. 8.

2.

3.

4.

Symbolum eſt animæ ſanctæ, de qua dicitur: *Pulchra ut Luna*: nam reſpicit ſemper ſolem juſtitiæ, & ab eo illuminatur, creſcit in conſummatione, dum proficit in cognitione propriæ obſcuritatis & vilitatis, uſque ad defectum luminis, nihil ſe habere de ſuo intelligens. Creſcit viciſſim in ſtudio virtutum, *uſque ad perfectam*

Cant. 6. 9.

Lux ſymbolum animæ ſanctæ.

IV.

Prov. 4 18.

cre-

lucem. O, decreſcam per veram humiliationem, creſcam autem: vadens de virtute in virtutem

PUNCTUM III.

CReavit etiam ſtellas in quibus mira ſunt. 1. Multitudo innumerabilis, unde pro magno dicitur de Deo, *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, qui admirabiliter eas diſpoſuit, tanquam aciem caſtrorum ordinatam. *Nec deficiunt*, ut ait Sapiens, *in vigiliis ſuis.* 2. Præſunt etiam nocti cum luna, ac mirificè cœlum ornant, *Species cœli gloria ſtellarum mundum illuminans in excelſis Dominus.* Præterea dirigunt navigantium curſum, & viarum duces ſunt. 3. Influunt in hæc inferiora, etſi nobis minus notæ ſunt illarum vires: De ijs dicitur: *in verbis Sancti ſtabunt ad judicium*, nempe paratæ ad agendum ſecundùm inditam ipſis à Deo vim, & præſcriptum: & alibi: *Vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus, & luxerunt ei cum jucunditate ejus qui fecit illas.*

1. Stellarũ excellentiæ. *Pſ.* 146. 4. *Eccl.* 43. 11. 2. *v.* 10. 3. *Bar.* 3.

Pro his gratias agam, & laudabo Deum. Porro *qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates*: quanto pulchrius erit cœlum empyreum à gloria Sanctorum: quam ibi ordinatiſſimè diſponentur ſecundùm merita cujuſcunque! Luceam nunc in Eccleſia militante, irem in vigiliis meis, ut illuc transferar aliquando.

Dan. 12. 3.

PUNCTUM IV.

De excellentia creaturis.

VIdit *Deus, quòd esset bonum.* Utique Domine, & eo usque bonum, & pulcherrimum est, ut aliqui pro dijs habuerint hasce creaturas. At *si horum specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generatoo omnia hæc constituit.* Igitur in hoc ipso errore disce, qualis quantúsque sit Deus in se, qui sic in effectis suis est admirabilis. Ama illum, qui istam pulchritudinem produxit ad obsequium tuum: nam monet Moyses: *Attende, ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & astra: & errore deceptus, adores ea, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.*

Ps. 76. 13. Sapientiæ divinæ inventa. I. *Heb. 11. 3.* II. *Gen. 2. 7* *Gen. 2. 7* *Sap. 13. 3.* *Deut. 4. 19.*

PUNCTUM V.

Creatio ignis. Ejus cõmoda.

ELementum quoque ignis non est omittendum, quod cœlis proximum est: sed à Moyse non commendatum, nec commemoratum, quòd non sit nobis conspicuum. Licet autem ignis ille ab inferiore differat: hujus hîc proprietates considerare opportunum fuerit, quòd Soli persimilis sit. 1. Vicem solis noctu supplet intra ipsa cubilia. 2. Pro sole per hyemem distante calefacit fovétque corpora. 3. Impertit se sine diminutione sui, cùm ignis ignem accendit. Plurima commoda præstat, tanquam quædam universalis causa: decoquit cibos, purgat

1. Reg. 2 3. III. IV.

gat metalla, absumit humiditates, emollit, liquátque dura, & plura alia præstat. ut deceat inde glorificare datorem.

Ergo *confitemini Domino, quoniam bonus,* Ps. 135.
qui fecit luminaria magna, solem in potestatem 17.
diei, lunam & stellas in potestatem noctis; quin & ignem, *ut luceret eis per noctem.*

Ignis est symbolum Divinitatis: ut in adventu Spiritus sancti consideratum fuit, & nunc in eo, quod supplet defectus creaturarum, ut dictum de igne, cùm humana desunt auxilia, & communicat seipsum liberaliter. *Accedite* Ps. 33. 6.
ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.

MEDITATIO XXIII.

De opere quintæ diei.

PUNCTUM PRIMUM.

PRoducant *aquæ reptile animæ viventis.* Ad Gen. 1.
hoc imperium repleta sunt maria & flumina 20.
piscibus supra numerum terrestrium, & volatilium animantium, figura specie diversissimis, magnitudine excedentibus quævis terrestria. Pisces.
Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic Ps. 103.
reptilia, quorum non est numerus, animalia pu- 25.
silla cum magnis: illic draco, quem formasti ad illudendum ei: & hæc ad usum & delicias hominis, & oblectationem in capiendis. *Ut præ-* Gen. 1.
esset, inquit, *piscibus maris*, & Noë dixit: *Omnes* 26.
pisces Cap. 9. 2.

piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & erunt vobis in cibum.

Atque ut beneficium eſſet perenne, benedixit illis dicens : *Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris.* Lauda potentiam atque providentiam.

Pſ. 76. 13. Sapientiæ divinæ inventa.

I. *Heb.* 11. 3.

II. *Gen.* 2. 7 *Gen.* 2. 7

PUNCTUM II.

Gen. 1. 26. Aves. Commoda.

ET aquæ producant volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli. Ex eadem materia, quâ piſces : ſed ſubtiliori, & magis aëreâ, ut aër etiam concurreret ad animantes, quarum ſedes erat. Agnoſce potentiam.

At providentiam ex commodis. Aliæ aves delicatè nutriunt nos, aliæ cantu demulcent, aliæ plumis ſuis ornant, aliæ docent, dum artificiosè nidos conſtruunt, provident pullis, tempora obſervant. Et Deus ipſe talibus ſe ſimilem facit, aquilæ *provocanti pullos ad volatum* : gallinæ *congreganti ſub alas.* Diſcere verò vult nos ex milvo agnoſcente tempus ſuum, & turture, hirundine, ciconia : *Populus autem meus non cognovit judicia Domini.* Utimur quibuſdam ad venandum alias, & ſagacitatem ab eis diſcimus. Apis verò qualis induſtria, quod regimen, quæ utilitates ?

Deut. 32. 11. *Matt.* 23. 37. *Ier.* 8. 7

1. *Reg.* 2 3.

III.

Gratias agam : imitabor aves pernicitate in divino ſervitio, volatu ad cœleſtia, & reliquâ induſtriâ.

IV.

PUN-

PUNCTUM III.

VIdit, *quòd bonum esset* : probavit Deus. 1. Convenit, ut simul aquæ, & aër replerentur, & ornarentur. quia sunt affinia : ita Deus benefacit conjunctis charitate. 2. Sed & significatur, quod ex regeneratis aquâ baptismi, alij in sæculo manent, alij cœlestem vitam amplectuntur : *Ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.* Duplex est vita, activa & contemplativa : priores sunt, ut Martha : qui turbantur circa plurima, ut qui in mari : posteriores, ut Magdalena, quæ partem optimam elegit : utrosque probat Deus, sed hos maximè : illi in salsis & amaris aquis manent, quia pœnitentiæ lachrymis opus habent assiduis : istorum etiam lachrymæ sunt aquæ dulces, ut ex quibus aves exciterunt : prius narratur de piscibus, quia in activa prius exerceri oportet, & Lia prior ducta fuit, quàm Rachel.

Documenta. 1. 2.

Benedixit eis, ut multiplicarentur : utraque vita gignit Christo filios, sed activa plures, uti & pisces, quàm aves, & Lia, quàm Rachel : sed hæc perfectos. Cupiam jungere utramque, ut & una die pisces & aves.

ME-

MEDITATIO XXIV.

De opere sextæ diei.

PUNCTUM PRIMUM.

Gen. 1. 24. 1. Animalia terrestria.

Dixit Deus: producat terra animam viventem. 1. post aquas & aërem, replevit terram animantibus ex ipsa similiter productis pro imperio, alia alijs potissimum locis, ut conveniebat naturis, ac de alimento convenienti providit illis, & quidem singulis. Quanta potentia, & providentia! 2. Tria recensetgenera; jumenta, sic dicta quod juvent hominem, ut sunt domestica; reptilia, à motu, bestias sylvestres, & feras. In quovis genere diversas species, & verò multas cum miris proprietatibus: de quibus gloriatur Deus apud Job, & de providentia circa illa, quanto ampliorem habeat hominis, propter quem illa! 3. Commoda ex eis multa, & magna percipit homo: nutritur, vestitur, calceatur, ornatur, juvatur, docetur: *Vade ad formicam, piger!* Gratias agam pro bono concesso ipsis animantibus, quæ nequeunt per se agnoscere Auctorem; & quia id est totum meum.

2. Tria genera.

Prov. 6. 6.

3. Commoda.

Iob. 38.

PUNCTUM II.

Etiam è nocivis.

Vidit quòd esset bonum, etiam reptilia, licet venenata; & bestiæ, licet noceant: nam ita subjecerat homini, ut nisi peccasset, lædi nequivisset. Et nunc justitiæ instrumenta: sed &

in

in ijs conspicitur providentia, dum non lædunt, nisi permissu Dei, ut significat Sapiens : *Creatura tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos : & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* *Sap.* 16. 24.

Deinde docent hominem, quid sequendum, aut fugiendum : *Estote prudentes sicut serpentes* : & à jumento dicimus subjici divinæ legi : *Vt jumentum factus sum apud te.* Contra verò vitare stoliditatem : *Homo cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus.* Et : *Nolite fieri sicut equus & mulus.* *Matt.* 10. 15. *Ps.* 72. 22. *Ps.* 48. 13. *Ps.* 31. 9.

PUNCTUM III.

CUr non benedixit terrestribus animalibus, sicut alijs. 1. Quia eadem die erat facturus hominem, eique benedicturus : & in homine etiam istis, ut quæ cum homine in terra habitarent. 2. Quia benedictio istorum pendebat ex justitia hominis. Quare Iudæis promisit multiplicationem utilium animalium, si legem custodirent ; aut contra fore, ut deficerent ; feræ autem, & venenata augerentur. Attamen ibidem similiter de fructibus terræ loquitur, & aliæ etiam animantes possunt ad præmium & pœnam pariter cedere. Non benedixit animal. terrestr. 1. 2. *Deut.* 28. 1. c. 32. 23.

Intelligam quòd passiones brutales in homine invalescunt, cùm secundùm voluntatem rationalem ipse non est subjectus Deo : contra verò debilitantur, & cicurantur, obsequentesque

téſque fiunt rationi, cùm Deo homo ſubjacet; adeò, ut etiam juvent ad virtutem, & *caro* ipſa
Pſ.83.3. *exultet in Deum vivum.*

MEDITATIO XXV.

De creatione hominis.

PUNCTUM PRIMUM.

Creatio hominis

EAdem die cum beſtijs creavit hominem, ut commonefaceret humilitatis, dum conſiderat ſe cum illis participare naturam animalem & ſenſitivam.

Deus in creatione viventium cœpit ab imperfectioribus, & ſenſim ad perfectiora progreſſus eſt: quo monemur profectus quotidiani in virtutibus, & ut cantemus Deo quotidie canticum novum, ex novo profectu.

Poſtremò creavit hominem, ut perfectiſſimum, & in quo omnem naturam copulabat, & cujus causâ erant cætera, ac ita, ut ſtatim eis frui poſſit, veniens ad habitationem plenè inſtructam.

PUNCTUM II.

Myſteria. 1.

ALiter in creatione hominis loquitur Deus, 1. non ait; Fiat, aut, *producat terra*: quòd homo ſecundùm animam non fieret ex aliquo, ſed à ſolo Deo ex nihilo: quo monemur, ut & ipſum ſuper omnia diligamus, à quo ſolo ſumus. O Deus! *perfice vineam* hanc, animam iſtam, *quam plantavit dextera tua.* 2. ait *facia-*
Pſ.79.15.

ciamus, ad insinuandum mysterium divinarum personarum, quarum imaginem refert homo, ut quasi deliberarent decreando homine, quem præviderent fore ingratum, & tanto reparandum opere. Et tamen concludunt: *Faciamus.* Quid tibi retribuam! 3. Monemur omnia cum consilio agere, præsertim gravia: *Fili, sine consilio nihil facias: & post factum non pœnitebis.* *Eccl.* 32. 24. *Consiliarius autem sit tibi unus de mille*: Deus potissimum. *Consilium meum justificationes tuæ.* *Eccl.* 6 6 *Ps.* 116. 24. Secundùm has consilia captanda. 4. 4. Insinuat, se facere hominem tanquam capacem consortij cum Deo ipso, & amicitiæ illius: nempè *deliciæ* ejus ab initio fuerunt *esse cum filijs hominum.* *Eccl* 6. 6 *Prov.* 8. 31.

PUNCTUM III.

EXcellentiæ sex, secundùm quas anima hominis est imago Dei. 1. Deus est Spiritus, & ita invisibilis, & indivisibilis: proinde totus in quavis rei parte: & dat esse, vitam & motum rebus. Sic anima nostra invisibilis est, & indivisibiliter existens in quavis corporis parte: dans singulis vitam, & operationem, pro cujusque partis exigentia. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem revertentur.* Gratias ago, quòd talem mihi dederis, ut adorem te in spiritu, & veritate. Da, ut etiam *spiritu facta carnis mortificem.* 2. Quòd sit immortalis, ut à corpore non pendeat vita ejus: & eo pereunte spiritus redeat ad Deum qui fecit illum, Excellentiæ. 1. *Ps.* 103. 29. *Rom.* 8. 13. 2.

lum, à quo recipit locum pro meritis. O Domine, qui mihi dedisti spiritum immortalem secundùm naturam, da etiam secundùm gratiam, quæ est vita beata! Porro Deus est immortalis per suam essentiam, homo per participationem, ac ita ex voluntate Dei pendet. *Soli Deo immortali & invisibili honor & gloria.* 3. Anima refert Trinitatem, quòd una existens, habeat tres potentias, intelligendi, memorandi quæ intellexerit, & volendi. Et sicut Pater intelligendo producit Verbum, & amando cum Filio producit Spiritum S. ita anima format verbum ipsius Dei, & amorem spirat in illum.

4. 4. Prædita est libertate, quod sequitur ex præ-
5. cedenti, ut à nemine cogi queat. 5. Est capax
6. sapientiæ & gratiæ, ut à solo Deo expleri possit. 6. Habet dominium in omnia visibilia, & est finis proximus illorum: nam & compentio continet in se totum mundum, ut Deus eminentissimè, omnia possibilia. Hæc est dignitas hominis. Cujus est imago hæc? si Dei, redde eam Deo. Agnosce homo dignitatem tuam.

PUNCTUM IV.

Iustitia originalis.

QUòd Deus creavit hominem ad similitudinem suam, secundùm gratiam & dona spiritualia. Unde dicitur: quod *Deus fecerit hominem rectum.* Nam opera Dei sunt perfecta. Cùm ergo homo capax esset supernaturalis similitudinis cum Deo, conveniebat ut talis

Eccl. 7. 30.

con-

conderetur. Accepit autem perfectam. 1. Quia anima perfectè subdebatur Deo, per gratiam. 2. Quia dominabatur appetitui per justitiam originalem, ut nullam sentiret rebellionem. 3. In ipsum corpus redundabat immortalitas, quâ posset non mori, nec mortuus fuisset homo, nisi Adam peccasset. Hæc data primis parentibus: at & mihi, & omnibus in illis, ex divina dispositione, si Adam perstitisset: quare, ut pro acceptis, seu mihi exhibitis gratias agam. 1. 2. 3.

PUNCTUM V.

QUòd Deus fecit hominem aliarum rerum dominum. Quam dignitatem miratur David: *Quid est homo, quòd memor es ejus? omnia subjeciisti sub pedibus ejus:* unde eis uti potest pro libitu, & mactare pro usu, vel ad voluptatem. *Dominamini*, inquit, *piscibus maris, &c.* quare etiam adduxit ea ad Adam, velut ad homagium ei præstandum, & ut nomina imponeret. Dominium in omnia. *Ps.* 8. 5.

Post peccatum etiam jus habet utendi & industriam à Deo accepit, ut sibi subiiciat, etiam feras, ut ait S. Iacobus. *Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & reliquorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Utinam & passiones bestiales ego domarem, in animalibus significatas; in piscibus concupiscentiam carnalem, in volatilibus ambitionem & superbiam; in serpentibus cupiditatem terrenorum; in feris & bestiis iram & vindictæ appeti- *Iac.* 3. 7.

tum. Una est *lingua*, quam *nemo domare potest*, ut idem subiicit Apostolus.

MEDITATIO XXVI.

De formatione corporis Adæ, & inspiratione animæ.

PUNCTUM PRIMUM.

Corpus formatũ ante animam.

QUòd Deus voluit seorsim narrari formationem corporis, & quidem prius quàm animæ infusionem: nempe, ut intelligeretur, cùm reliquæ animantes ex terra sint secundùm animam & corpus, hominem non nisi secundùm corpus. Non creavit autem ex nihilo, sed *formavit ex limo*, ut intelligeret fragilitatem suam, & quòd ex se mortalis sit.

4. 5. 6.

Hic. 1 Humiliabitur, sibimet dicens: *quid superbis terra & cinis?* 2. Non obloquetur Deo, quidquid sibi eveniat: *Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quid me feciſti sic.* 3. Confidet: *Et Nunc, Domine Pater noster es tu; nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris Domine satis.* 4. Resignabit se Deo, *Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus.* 5. Cogitabit vas istud confringi per peccatum, & in suum redigi pulverem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Documenta.
Eccl. 10. 9.
Rom. 9. 20.
Isa. 64. 8.
Jere. 18. 6.
Gen. 3. 19.

PUNCTUM II.

Iustitia originalis.
Eccl. 7. 30.

Corporis

OMnipotentia Dei in corpore humano formando

mando ex tam rudi, vilíque materia. 1. Quia tot & tam diversis partibus tamque delicatis constat, & coaluerunt omnes momento: *Domine, omnia ossa mea dicent: Quis similis tibi?* Eadem membra in utero formantur ex vili quoque materia, sed per intervallum; à Deo tamen, ut mater Machabæorum professa est: *Non ego membra compegi: sed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem.* 2. Quòd tam pulchrum corpus, & complexionis tam eximiæ in justam magnitudinem subito eduxerit, cùm aliàs per triginta annorum incrementa perfici soleat. 3. Quòd figura erectum, & spectans in cœlum, quo mens & cor sustolli debent. At sunt, quos alligavit Sathan ut mulierem illam, quam Dominus soluit, & inclinati ad terram incedunt, nec possunt sursum respicere. 4. Quòd tametsi ob perfectam complexionem corpus formatũ est nudum, & inerme, cùm reliqua animalia vestita, & instructa ad sui defensionem ferè sint à natura; tamen defectum hunc omnem supplet industria, quâ pollet homo, ad se contegendum muniendúmque.

excellentiæ. 1. *Psal.* 34. 10. 3. *Mach.* 7. 22. 2. 3. *Luc.* 13. 16. 4.

PUNCTUM III.

ET *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ:* quo inprimis significatur, animam hominis non esse ex terra, ut corpus, vel ex alia quapiam re productam, sed creatam à Deo ex nihilo, atque ex præcordiis Dei procedere, ex amore singulari, & per os ejus, quod de sapientia divina

Gen. 2. 7. Anima ex nihilo.

Eccl. 24 vina dicitur: *Ex ore Altissimi prodii*, nempe quòd anima sit imago Dei ut ipsa sapientia sed hæc increata, & consubstantialis. Tanta est animæ nostræ nobilitas, de qua gloriari oporteat, non de prosapia majorum &, glorificare largitorem, & illuc contendere, unde exivit, nempe ad Deum, in eoque esse per charitatem.

Animam vocat *spiraculum vitæ*, quia inspirata corpori, facit illud vivere, & respirare, quod est signum vitæ. *In faciem* autem inspiravit, quia in ea vigent præcipui sensus, & ipsa respiratio, quibus maximè vita constat. Igitur quoties respiro, suspirabo ad illum, qui respirationem dat mihi. Nam sicut corpus absque animæ spiraculo non potest vivere: ita nec anima mea, nisi Deo illam conservante, & quasi semper spirante.

4.
5.

6.

Vita gratiæ.

Cogita etiam esse aliam vitam spiritualem gratiæ, quam similiter inspirat Deus, & fortè ideo in Hebræo dicitur: *quod inspiravit spiraculum vitarum:* hoc est vitæ naturalis & gratiæ: nam primus homo accepit simul ambas, creatus in gratia. Quanquam & naturalis vita est multiplex, vegetans, sentiens, & rationalis. Ad significandam inspirationem vitæ gratiæ, Christus dedit *Spiritum sanctum per insufflationem*: Nam Spiritus Sanctus Sanctificator animarum procedit à Patre per os Filii, tanquam divinus flatus. O hunc, Deus, assiduè mihi affla, ut hac vita vivam!

Iustitia originalis.

Eccl. 7. 30.

Ioa. 20. 22.

PUN-

PUNCTUM IV.

QUis ſenſus Adæ, ubi ſe primum, & creata circumſpexit, cœlos, ſolem, aſtra, & conveſtitam terram amœnitate admirabili, ubi in Paradiſum inductus, ubi animalia ad eum adducta, quibus & nomina dedit? Et acceperat divinitus ſcientiam, qua æſtimare poſſet donorum magnitudinem? O quid erit in cœleſtem illum Paradiſum introduci, & tanto meliorem mundum ſpectare!

PUNCTUM V.

CUm aves, & terreſtria animalia Deus creaverit in utroque ſexu: hominem non item, ſed virum tantum. 1. Quòd homo creabatur, ut Deo vacaret, non generationi: etſi id tunc erat neceſſarium ad propagationem, ſed quaſi per accidens. Unde & in ſopore ex ejus latere Eva eſt producta: quòd conjugium non debet impedire ſtudium orationis: *Et qui habent uxores ſint tanquam non habentes.* 2. Ad fovendam inter nos charitatem: quòd ex uno omnes, ex uno Patre in cœlo, & ex uno Patre in terris. Unde Malachias: *Nunquid non unus Pater omnium noſtrum? Nunquid non unus Deus creavit nos? quare ergo deſpicit unuſquiſque fratrem ſuum.* 3. Significatur unus Pater in eſſe gratiæ, Chriſtus Dominus Pater futuri ſæculi: ex hujus latere ſopiti, in cruce formata eſt Eccleſia, dum ſanguis & aqua fluxit in Lavacrum regenerationis,

Creatio viriprior. 1.

2. 1. *Cor.* 29.

Mal. 2. 10.

3.

Eph. 5. 27. quo illa ædificatur, & efficitur: *Sine ruga & macula*, ex quo capite tanto plus ad mutuum amorem excitari debemus.

MEDITATIO XXVII.

De approbatione totius operis, ac de Sabbato.

PUNCTUM PRIMUM.

Reflexio Dei super opera sua.

POst opera singula, *Vidit Deus quòd essent bona:* in fine autem reflectens se super omnia, vidit: *quòd essent valde bona*, nempe unaquæque res in se bona fuit; & in ordine ad perficiendum mundum, quia ex illis constat, valde bona.

Solus Deus potest ita loqui de omnibus suis operibus: tum etiam Christus, qui peccare non potuit, quòd esset Deus: de quo dicitur: *Bene omnia fecit*: & B. Virgo, quæ non peccavit ex singulari privilegio. Alii quantumvis justi: *in multis offendimus omnes.* Debemus omnes nostra examinare, primò singula, ubi aliquid perfecimus: deinde ad vesperam, quæ per diem: tertiò in fine hebdomadæ pro confessione: quartò quotannis, pro generali: demum in fine vitæ, ut *Princeps hujus mundi* in nobis, quòd suum sit, *inveniat nihil.*

Marc. 7. 37.

Isa. 3. 2.

Isa. 14. 30.

PUNCTUM II.

Benedictio diei septimæ.

Die septimo requievit ab omni opere, quod patrarat. Non quasi non posset plura facere,

re-

re, sed quia jam istud perfectum erat. Nec requievit in ipsis creaturis, unde nihil accepit; sed in seipso gaudens, quòd expleviſſet æternum suum consilium creandi mundum. Sic ego in Deo, non in creaturis quietem ponam. Lætari licet de illis: nam & *Lætatur Deus in operibus suis.* Et *delectasti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Sed non requiescere in illis, verum ad Deum referre. *Requievit Deus*, non quasi laborasset: sic mihi ne sit labori, propter Deum operari. *Et benedixit diei septimo* Dei est benedicere, benefacere Cessavit à creando, sed non à conservando, & gubernando, quod fecerat: sed ex tunc usque modo semper operatur, quæ est nova benedictio. Creaturæ quoque ipsæ secundùm acceptam virtutem deinceps operari cœperunt, atque ad fines suos tendere: neque enim conditæ sunt, ut cessarent, ac inprimis homo ipse, cui præcipuè sanctificatus est dies Sabbati, ut moneretur æternæ quietis, & sabbatismi, quò aspirare deberet.

Psl. 13. 31
Psl. 91. 5.

PUNCTUM III.

PRæcipit Deus Iudeis: *Memento ut diem Sabbati sanctifices* idque ad memoriam beneficii creationis. Huic succeſſit dies dominicus in memoriam renovationis, quam sua redemptione Christus perfecit, & illius quam speramus in resurrectione corporum, & gloria cœlesti. Porro sanctificatur dies dominicus. 1. Abstinendo à pec-

Exod. 20. 10.

Mysterium cessationis ab omni opere.

peccatis, quæ sunt opera maximè servilia. Nam, *Qui facit peccatum, servus est peccati:* nec major potest esse ingratitudo, quàm tunc offendere Deum, cùm recolenda est memoria illius beneficiorum. 2. Meditando acceptum beneficium per exercitium orationis. 3. Laudando Deum etiam voce: quod fit in Ecclesia, quo convenire oportet, *Cantantes in cordibus nostris, & gratias agentes Deo, & Patri misericordiarum per Christum.* 4. Offerendo sacrificium, quod fit ad cultum Dei in gratiarum actionem, & ad impetranda beneficia. Offerre autem cum Sacerdote quisque debet, jungendo intentionem suam & preces, ut acceptabile fiat Deo sacrificium, nobisque salutare. Addi etiam debet sacrificium spiritus contribulati, & cordis contriti, necnon sacrificium justitiæ, & bonorum operum, quia non sufficit cessare à servilibus, nisi adjiciamus bona.

Ioan. 8. 35.

Coloss. 3. 16.

4.

Quando nos ita sanctificamus diem, vicissim Deus benedicet illi diei, replens nos benedictionibus cœlestibus, ac etiam temporalibus. Ergo *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: Recole accepta, adspira ad futura.

Ps. 114. 7.

ME-

MEDITATIO XXVIII.

De conservatione rerum, & dependentia à Deo.

PUNCTUM PRIMUM.

Omnia pendent à Deo

OMnia pendent à Deo in conservatione sui esse, quæ est quasi continuata quædam creatio: sicut lumen in aëre, sole subtrahente concursum, statim perit: ita &c. Hoc est, quod Paulus ait: *Portans omnia verbo virtutis suæ.* *Heb.* 1. 3. Et Isaias: *Conservata sunt, & nunc creata sunt, & non ex tunc.* *Is.* 48. 6.

Hinc *fiduciam* concipiam ex Deo, ut ille: *Nos in omnipotente Deo confidemus, qui potest & venientes adversus nos, & universum mundum uno nutu delere.* 2. *Mac.* 8. 18.

Item *timorem* à tam potenti, cùm justus sit. *Corripe me, Domine, veruntamen in judicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* *Ier.* 10. 24. Quomodo timerem offendere eum, qui me tribus digitis appensum teneret in sublimi.

Item affectum concipiam *humilitatis*: cùm ex me non subsistam, nisi qua sustentor, & simul *charitatis* erga sustinentem me.

PUNCTUM II.

Beneficia ex conservatione

AD conservationem etiam hominis concurrunt omnia à Deo creata, cœli, astra, motores, elementa & tot alia: unde cibus, & quæcunque faciunt ad conservationem hominis,

quod in particulari applicabo ad quaſvis res, quibus utor pro ſuſtentatione, & commodo, quæ licet exiguæ, non extant tamen abſque multis cauſis, tum particularibus, tum univerſalibus, à cœlo, &c.

Item quòd Deus nunquã aliquid in nihilum redigit, ſed ex uno aliud exiſtere facit; nec peccatores & dæmones ipſos: quamvis aliquando dixerit: *Pœnitet me feciſſe hominem.*

Gen. 6.7

Item quòd multa nos latent beneficia Dei, pro conſervatione noſtra, avertendo pericula mille: nec eſt malum, quod aliquis patitur quin ego ſimiliter poſſem: latere autem ea vult, ut doceamur benefacere, non quæſitâ laude.

PUNCTUM III.

Actioñes rerum à Deo pendent.

QVòd res omnes pendent à Deo, non in eſſe tantùm conſervando, ſed ut operari poſſint: Ubi admiranda omnipotentia, quæ aſſiſtit omnibus in operando ac ſi uni tantùm. Applicabo mihi, diſcurrendo per ſingulas operationes meas. *Omnia opera noſtra operatus eſt Dominus in nobis.* Et, *Pater meus uſque modo operatur.* Et hæc aſſiſtentia eſt infallibilis, niſi quando ſe ſubtrahat ad gloriam ſuam manifeſtandam: ut cùm *Ignis non combuſſit tres pueros in fornace*: & concurrit ad ipſaſmet actiones, quibus ineſt culpa, ne deroget humanæ libertati. O, ego non abutar tuo concurſu ad malum!

Iſ. 26. 12
Ioan. 5. 17.
Dan. 3. 50.

lum! ac siquidem *in te movemur & sumus*: quod, ago, & sum, tibi serviat. *Act.* 17. 28.

Hinc humiliabor, quòd nihil plane agere ex me possum. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*, Et: *sine me nihil potestis facere.* Ut homo non glorietur: *Nunquid potest gloriari securis contra eum qui secat in ea? Ergo humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* 2. *Cor.* 3. 5. *Ioan.* 15. 5. *Is.* 10. 15 1. *Pet.* 5. 6.

MEDITATIO XXIX.

Quid sit providentia, & quæ bona ex ea proveniant.

PUNCTUM PRIMUM.

PRovidentia est dispositio mediorum per quæ fines suos consequantur res creatæ, ac præsertim homo. Ubi 1. considerandum, in Deo ex parte intellectus inesse illi perfectam notitiam finium, & mediorum, nec non & impedimentorum, quæ objici possunt, & qua ratione eis occurrendum. Unde ex ignoratione non potest falli divina providentia, sicuti potest humana. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ.* 2. Ex parte voluntatis, quæ est summè bona, voluit rebus præfigere excellentissimum finem, qualis est manifestatio suæ gloriæ; sed præterea singulis rebus proprium & accommodatum, cum opportunis mediis: Quid providentia? 1. *Sap.* 9. 14. 2.

dijs: homini autem, ut Angelis claram sui visionem, qui finis supra naturam est. 3. Ex parte potentiæ nihil Deo deest ad præstandum, quod ordinavit: Quare providentia utitur his tribus: *Sapientia, Bonitate, Potentia*; Quibus tanquam tribus digitis sustinet mundum.

3.

1. *Pet.* 5. 7.

Hæc ad me applicabo, atque ita, *Omnem sollicitudinem projiciam in ipsum, quia ipsi est cura de me*: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, ipse mea curabit, ego quæ illius sunt.

Cant. 2. 16

PUNCTUM II.

Bona providentia Dei.

QVòd divina providentia est mihi omnia; dat esse ut mater; gestat ulnis ut nutrix; instruit, ut pædagogus, & ut magister; consiliarius, rector, amicus, medicus, judex, pastor: & quæcunque officiorum genera cogitari possunt, ex charitate & misericordia provenientia, mihi præstat. Ab eadem proficiscitur quidquid animæ & corpori boni obvenit: mala autem avertit, vel ex eis eripit.

PUNCTUM III.

Curam gerit suorum.

PRovidentia Dei. 1. Tota est circa creaturas, non etiam circa se, cùm nihil aliunde accipiat. 2. Est circa singula vel minutissima. *Pusillum & magnum ipse facit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Unde confidam. 3. Per se exequitur etiam providentiam, quia etsi utitur ministerio, tamen ipse adest omnibus, & sine illo nihil

Sap. 6. 8.

nihil fit, etiam ex liberis. 4. Nihil casu evenit respectu providentiæ divinæ.

MEDITATIO XXX.

De providentia in gubernatione mundi.

PUNCTUM PRIMUM.

PRovidentia in creatione mundi recolenda: antequam ipsum hominem conderet, ædificavit prius illi domum. In creatione mundi.

PUNCTUM II.

QVi creavit, idem gubernat. *Quem constituit alium super terram?* ait Job, & Sapiens. *Tua, pater, providentia gubernat* à principio omnia. Communicat tamen partem aliquam cum creaturis: quare, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: ipse autem ut supremus gubernator dirigit illos ipsos ministros suos. Gubernat. *Iob.* 34. 13. *Sap.* 14. 3 *Rom.* 13. 2.

PUNCTUM III.

EXcellenter gubernat, 1. Ut pater: & ita suaviter dans rebus propensionem ad fines, ad quos eas dirigit. Unde homini indidit ad virtutem inclinationem, cúmque ab appetitu retardari posset, ideo cum justitia originali eum creavit. 2. Efficaciter: ut facere possit, ut velimus, quod ipse vult, salva libertate. 3. Iuste: cùm alioqui 1. Excellentia gubernationis

alioqui sit Dominus absolutus, & quidvis possit de creatura: hinc supplicia & præmia proponit, & reddit pro merito. 4. Utiliter impertit participationem suæ bonitatis, conservat, promovet ad profectum. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Imitentur, qui regunt, has proprietates providentiæ circa suos.

4. *Ps.* 21. 1

PUNCTUM VI.

Universalis. *Luc.* 21. 18. *Matt.* 10. 30.

EXtenditur ad omnes creaturas, à supremo Angelo ad vermiculum. *Numerati sunt capilli, nec unus perit, neque folium sine voluntate Dei.*

MEDITATIO XXXI.

De providentia in victu, cultu, & bonis fortunæ.

Sumitur hæc Meditatio ex verbis Christi. Matth. 6. Luc. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

Matt. 2. 6. Nimia sollicitudo.

NE solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: Quæ sollicitudo reprehenditur. 1. De superfluis ad vitam, vel statum. 2. Si non in tempore. 3. Si malo modo cum jactura spiritualium, aut præ illis, aut per media illicita, aut ob malos fines, aut si in eis constituitur finis. 4. Si anxia & cum turba-

turbatione, ut Marthæ : quia est signum inordinati affectus ad rem, & parum fiduciæ erga providentiam Dei. Examinabo me de his, ne sim, ut cui dicitur : *Stulte! hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti cujus erunt?* Luc. 12. 20. Sequar illud : *Omnem sollicitudinem projicientes in Deum, quia ipsi est cura de vobis* : non tamen reprehenditur debita diligentia in providendo, quæ careat prædictis vitijs. 1. Pet. 5. 7.

PUNCTUM II.

RAtio redditur à Christo : *Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?* tria insunt. 1. Quòd præstat anima escæ, corpus vestimento, quibus continentur omnia ad vitam & cultum. 2. Quòd sicut ex Deo habemus animam & corpus, ita ex ejus dispositione venit, quòd egeamus esca, & veste. 3. Quòd qui dedit illa, dabit ista, ac proinde ei fidendum. Collige hinc, quod esca & cultu utendum, quatenus non obsint potioribus, sicut ait Paulus : *Noli propter escam destruere opus Dei* : Et, *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Item, collige universè, quando præbet Deus aliquod insigne donum, daturum etiam quæ illuc spectant. Sic Paulus : *Qui Filium suum tradidit, quomodo non omnia cum illo?* sic, qui ad perfectionem vocavit, dabit media : & qui seipsum in Sacramento ad alimentum, etiam corporalem cibum. Matt. 6. 26. Pro anima sollicitum esse. Rom. 14. 20. Matt. 16. 26. Rom. 8. 32.

Item

Item collige, quòd siquidem de cibo & amictu Deus providet, etiam curam gerit eorum, unde ista nobis proveniunt, agrorum, pecorum, &c. nec non pluviæ, venti, & influxuum, unde illa pendent. Itaque ut propriam rem Deus curat.

PUNCTUM III.

Ratio à cura animaliũ *Matt.* 6. 26. *Luc.* 12. 7. *Iob.* 38. 41.

ALtera ratio ab exemplo animalium. *Respicite volatilia cœli, & considerate corvos: quia non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis?* De corvis Job: *Qui præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibum:* & tamen illi non sunt filij, sicut vos: & sunt tanto viliores. Deinde aves non serunt, neque metunt: & tamen habent. *Aquila contemplatur escam, & pulli ejus lambunt sanguinem,* quo nutriuntur: hirundines per aëra pinguescunt. Depone ergo anxietatem.

Iob. 39. 29.

Ps. 144. 15. *Ps.* 103. 21. *Ps.* 54. 23.

Pariter nutrit. *Tu das escam illorum in tempore opportuno. Qui das jumentis escam ipsorum: catuli leonum ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi,* Ergo *jacta super Dominum curam tuam: & ipse te enutriet.*

PUNCTUM IV.

A statura. *Matt.* 6. 27. *Luc.* 12. 26.

QVis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam? *Si ergo nec quod minimum est, potestis, quid de cæteris solliciti estis?* Statura quique decreta

decreta est à Deo, & succrescit, ipso nihil agente: Quidni det nutrimentum ad eam necessarium? & dat sæpe modis occultis: ut magis advertamus ejus providentiam. Item ait: sicut frustra est sollicitudo pro statura; ita pro esca, si Deus non provideat. Frustra ergo angeris. Hinc etiam collige, quemcunque contentum esse debere etiam statura, & alijs corporis qualitatibus, uti à Deo. *Ipse fecit nos & non ipsi nos.* *Ps.* 99. 2

PUNCTUM V.

DE vestimento quid solliciti estis? Omnia viventia vestivit Deus, pisces squammis, aves plumis, pecora lanis, aut dura cute, plantas etiam cortice. Hominem autem vestivit justitia originali; qua tutus erat, & nihil indecori inde patiebatur. Hac exutus per culpam cùm esset, providit de pellibus, docuítque modum se vestiendi: adeò non deseruit hominem providentia, quamvis glorioſam stolam abjecisset. A floribus. *Matt.* 6. 28.

Considerate lilia agri: nec Salomon sic fuit coopertus in omni gloria sua. Non ex animalibus sumpsit exemplum, sed ex floribus, qui sunt ornatissimi. 1. Ut indicaret, non ad necessitatem tantùm, sed etiam ad splendorem providere de vestimentis. 2. Quod si rem mox interituram sic ornat, quanto magis tibi providebit? *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur.* Potest referri ad reprobos

mox perituros quos non destituit providentia sua: quomodo Electos?

PUNCTUM VI.

Matt. 6. 31. *Luc.* 12. 29. NOlite solliciti esse dicentes? *quid manducabimus*? toties abducit à superflua sollicitudine, tanti id facit. Lucas addit: *Et nolite in sublime tolli.* 1. Vetat sollicitudinem de excellentia nominis, honoris, dignitatum. Ne de talibus inflemur, si obveniant, Deo largiente. 3. Ne supra nostram parvitatem elevari optemus, aut procuremus. 4 Ne in astra cœli curiosè intenti, inde speremus? sed à Deo, *in cujus manu sunt sortes nostræ*, & qui eas temperat. 5. Ne velut absorpti præ sollicitudine incedamus. 6. Ne quasi vices Dei nobis arrogantes, ac si nostra cura assequi possimus sine Deo.

Ps. 30. 16.

Addit duas rationes. 1. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*, qui providentiam negant, dicentes: *Quid enim novit Deus? nec nostra considerat*: vel etiam carnales, qui facto ipso dicunt. *Quomodo scit Deus.* 2. *Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Scit, est Pater, & potest. Hæc basis fiduciæ, quod si secus acciderit, quam opto: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit*: dum reputat ex providentia divina venire.

Iob. 22. 13. *Ps.* 72. 11. *Luc.* 12. 30.

Prov. 12. 21.

PUNCTUM VII.

Quære primò regnum Dei. *Matt.* 6. 33. QVærite ergo *primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ordo servandus, ut promereamur Deo curæ esse.

esse. *Primùm*: Hæc prima cura & præcipua, & cujus causâ curæ cæteræ. *Quærite*: non ait: solliciti estote: quia & in hoc vitanda anxietas ex diffidentia.

Regnum Dei, cœleste & æternum, ubi cum Deo regnetis; sed & ut ipse modo regnet, longè latéque in hominibus, & in te.

Et justitiam ejus: quia hæc est medium absolutè necessarium, perveniendi ad regnum.

Et hæc omia adjicientur vobis: promissio est terra. At *divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono.* Quod si defectum patiantur, certo credant ita eis expedire. *Ps.* 33 11.

Non ait, *Quærite regnum Dei*, & postea hæc alia, quia nec tunc vult sollicitè quæri, sed *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint,* nec ait, dabuntur vobis, sed *adjicientur*, ut auctuarium, non, ut præmium. 1. *Cor.* 7. 31.

PUNCTUM VIII.

EXtra ordinem etiam Deus providet de talibus, ad testandam suam curam. Filijs Israël *pluit manna* 40. annis, *petra* potum dedit, *vestimenta & calceamenta non sunt consumpta.* Eliam aluit manè & vesperi, *Carnes & panes per corvum* suppeditando, alioqui voracissimum, sic peccatores, alioqui cupidi, Deo agente, nutriant servos Dei. Cætera adjecit. *Exod.* 16. 31. *c.* 17. 6. *Deut.* 29. 5. 3. *Reg.* 17. 6.

Elias per pauperem viduam, cui nihil erat, nutritus est: sed locupletavit eam, ut posset *Ibidem.*

alere servum suum. Providet suppeditando piis, unde alant servos Dei.

Item per Angelos. Sic Eliæ fugienti apposuit Angelus panem, & aquam. Et alius portavit Habacuc in Babyloniam ad Danielem cum prandio. Tres hi modi singularis providentiæ.

Ratio cura animal *Matt.* 6. 26. *Luc.* 12. 7. *Iob.* 38. 41.

Iob. 39. 29.

Ps. 144. 15. *Ps.* 103. 21. *Ps.* 54. 23.

A statura. *Matt.* 6. 27. *Luc.* 12. 26.

MEDITATIO XXXII.

De providentia Dei in adversis & malis, tum culpæ, tum pœnæ.

PUNCTUM PRIMUM.

Adversa cur obveniant.

OMnia mala tum culpæ, tum pœnæ cadunt sub divinam providentiam, quæ novit ex omnibus elicere bonum, præsertim triplex. 1. Manifestat Deus suam excellentiam in subveniendo malis. 2. Conservatio mundi id fert, quæ ex vicissitudine pendet, dum alia corrumpuntur, generantur alia. Sic naturalis inimicitia inter animalia ipsa, ut alia ex alijs nutriantur. 3. Peculiare bonum hominis, tum naturale, tum supernaturale, quod utrumque ex malis contrarijs perficitur: nam virtutes inde eminent. Itaque inter mala intendam animum ad bonum, quod Deus inde elici.

PUN-

PUNCTUM II.

DE providentia in diaboli impugnationibus. 1. Sine permissione Dei nihil potest, nec in porcos: cùm autem permittit, certo id limite, ut nihil ultra possit. 2. Cùm dæmon intentat perdere nos, Deus elicit bonum, ut sic ad orationem, mortificationem, aliásque virtutes exercendas excitemur: & unde volebat nos ad luxuriam, vel impatientiam impellere, reddamur in utroque solidiores. 3. Attemperat impugnationem viribus naturæ & gratiæ, *Vt possimus sustinere*: cùm & proficiamus inde. Adest autem per viros spirituales, & per Angelos, & per internas inspirationes ac motus. Hinc non attendam ad dæmonem impugnantem, sed ad Deum permittentem, de cujus manu venit: ut Job, qui dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Deinde non respiciam ad mala quæ dæmon spectat, sed ad bona quæ Deus inde parat mihi conferre.

Diaboli tentationes. 1. 2. 3. 1. *Cor.* 10. 3. *Iob.* 2. 10

PUNCTUM III.

DE providentia circa mala, quæ ab alijs hominibus patimur. 1. Quòd nihil possunt, nisi quantum Deus suo consilio sinit. *Passer non cadit in terram sine patre vestro: nec est in oblivione coram Deo. Sed & capilli vestri numerati sunt: nolite ergo timere.* Ubi duplex ratio continetur: quia, si vitæ passerum est tanta cura Deo, & si capillus mihi in numerato est, quan-

Persecutiones hominũ. 1. *Matt.* 10. 29. *Lu.* 12. 6

to magis homo, & quæ hujus præcipua sunt? *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ergo *custodi me, ut pupillam oculi tui: Sub umbra alarum tuarum protege me.* 2. Quòd Deus inde nobis procurat bonum contrarium malo intento ab adversarijs, & ipsosmet aliquando juvat. Sic Joseph per occasionem venditionis *exaltatus est*, & fratribus succurrit: quod utrumque ipse observat. Proinde dicam: *Obmutui, quoniam tu fecisti.* Et ut David de Semei, *Dominus præcepit ei*: dicitur præcipere, quia permittit consulto in bonum tuum.

Zach. 2. 8. Ps. 16. 8. 2. Gen. 50. Ps. 38. 10. 2. Reg. 16. 10.

PUNCTUM IV.

Corporis adversitates.

DE Providentia circa mala corporis, sive communia, sive privata, & ex quacunque causa, sive naturali, sive malitiosa, sive ex incuria. *Quia non est malum in civitate quod Dominus non fecerit.* 1. Igitur cogitabo minuta quæque evenire ex providentia, & in numerato esse apud Deum. *A Deo est omnis medela. Vita & mors à Deo sunt, percutit & sanat, mortificat & vivificat.* 2. Ista permittit in bonum animæ, dum sic purior fit à culpis, vincit passiones, exercet virtutes. *Virtus in infirmitate perficitur*: Et *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Quare si caro refugit, dicam: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?*

Amos. 3. 6. 1. Eccl. 38. 2. & 11. 14. Ose. 6. 2. 1. Reg. 2. 16. 2. 2. Cor. 12. 9. Joan. 18. 12.

PUN-

PUNCTUM V.

DE Providentia circa mala animæ; quorum alia sunt involuntaria, pugna carnis & spiritus, vagæ cogitationes, & inordinati motus, oborientes ex peccato originis, quæ relicta sunt ad exercitium virtutum, & meritum; & Deus dat gratiam. Alia sunt voluntaria, quæ permittit, ut constet humana libertas, & inde surgat homo humilior, cautior, ferventior. Alia, ut à malis qui peccant, exerceantur boni, & perficiantur. Item ut bonitatem suam ostendat, expectando peccatorem, & recipiendo; vel justitiam, puniendo. Denique omnia cooperantur in bonum justis qui ex alienis etiam peccatis fiunt cauti, & ex venia aut pœna laudant misericordiam, aut justitiam. Denique multa nos latent divinæ providentiæ affecta, ob quæ laudari debet, & gratiæ agi.

Animi miseriæ.

MEDITATIO XXXIII.

De Providentia in orationibus exaudiendis.

PUNCTUM PRIMUM.

ORatio est medium à Deo institutum ad obtinenda bona omnia, & avertenda omnia mala, sancitum à Deo infallibili provisione: *Petite, & accipietis.* Est autem medium efficacissimum, quia nititur divina promissione; suavissimum, quia nihil facilius quàm

Oratio medium impetrandi. *Matt.* 7. 7.

petere ; & quidem à noſtri amantiſſimo, & univerſaliſſimum, quia valet ad omnia. Item per hoc medium Deus manifeſtat ſuas perfectiones, communicando ſe, miſerando, remunerando, & mirabilia patrando ſupra naturam. Item quæ creavit, perficit per hoc medium, amoliens nocitura, & indulgens proficua, temperiem aëris, multiplicationem ſegetum & animalium, &c.

PUNCTUM II.

Dat, aut negat Deus ex amore.

PRovidentia concedit petenti utilia, aliquí negat, pari charitate. *Si Filius petierit panem, numquid Pater dabit ei lapidem ?* Et quando res petita non expedit, dat tamen aliud melius : ut Paulo petenti, ut *Stimulus carnis* à ſe *diſcederet*, data eſt gratia ad vincendum.

Matt. 7. 9.
Luc. 11. 18.
1. *Cor.* 12. 8.

PUNCTUM III.

Dat opportunè.

DAt opportunè : vel ſtatim, ſi expedit, vel differt in tempus opportunius, cùm non ſumus diſpoſiti ad accipiendum, vel ob alias cauſas : & perſeveranti præbet copioſius, ut illi *Petenti tres panes dedit, quotquot habuit neceſſarios, ob improbitatem.*

Luc. 11. 8.

PUNCTUM IV.

Omnibus.

PRovidet omnibus hoc medio. *Omnis qui petit, accipit.* Et ita ſingulis attendit, ac uni ſoli, & oblectatur orantium concurſu. Quin urget

v. 9.

urget nos: *Petite, quærite, pulsate*: Quia desiderat nobis benefacere: nec exterius tantùm provocat; sed intus movet. *Quòd oremus nescimus, sed spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. 26. Nec peccatores excluduntur, dum bene petunt rem bonam, ob finem bonum, amoto obice rei petitæ, & perseveranter.

MEDITATIO XXXIV.

De Providentia in custodia Angelorum.

PUNCTUM PRIMUM.

CUr assignaverit Angelos custodes. 1. ut intelligamus, quantopere nos amat, quantique facit, & quam cupit incolumitatem nostram, ut non satis ei fuerit, quod cœlum & reliqua homini serviant, nisi etiam *Administratorios spiritus* exhiberet, *Propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*: Quare cavete ne contemnatis unum ex pusillis, quos tanti ipse facit, ut *Angeli eorum videant faciem Patris.* Quid ergo mirum, quod *subiecerit alia omnia sub pedibus ejus, & paulo minus ab Angelis* hominem fecerit: quando illos etiam ministros fecit nostræ salutis? 2. Quia imbecilles eramus, & multis periculis cincti: ac licet per se poterat custodire, decuit potius per Angelos. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit*

1. Causæ. Amor Dei.

Heb. 1. 14. Mat. 18. 10.

Mat. 18. 10. Ps. 8. 8.

2. Infirmitas nostra. Ps. 90. 13.

quabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis mandavit de te: quidnam? *ut custodiant te in omnibus viis tuis,* in omni loco & negotio: & *in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum,* præservabunt à periculis. Nec uni, sed pluribus *Angelis mandavit de te.* 3. Propter dæmones, hostes invisibiles ut viciſſim auxiliatores invisibiles haberemus, *Plures sunt pro nobis*, aiebat Elisæus.

3. 4. Reg. 6. 17.

PUNCTUM II.

Cunctis adest Angelus.

QUòd omnibus omnino hominibus exhibetur hoc beneficium; non prædestinatis tantùm, sed etiam reprobis; nec justis tantùm, sed peccatoribus, quia vult omnes salvos fieri: & cùm unus Angelus sufficeret toti civitati, aut regno; vult tamen singulis proprium assignate, qui ubique adsit, ut pædagogus, idque ab ipso conceptu, quo nomine neminem contemnam, sed magis honore afficiam. Vitabo offendere quemcunque, reverentia Angeli ipsius. Amplius, non singulis tantum suum præfecit, sed civitati, regno. cœtui proprium, qui ipse curam gerit singulorum, etiam ut membra ejus corporis: necnon peculiarem Principibus & Capitibus congregationum, non ex infimo tantùm ordine, sed etiam ex Archangelis, Principatibus: denique, qui præsunt singulis etiam speciebus rerum conservandis.

PUN-

PUNCTUM III.

QUòd Angeli magna voluptate præstant hoc ministerium. 1. Præcipuè, quia ita Deus vult, quo ipso illud habent pro honoratissimo. 1. Videre licet in *Raphaele, ex septem uno, qui Tobiam* duxit: nec minus cupidè mancipium custodit, quàm alius Regem. *Potentes virtute ad faciendum verbum illius.* 2. Ex charitate erga hominem, quem vident sic amari à Deo. Ideo *Angelus vetuit Ioannem*, ne se *adoraret, conservus tuus, sum, & fratrum tuorum, qui habent testimonium Iesu.* In hoc glorior; ac ita pro uno de vobis tractari volo, non jam pro spiritu cœlesti & beato. 3. Quia cupiunt repleri sedes malorum Angelorum: unde magnum *Gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente:* Hinc urgear ad profectum, ut lætificem Angelum meum, & ne contra contristem.

Tob. 12. 15. *Ps.* 102. 20. 2 *Apoc.* 19. 10. & 6. 22. 9. 3. *Luc.* 15. 7.

PUNCTUM IV.

BOna spiritualia à custodibus Angelis. 1. quod videant faciem Dei, habent notitiam necessariam ad providendum, & pro bonitate sua volunt, ac etiam possunt. Si quando eis non constet de voluntate divina, contingit ut contraria velint, donec innotescat. Sicut inter Angelos Israëlis & Persarum. Ergo *ne dicas coram Angelo, non est providentia, ae fortè iratus Deus dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

1. Vigilantia. *Dan* 10. 13. *Eccli.* 5. 5.

Tria sunt eorum officia, *Purgare, illuminare, perficere.* Purgant ab erroribus & peccatis abducendo,

Officia tria.

Isai. 6. cendo, & ad id remedia suggerendo: *Seraphin accepto calculo ignito, tetigit labia Prophetæ, & auferetur*, inquit, *iniquitas tua*: *Illuminant* per illustrationes internas, atque ad virtutum exercitium permovent. Suggerunt etiam, ut discere velimus à spirituali magistro, & hunc edocent. *Perficiunt* per exercitia unitiva homines cum Deo, & orationes nostras Deo offerunt. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Denique avertunt à nobis pericula. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Ps. 137. 1.

Ps. 33. 7.

PUNCTUM V.

Providit in temporalibus. 1. 2. 3.

PRovidet etiam in temporalibus & corporalibus, quatenus expedit saluti, ut videre est in Raphaële. Hinc. 1. Intelligam, quantum illi debeam, ut meritò dicere possim cum Tobia: *Si meipsum tradam tibi in servum, non ero condignus providentiæ tuæ.* 2. Geram illum assiduè in oculis, & cavebo ne qua re oculos ejus offendam; & quoniam aliquando ex latere discedit, accersam amice. 3. Consulam in dubiis, implorabo in difficultatibus, gratias agam sæpe, gratulabor ipsi de suis bonis, & in tempus mortis conciliare curabo defensorem, quòd maximè fiet, si in vita ipsi obtemperavero.

Tob. 6. 4. c. 9. 2.

ME-

MEDITATIO XXXV.

De providentia in reparatione hominis per Christum.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsideranda providentia erga hominem in statu innocentiæ. Nam creavit Adamum, ut caput totius generis, quo persistente in justitia, facilè etiam cæteri: nam ex justitia originali carebant triplici impedimento, rebellione carnis & spiritus, ærumnis mortalitatis, & impugnatione ab extrinseco inimicò. Nam etsi dæmon oppugnare potuit; at non sicut modo, ipsum corpus alterando, & ingerendo phontasiæ species, sed exterius tantùm proponendo & suadendo.

Primiparentis lapsus quantus.

Porro, etsi homo hanc providentiam à se avertit peccando, non illum tamen deseruit Deus; sed aliam orsus est excellentiorem: nec enim permisisset illum labi cum totius generis ruina: nisi reparandi modum habuisset. Fuit etiam sic magis occasio ostendendi bonitatem suam, quando etiam inimicis benefaceret, & eundem solem oriri faceret super eos, quem propter amicos condiderat. Elegit autem ex pluribus istum modum, ut ipse per se in assumpta carne fieret Redemptor.

PUN-

PUNCTUM II.

Gratia major post lapsum.

COmparatio delicti & doni. Quanto præstat Christus Adæ, tanto donum delicto. 1. In statu primo nati fuissent infantes in gratia, nunc in majori per Christum renascuntur, & ea non gratuita, sed debita infinitis Christi meritis. 2. Tunc homines caruissent rebellione, nunc etiam illam vincere possunt per Christum. 3. Caruissent miseriis mortalitatis, nunc istæ sunt materia virtutum maximarum, & in felicitate reponuntur, postquam Christus pro nobis illas experiri voluit. 4. Misericordia vicit miseriam, & plus potuit Christus conferre, quàm Adam auferre. Unde sunt, qui nobis invidere possent, qui tunc erant futuri, quia non solùm expiamur à delicto Adæ, & à propriis, sed amplissimis favoribus cumulamur, pro quibus Deus homo factus est, & passus, tanquam admirabile sacrificium perfecit, & Sacramenta instituit.

1.
2.
3.
4.

PUNCTUM III.

Gubernat.

CHristus ipse gubernat nos, ut caput nostrũ, qui *factus est nobis sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio.* 2. Est gubernator: sapientissimus, qui perspicit necessitates nostras, & quomodo subveniendum; propensiones nostras, & quomodo obsecundandum: qui & nos sapere facit, non *Sapientia* mundi, *sed divinâ, quam dat omnibus affluenter. Terra enim repleta est scientiâ Domini, & omnes sumus docti à Domino.* 2.

1. *Cor.* 1. 3.
1. *Rom.* 8. 10.
Iac. 1. 5.
Isa. 11. 9.
Ioan. 6. 45.
2.

Est

Est justissimus in se, per excellentiam justus, in quem non potest cadere peccatum qui proinde gubernat in justitia, illuc spectans, ut justificet multos: de cujus tempore dictum est: *In diebus ejus orietur justitia & abundantia pacis.* Et, *Attendent mandatis ejus, & fiet illis sicut flumen pax eorum, & justitia eorum sicut gurgites maris.* 3. Sanctissimus, Sanctus Sanctorum, de cujus plenitudine omnes accipiunt: hoc est, non solùm justitiam impertit, qua mundamur à peccatis, sed sanctitatem, qua assimilamur Deo. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* 4. Potentissimus ad salvandum ab inimicis, à peccato, d abolo & mundo, & ad nos asserendos in libertatem spiritus.

Ps. 71. 7. *Isa.* 48. 28. 3. 1. *Pet.* 1. 16. 4.

MEDITATIO XXXVI.

De providentia in Ecclesia fundanda.

Circa illa verba: Sapientia ædificavit sibi domum. Proverb. 9.

PUNCTUM PRIMUM.

FInis Ecclesiam fundandi fuit, ut in ea esset remedium à peccato & inferno, quæ sunt maxima mala; & adeptio gratiæ, & gloriæ, quæ sunt illis contraria: quin ut esset velut quædam domus voluptatis Filio Dei ad conversandum cum Filiis hominum in terris. Quòd si pro vita corporali tuenda tam mira fecit: quanto mirabiliora

Ecclesiæ finis.

liora pro spirituali, præsertim cùm corporalia non nisi propter spiritualia providerit.

PUNCTUM II.

Media salutis.

MEdia ad finem reduci possunt ad septem: *Sap.* 3. 1. *Excidit columnas septem.* Est *Fides, ut co-*
1. *gnoscant te solum verum Deum, & quem misisti*
Ioan. 17. *Iesum Christum.* Nam *sine fide impossibile est pla-*
3. *cere Deo. Nec aliud nomen est sub cœlo datum,*
Heb. 11. 6. *in quo oporteat nos salvos fieri,* quàm Christi. 2.
Act. 4. 12. *Lex* pura & sancta, qua continentur præcepta & consilia. 3. Est, *cultus* externus, qui olim
1. multis sacrificiis constabat in unico templo,
2. nunc unico sacrificio in multis templis. 4. Sunt
3. septem *Sacramenta*, in quibus est mensa ad so-
4. lidum animæ nutrimentum. 5. *Chorus virtutum*
5. sacer, quarum Theologicales tres, morales
6. quatuor, cum eximio illarum studio, & exercitatione, quasi pulcherrima varietate. 6. *Promissiones* amplissimæ, & certissimæ, tum mi-
7. næ & supplicia. 7. Sacra *Scriptura*, fons prædictorum omnium & mensa opifera, qua refi-
Rom. 15. 4. ciuntur animæ. Nam *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* His omnibus frui datum est mihi, & omnibus, qui in Ecclesia Christi sunt.

PUNCTUM III.

Ecclesia una.

HÆc domus est unica, sicut una Arca Noë, sicut unus Deus, & unus finis ultimus omnibus.

nibus. Habet unicum ostium, quod est Christus. *Ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur : qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Gratulor mihi, quòd ibi sim, tot extra relictis. Io. 10. 9.

MEDITATIO XXXVII.

De providentia Dei in vocatione ad Ecclesiam & fidem.

PUNCTUM PRIMUM.

Vocatio est interna illuminatio, & motio, qua prævenitur & adjuvatur homo ad gratiam justificationis percipiendam : Et est donum Dei : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus retraxerit eum* : Instar illius vocis Christi : *Lazare, veni foras.* Hac fit ut homo credat : quia *Sine fide impossibile est placere Deo :* Et ut confidat de remissione peccatorum : *Spe salvi facti sumus :* Et ut salutarem timorem concipiat. Nam, *Qui sine timore est, non potest justificari* : tum demum doleat, & amet. Contingit autem vocatio absque meritis propriis : *Qui nos vocavit, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam quæ data est nobis.*

Vocatio divina quid sit? Ioan. 6. 44. & 12. 43. Heb. 11. 6. Rom. 8. 24. Eccl. 1. 28. 1. Tim. 19.

PUNCTUM II.

Quòd media & modi vocationis sint varij, & quòd omnes suo modo vocat : quia *Est lux*

Media vocationis.

liora p
non nis

Media salutis.
Sap. 3. 1.
1.
Ioan. 17. 3.
Heb. 11. 6.
Act. 4. 12.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
Rom. 15. 4.

M E
gnoscan
Iesum C
cere De
in quo o
Lex pu
& confi
multis
nunc un
septem
lidum an
sacer ,
quatuor
tatione
missiones
næ & su
dictorum
ciuntur a
ad nostra
tientiam
habeamu
& omnib

Ecclesia una.

H Æc d
cut u

Io. 1. 19. *Act.* 10. 11. *Prov.* 1. 20. *Matt.* 20. 1. *Cant.* 2. 6.

lux illuminans omnem hominem, unde *in linteo* illo Petri *continebatur omne genus animalium* ; Et *sapientia in plateis dat vocem suam*: Et vocat per omnem vitam, *Prima, tertia, sexta, nona, & undecima* hora, ut nunquam sit de quoquam desperandum. Non ideo præsumam. Nam Deus finem suum assequitur, quamvis ego damner, quòd ei duo sint brachia, unum misericordiæ, alterum justitiæ. *Læva ejus sub capite meo*, ut timore suo me sustineat: *Dextera autem amplexetur me*, ut in amplexu providentiæ ipsius, & spe æternorum conquiescam.

PUNCTUM III.

Cur obligor parere revocationi.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
Luc. 14. 24.

OBligor ad obsequendum vocanti. 1. Quia vocat non ullo suo commodo, sed meo tantum, quia ipse bonus est, & bene mihi vult, quia Creator, Dominus, & Pater meus est. 2. Quia bonum mihi & honorificum, quòd dignetur vocare me, alioqui dignum qui deserar. 3. Quia ex miseria peccati, quæ est maxima, eripere vult, & avertere æternam. 4. Quia vocat ad maxima : ad vitam gratiæ, ad pacem super omnem sensum, ad arrham æternæ vitæ. 5. Quia suaviter vocat interius, & exterius miris modis. 6. Quia si obsurdescam juravit, quia *Non gustabo cœnam ejus*. Ex his ipsis æstimandum beneficium vocationis, & gratiæ agendæ.

ME-

MEDITATIO XXXVIII.

De Providentia in Sacramentorum institutione.

AVreum candelabrum repræsentat Ecclesiam; *Super caput ejus lampas*; quæ est Christus: & *Circum septem lucernæ*, quæ est multitudo fidelium. *Infusoria autem aurea* etiam septem, quæ sunt Ecclesiæ Sacramenta, vasa divinæ gratiæ, ad sanandos morbos, & ad roborandos, perficiendósque fideles. *Zach.* 4. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

PArticulares ac proprij fines cujusque Sacramenti considerentur. Finis.

PUNCTUM II.

EXcellentia Sacramentorum novæ legis. 1. Quòd non sint egena elementa, ut antiqua, sed gratiam continent, & conferunt, quam significant. 2. Quòd faciunt ex attrito contritum, supplendo defectum contritionis. 3. Ex opere operato dant gratiam, ita ut præter gratiam respondentem actibus suscipientis detur propria, ratione Sacramenti. 1. Excellentia. 1. *Gal.* 4. 9. 2

PUNCTUM III.

OFferuntur omnibus pro cujusquè indigentia: sunt vasa, non vitrea, & fragilia, sed aurea & solida semper duratura: nunquam deficiet in eis oleum, & gratia quam continent, quamvis innumeris hominibus conferantur: si-

cut oleum pauperis viduæ propter verbum Elisæi. *Nunquam cessavit fluere, quamdiu fuerunt vasa vacua*, in quibus reciperetur. Possunt etiam frequentari ad augmentum gratiæ.

4. Reg. 4. 6.

MEDITATIO XXXIX.

De providentia in institutione venerabilis Sacramenti.

PUNCTUM PRIMUM.

Collatio cũ ligno vitæ. Gen. 2. 9. Apoc. 22. 2.

COnferam cum providentia erga Adamum quando præter tot alias arbores, dedit *Lignum vitæ*, quo posset non mori: at multò hoc præstantius, quod dat vitam animæ, & est simile cœlesti, *Reddenti fructus duodecim per singulos menses, & folia illius ad sanitatem gentium.* Nam in hoc Sacramento Christus ipse sumitur. *Qui est via, veritas & vita:* & esus illius parit in nobis duodecim fructus Spiritus: qui sunt *Charitas*, &c. Folia autem, id est, verba de hoc Sacramento, ut ait Christus, *Spiritus & vita sunt*, ad sanitatem gentium.

Ioan. 14. 6. Gal. 5. 22. Ioan. 6. 64.

PUNCTUM II.

2. Cum Manna. Exod. 16. 14. Num. 11. 18. Ps. 71. 6.

COnferam cum providentia erga filios Israël, quibus dedit *Manna panem de cœlo* & panem Angelorum eorum ministerio præparatum. At hic verus de cœlo est, & Spiritus sancti opera paratus in utero Virginis: manna erat ut *Ros, minutum, & in similitudinem pruinæ*

CA-

cadebat super terram : Hic autem descendit sicut ros, & *sicut stillicidia stillantia super terram.* Illud frangebatur mola, & coquebatur in olla, Christus laboribus attritus, & in aqua afflictionum, ab igne charitatis excoctus fuit, ut melius in cibum esset : quare pro maledictione illa : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, panem de cœlo præstitit eis sine labore.* *Gen.* 3. 19. *Sap.* 16. 20.

Manna erat medicina etiam præservans à morbis : unde *Non erat in tribubus eorum infirmus :* at hic melius sanat morbos peccatorum, & præservat ab illis : quin dabit etiam corpori vitam : *Qui manducat & bibit, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Igitur per cibum incurrimus mortem : per hunc cibum vitã acquirimus. O, ne hic ipse fiat in mortem indignè sumptus ! *Sunt* enim inter nos *Infirmi multi, & imbecilles, & dormiunt multi* : Quia sumunt *Non dijudicantes corpus Domini.* *Ps.* 104. 37. *Ioan.* 6. 55. 1. *Cor.* 11. 3.

Manna erat unius saporis ex natura, ut panes oleati ; at hic panis cœlestis præbebat justis omne delectamentum suavitatis : ita Evchariſtia palato sapit panem, at Spiritui *Omnes suavitates* : quia ejus dulcedo super omnes est corporales, & quia facit ut nobis sapiant omnes virtutes. *Sap.* 16. 20.

Manna sic erat : ut nec qui plus colligeret, præscriptâ mensurâ, haberet amplius : nec, qui minus paraverat, reperiret minus : ita in Evcha-

chariſtia. Tantum enim ſub fragmento, quantum toto tegitur : & manet tamen Chriſtus totus ſub utraque ſpecie.

PUNCTUM III.

Media ſalutis.

Exod. 16 21. *Sap.* 16. 27. 28.

QVòd *manna* debeat *colligi ante ortum ſolis* : alioqui liquefiebat & peribat: quoniam *Oportet prævenire ſolem, ad benedictionem tuam accipiendam, & ad ortum lucis adorare* : Surgendum diluculo.

Sap. 3. 1.

1. 1. Ad colligendum manna devotionis, per ſanctas hujus Sacramenti meditationes, ante diurnas occupationes & diſtractiones.

Ioan. 17 3.

2. 2. Ad memorandum beneficium, aſſiſtendo huic ſacrificio : nam ſi dati mannæ voluit Deus extare memoriam, dum ex eo *Gomor unum aſſervari voluit in Arca* : multò magis hujus, quo nos pavit, non jam 40. annis, ſed millenis, usque in finem.

Heb. 11. 6.

3. 3. præcipuè diebus Communionis id agendum : & ſicut ante ſabbatum colligebatur duplex portio, quod in ſabbato non decideret : ita ſex diebus vitæ præſentis ſtudiosè colligam fructus hujus Sacramenti, ut in æterno ſabbato frui poſſim, revelata jam facie.

Act. 4. 12.

1.

2.

3.

4.

Exod. 16. 13.

5.

6.

7.

Rom. 15. 4.

Ad hæc præſtanda juvabunt ſequentes meditationes de hoc Sacramento.

Eccleſia una.

ME-

MEDITATIO XL.

Quòd Sacramentum Eucharistiæ sit memoria mirabilium Domini.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se: reducuntur ad septem. *Ps.* 100. 4.

PUNCTUM PRIMUM.

Est memoriale ipsius Divinitatis, *quæ in Christo habitat corporaliter*: & totius Trinitatis, quia ubi una est persona, etiam reliquæ ob naturæ unitatem: & quia omnes simul operantur, quidquid ibi est mirabile. Proinde etiam ibi *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, necnon bonitatis, aliarumque perfectionum. Memoria Divinit. *Col.* 2. 9.

PUNCTUM II.

Est memoriale operum omnipotentiæ Dei. 1. Dum accidentia separantur à substantia, ac sine illa conservantur, ipsa desinente. 2. Quòd convertitur in corpus Christi, quale habet in cœlo. 3 Quòd hoc sit sub speciebus indivisibiliter totum in quavis particula. 4. Quòd manens in cœlo, tot locis reponatur, per admirabilem conversionem. Operum omnipotentiæ 1. 2. 3. 4.

PUNCTUM III.

Officiorum Christi.

EST memoriale officiorum quæ Christus præstitit in vita mortali, & in hoc Sacramento etiam exhibet: ut sunt medici, magistri, redemptoris, pastoris.

PUNCTUM IV.

Memoriale virtutū.

EST memoriale virtutum quas exercuit in vita, atque hic etiam *Humilitatis*, qua se demittit ad species panis: *Obedientiæ*, ad verbum Sacerdotis: *Mansuetudinis & patientiæ*, ob ea, quæ perfert ab hæreticis, & indignè communicantibus, & malis sacerdotibus. *Charitatis* & misericordiæ, sic se donando in testimonium, quòd mortuus sit pro nobis, & applicare volens nobis fructum suæ mortis: *Perseverantiæ*, dum species durant, & in finem sæculi manendo nobiscum per hoc Sacramentum. Has quinque virtutes à Christo petam, præsertim in communicando, intendendo ad quinque ejus plagas. Per pedum plagas, petam humilitatem & mansuetudinem; per manuum, obedientiam & perseverantiam; per lateris, charitatem.

PUNCTUM V.

Et maximè operum Dei.

EST memoriale trium maximorum Dei operum: Redemptionis, Sanctificationis, Glorificationis. *Recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*, de quibus figillatim meditandum.

ME-

MEDITATIO XLI.

De Evchariſtia, ut memoriali Paſſionis.

PUNCTUM PRIMUM.

CUr Paſſionis amaræ memoriale voluit eſſe convivium? Ut bonitatem & charitatem ſuam erga nos patefaceret, qui ſibi amara, nobis dulcia ſervat: ita qui bene præſunt. 2. ut intelligeremus inſtar convivij fuiſſe ſibi, pati pro nobis, unde dixit: *Deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum*: & dies paſſionis fuit ipſi deſponſationis, qui proinde convivio celebrandus fuit. 3. Ut quo ipſe benignior, nos accendamur magis ad amplectenda inſuavia propter ipſum. *Memoria memor ero & tabeſcet in me anima mea.* 4. Ut commendaret ſuavitatem ſuæ legis: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Cur memoriale paſſionis 1. 2. *Luc.* 22, 18. 3. *Thren.* 3. 29. *Matt.* 11. 29.

PUNCTUM II.

CUr voluit ipſemet eſſe memoriale; cùm ſufficiſſet panis & vinum, ſicut aqua Baptiſmi repræſentat ſepulturam. 1. Ut intelligeremus quanti ſit, quòd pro nobis mortuus ſit, ſiquidem per ſemet voluit eſſe monitor. 2. Ut indicaret ſe paratum ſæpius pro nobis, & quotidie mori, ſi opus foret, aut expediret: ideo voluit quotidie immolari incruente: ſicut *ab origine mundi dicitur* occiſus in typis ſacrificiorum. Quidni *æmulemur*? *ſemper mortificationem*

Cur ipſe Chriſtus in Sacr. 1. 2. *Apoc.* 11. 8. 2. *Cor.* 4. 10.

Rom. 8. 36. 1. Cor. 1. 31. 3. *nem Jesu in corpore nostro circumferentes*: Et *quasi oves occisionis*, ut Paulus: *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres*: 3. Quia nos non sufficiebamus gratijs agendis, voluit supplere ipsemet pro nobis. Unde vocatur *Eucharistia: Confessio & magnificentia opus ejus:* Ps. 110. 3 Hoc, inquam, opus est plena confessio laudis & gratiarum, ac verè magnificentissima erga nos liberalitas.

PUNCTUM III.

Cur sub speciebus? 1. Rom. 6. 8. Ps. 68. 15 2. CUr sub speciebus panis & vini. 1. Utrumque conficitur ex pluribus, conterendo & premendo, in unum coalescentibus, ex quo memores simus passionum ejus, qui in torculari crucis pressus, & calcatus pependit ex anguis. 2. Sicut in Baptismo per immersionem significatur mors, & sepultura Christi, qui immersus est in profundis passionum velut aquarum. Ita, dum in hoc Sacramento teritur dentibus, significatur passio, & sepultura illius. O, sim dignum sepulchrum, glorioſum, novum, & excavatum in lapide per imitationem Christi, qui est petra!

MEDITATIO XLII.

De Evchariſtia, ut ſigno & cauſa ſanctificationis.

PUNCTUM PRIMUM.

QVòd inter ſeptem inſtrumenta noſtræ ſanctificationis voluit Chriſtus ipſe per ſe in uno eorum latere, ſanctificationem perficere. Ita eſt medicus, ut ipſemet applicet medicinam; mater, ut per ſe lactet infantem. Præſens Chriſtus ſanctificat.

PUNCTUM II.

MAjor gratia datur, quàm in alijs Sacramentis: velut cùm Rex manu ſua præbet eleemoſynam: ibi exhibet animæ ſpirituale convivium, replens gaudio, & ſanctis deſiderijs. Majori gratia

PUNCTUM III.

UNimur ipſi intima charitate: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Intima unione. *Ioan.* 6. 54.

PUNCTUM IV.

EFfectum hujus Sacramenti explicat Chriſtus altiſſima ſimilitudine: *Sicut ego vivo propter Patrem: ita, qui manducat me, vivet propter me.* Vivit ille propter patrem, quia ab illo accipit vitam Divinitatis, & cum illa omnia: ita manducans, ut non jam ipſe vivat, ſed in eo Chriſtus. Dat vitã Spiritus. v. 58.

stus. *Propter me*, inquit; est enim ipse causa efficiens in nobis spiritualis vitæ, ipse exemplar, ipse finis, ac tandem materia, circa quam omnis nostra actio, cogitatio, affectúsque versetur: ut *nihil sciat, nisi Christum, & hunc crucifixum.*

1. Cor. 2. 2.

PUNCTUM V.

Cibus vitis surculus

INtelligi etiam possunt effectus Sacramenti à similibus. 1. Ut cibus suas impertit corpori qualitates: ita Christus animæ. 2. Tanquam viti Christo palmes inseritur, qui inde trahit succum salutarem omnium virtutum. 3. Est *insitum verbum, quod salvat animam*: ut cum trunco sterili surculus bonæ arboris imponitur, producit fructum bonum.

Iac. 2. 21

PUNCTUM VI.

Cur in pane & vino.

CUr in pane & vino. 1. quia sunt alimentum quotidianum: ut sic moneret frequenter sumendum, unde peti jussit, *Panem nostrum quotidianum*: Et, *Nisi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis.* 2. Quia commune omnibus etiam vulgaribus, huc omnes invitantur. 3. Ad commendandam mutuam charitatem: quòd ex granis pluribus conficiatur utrumque. Hæc vestis nuptialis. 4. Quia panis cor hominis confirmat, vinum lætificat; neutrum parit fastidium: ita hoc. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt, adhuc sitient*: non sic *manna*, super quo *nauseabant.*

1. Matt. 6. 11. Ioan. 6. 53. 2. 3. 4. Eccl. 24. 29. Num. 25. 5.

ME-

MEDITATIO XLIII.

De Evchariſtia, ut eſt pignus futuræ gloriæ.

PUNCTUM PRIMUM.

AD facienda pacta, vel promiſſa, ſolet dari pignus pretioſum, & aliquando obſides: ita Pater æternus, & ipſemet Chriſtus dat ſe pignus, unde certi ſimus promiſſorum. *Nam ſi dedit Filium, quomodo non cum illo omnia donavit?* pro jam donatis haberi debent. Eſt pignus. *Rom. 8. 32.*

PUNCTUM II.

ITa eſt pignus, ut ſimul ducat ad promiſſa, quia minuit concupiſcentiam, præſervat à lapſu, nutrit, ac roborat ad perſeverandum: quin unit cum Chriſto, quæ jam eſt quædam inchoatio gloriæ, & *tanquam fons ſaliens in vitam æternam*, unde etiam eſt arrha illius. Eſt autem arrha, quæ ita in pignus datur, ut non repetatur, quamvis reddito promiſſo, ſed manet penes eum qui accipit: *Charitas* quippe *nunquam excidit.* Efficax. *Ioan. 4. 14.* *1. Cor. 13. 8.*

PUNCTUM III.

ESt pignus ſui ipſius, & eo præſtantius. Nam quod edunt & bibunt Sancti in regno Patris, exhibetur etiam hîc, ſed alio modo pro ſtatu. Illic *præcingit ſe, & miniſtrat Chriſtus diſcumbentibus*: quia etſi revelata facie vident divinitatem & humanitatem Chriſti, illam tamen Sui ipſius. *Luc. 12. 37.*

Luc. 11. 3. men præcinctè, quia non potest comprehendi: in Sacramento etiam magis, quando velatum se exhibet. Præcingam & ego meipsum, cohibendo fluxa desideria: ut dignè accumbam isti mensæ: nam & ideo prius orare jubemur: *fiat voluntas tua*: tum ubi in hac profecerimus, *Panem nostrum da nobis hodie*. Et quia convivium, est pignus æterni convivij: simul est viaticum, in cujus fortitudine cum Elia pertingere possumus, *usque ad montem Dei Horeb*. Quare quoties sumam, ita me comparabo, quasi nunc profecturus: quo potest aptari illud: *Quando sederis ut comedas cum Principe, statue cultrum in gutture tuo*. Moriturum te puta, & sic ad Christi Regis mensam accumbe.

1. Reg. 19. 8.

Prov. 23. 2.

MEDITATIO XLIV.

Applicatio sensuum ad Sacrosanctam Eucharistiam.

PUNCTUM PRIMUM.

Visus. ASpiciam species illas, considerans, consistere sine subjecto: & ejus rei fidem exercens, ac omnipotentiam Dei laudans aspiciam sub illis Christum gloria coronatum: & penetrabo ad intima, quòd sit *splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus*. Item, quomodo sacra illa humanitas conjuncta sit illis speciebus ineffabiliter.

Heb. 1. 3.

PUN-

PUNCTUM II.

AUdiam, quid ibi existens loquatur mihi: audiam invitantem: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentia. Et comedite, amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Et: *Omnes sitientes venite ad aquas, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Item exhortantem: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Audiam Angelos, cùm jam communicaturus sum, dicentes, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei cum lampadibus.* Et cùm accepero: *Loquere Domine, quia audit servus tuus:* Et: *Audiam, quid loquatur in me Dominus.*

Auditus

Prov. 9. 5. *Cant.* 5. 1. *Is.* 55. 1. *Matt.* 11. 29. c. 23 7. *Matt.* 25. 6. 1. *Reg.* 3. 9. *Ps.* 84. 9.

PUNCTUM III.

ODorabo suavitatem sacrificij, dum se Christus in hoc Sacramento offert Patri, in odorem suavitatis. Item fragrantiam virtutum ipsius: & tanquam *aquila congregabor ad corpus*; quod faciunt animæ contemplationi deditæ. *O trahe me post te! curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Odoratus.

Matt. 14. 28. *Cant.* 1. 3.

PUNCTUM IV.

GUstabo, quàm suavis est Dominus præ omni manna: facit dulcescere virtutum exercitia, quamvis amara sensibus. Quin ipse Dominus

Gustatus

nus pascitur suaviter, dum editur à nobis, quia est panis vivus, & delectatur, dum manditur.

PUNCTUM V.

Tactus. *Luc. 6. 19.* *Marc. 5. 28.* *Cant. 1. 1.* TAngam spiritu, tangam & manu, cùm oportet *quia virtus de illo exit ad sanandum omnes*, ut quæ dicebat: *Si tetigero, salva ero.* Quin osculum petam in sumendo, *osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Hæc sunt species Sacramentales, quæ continent suavitates præ omnibus terrenis. Amplius spiritu penetrabo ad sacras cicatrices, mittensque digitos & manus, exclamabo, *Dominus meus, & Deus meus, &c.* *Ioan. 20. 28.*

MEDITATIO XLV.

De supplicatione Corporis Christi.

PUNCTUM PRIMUM.

Act. 10. 38. COgitabo Christum obeuntem civitates & villas, *benefaciēdo, & sanando omnes oppressos à diabolo*; & quo affectu fuissem tunc illum comitaturus. Faciam jam, nec dubitem etiam nunc bene eis facere, qui ipsum glorificant, & relinquere suæ præsentiæ effectus, quocunque procedit.

PUNCTUM II.

COgitabo ingressum Ierosolymitanum, & pompam illam cum ista conferam: vehebatur

batur autem tunc asina, jam exiguis speciebus clausus. Cantabo: *Hosana.*

PUNCTUM III.

COgitabo ignominiosas processiones, quibus Christus ab horto Gethsemani per tribunalia circumductus est: pro quibus redditur ei iste honor. *Sic honorabitur quem voluerit Rex honorare. Dignus es Domine, accipere honorem & gloriam & virtutem.* Sic Deus clarificat, à quo clarificatur. Quod si Arca à Davide, quanto magis hic? Nec curanda Michol obtrectatio, quin tanto plus gestiendum, sed cavendum exemplum Ozæ, si irreverenter attingatur.

Act 6.9. Apoc. 4. 11. 2. Reg 6. 14. V. 6.

PUNCTUM IV.

COgitabo cœlestem plausum, quo excipitur ibi Christus, ad cujus æmulationem nos in villa nostra aliquid faciamus: seniores deponunt coronas ad pedes ejus. *Quatuor animalia die ac nocte*, absque requie dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui est, qui erat, & qui venturus est.* Alij *offerunt phialas odoramentorum.* Denique per plateas Ierusalem perpetuum Alleluya cantatur. Sic ego coronam deponam ante pedes per affectum humilitatis, agnoscens ex me nihil habere. Acclamabo, *Sanctus*, Sanctus, viva fide profitens: quia venit in carne, & venturus est judex. Offeram phialam cordis auream ex charitate, plenam odoramentis

Apoc. 4. 8.

thuris & myrrhæ, ferventis orationis & mortificationis.

MEDITATIO XLVI.

De providentia Dei in assignando cuique statu.

PUNCTUM PRIMUM.

Varietas statuum.

PAterne Deus etiam providet de statu cuique accommodato, dum ipse regi sinat, cùm non quivis cuilibet conveniat, & alioqui sint, sicut in corpore, multa membra, ita in Ecclesia & Republ. civili diversi status. Alij sunt velut caput ad regendum; alij ut oculi, qui eminent doctrina; alij manus in vita activa, alij pectus in recondito contemplativæ; alij pedes in humilioribus. Ergo qui non susceptit certum statum, ad Deum confugiat, & qui jam habet, in Deo confidat se in illo salvum fieri, &

1. Cor. 7. 20. *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

PUNCTUM II.

Varietas propensionum.

PRovidentiæ divinæ suavitas spectatur in eo, quod varias hominibus indidit propensiones ad diversa, ut nunquam desint, qui sponte amplectantur conditiones, quamvis molestas & serviles, ne in publicum desideretur aliquid. Quod si aliquando imponat aliquid à propensione naturali alienum: sic illud dulcorat, ut reddat suave, velut statum religiosum.

Et

Et quando non sic faciat delectabile, ita ratione persuadet ut inspirata lux vincat naturæ repugnantiam. Ergo me illi totum commitam.

PUNCTUM III.

QUòd Deus juxta statum providet de medijs ad ferendum: unde cùm Moyses delegisset adjutores regiminis, dictum ei à Deo est: *Auferam de spiritu tuo, tradámque septuaginta senioribus, ut sustentent tecum onus populi tui.* Num. 11. 17. Quare si mihi duplicatur onus, etiam vires. Hinc periculosum est amplecti statum, non ex voluntate divina, quæ inquirenda est; nam destituitur is convenientibus subsidijs: si tamen erratum est, nec licet regredi, recurrendum est ad Deum, qui non destituet nos. Alioqui *omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur.* Marc. 12.

MEDITATIO XLVII.

De providentia circa statum Religiosum.

PUNCTUM PRIMUM.

FInis instituendi hunc statum fuit multiplex. 1. ut esset schola perfectionis, quæ in charitate Dei, & proximi consistit: ubi proinde amoventur omnia impedimenta perfectæ charitatis. Cur diversi status Religiosi. *Hæc est generatio quærentium Dominum, & faciem ejus semper.* Ps 23. 6. Est *Ecclesia* filiorum *sapientiæ*, quorum *natio* & conditio est *obedientia & dilectio*: quare nituntur imitari Deum & Christum. Eccl. 3. 1. Mat. 5. 48.

stum. *Estote perfecti: sicut Pater*, qui est. 2. finis. 3. est domus refugij, à periculis mundi. 4. est domus solatij, quo divertat Deus. *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum*: 5. est *lucerna super candelabrum*, & *civitas super montem posita*, ad exemplum virtutis: ut *siti sine querela*, &c. 6. est officina meritorum, quorum ampla seges, ut & gloriæ. Hæ sunt *sex alæ Seraphin*.

Prov. 8. 31. *Mat. 5. 14.* *Phil. 2. 15.* *Isa. 6. 2.*

PUNCTUM II.

Inordinibus Religiosis.

PRovidit, ut essent varia Religiosorum instituta: quia cùm plura sint officia charitatis, non potuit una in omnibus excellere, facilius autem alia sine alio; & cùm Christus sit exemplar perfectissimum omnium virtutum, non potuit per omnia exprimi ab una aliqua Religione, & dum alia aliter eminet, redditur *Regina amicta varietate*. Et denique sunt hominum propensiones valde diversæ, & vires, ac facultates variæ, ut oportuerit modos assequendi perfectionem proponi diversos.

Ps. 44. 10.

PUNCTUM III.

Vocatio Dei.

VOcat ad Religionem ipse: non enim est humanarum virium. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*, Et: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit*. Non vocat omnes, quia non est status ad salutem necessarius, & vocat non ex merito, sed quia vult: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Hinc aliquando relinquit meliores, vocat autem imperfectio-

Mat. 19. 11. *Ioan. 6. 44.* *Cap. 15. 16.*

fectiores, ut eos perficiat. Gratias agam: videbo quàm ſit inurbanum & ingratum, non ſequi vocantem, imo periculoſum, quando ideo vocat, quod hunc ſtatum ducat vocatis opportunum adſalutem. Quare de renuentibus dicit: *Non guſtabunt cœnam meam*, Et *Reſpiciens retro, non eſt aptus regno Dei.* Porro in vocando Deus ſpectat duo, & commodum Religionis, ad quam vocat, & congruentiam ipſius vocati: nam providet tum bono publico, tum privato: quare magnus error eſt reniti. *Luc.* 14. 24. *Cap.* 9. 61.

MEDITATIO XLVIII.

De bonis ſtatus Religioſi.

PUNCTUM PRIMUM.

QUia eruit à periculis mundi: eſt autem mundus multitudo ſervientium *concupiſcentiæ carnis oculorum, & ſuperbiæ vitæ*: quorum alij per infidelitatem ſunt extra Eccleſiam, alij autem per fidem, membra Eccleſiæ, ſed putrida; inter quos vivunt quidem juſti, ſed cum periculo ab occaſionibus, ab exemplis conviventium, à rebus ipſis: ſiquidem facilius eſt, teſte Domino, *Camelum per foramen acus, tranſire quàm divitem intrare in regnum Dei*, Gratias ago tibi Domine, quia *eduxiſti me de Ur Chaldæorum*, ab igne concupiſcentiæ illius. Multiplices porro, varij & miri ſunt modi educendi ex mundo, etiam per tentationes, & perſecutiones, ac per ipſos graves lapſus à Deo Mundi pericula *1. Ioan. 2. 16.* *Marc. 10. 24.* *Gen. 15. 7.*

Cap. 19. 17. permissos : & quasi *Loth apprehensa manu* exire facit.

PUNCTUM II.

Bona status religiosi

TRia genera bonorum excellenter in statu Religioso inveniuntur : *Honestum*, ab omni choro virtutum, & donorum Spiritus sancti ; *Delectabile* à gaudio in Spiritu S. & pace exuperante omnem sensum: *Vtile*, à medijs salutis consequendæ, ut in Religionem conveniat illud de sapientia : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas, & divitiæ plurimæ per manus illius: & ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Et fundamentum transitus, ut ait Basilius, ab humano more vivendi ad cœlestem, ubi est bonorum omnium cumulus.

Sap. 7. 11.

PUNCTUM III.

Quid promittat Deo Religiosus *Mat.* 19. 27.

SUper colloquio Christi cum Petro. *Ecce nos reliquimus omnia:* ubi continetur quoddam pactum Dei cum Religioso. Ac ex parte Religiosi, is renunciat rebus omnibus, tum voluptati & libertati per vota. Deinde addicit se Christi sequelæ per imitationem perfectarum virtutum. Quo faciunt, quæ Paulus de Moyse & alijs Sanctis habet ad Hebræos cap. 11. Ex parte Dei promittuntur tria. 1. Sedes inter judicantes, qui est honor specialis, quia ut glorificarent Christum, semet abjecerunt. 2. Centuplum in hac vita, domos, fratres &c. vel spirituales consolationes, quæ centuplo superent terrenas

Quid Deus Religioso promittat.

1.

2.

terrenas: ita ut ipsæ persecutiones & abjectiones fiant dulciores, quàm honores sint mundanis. Et ideo ait: *centuplum cum persecutionibus.*

3. Vita æterna, ubi intelligitur singularis providentia perducendi hominem illuc. Quamobrem pronuntiant sancti, perseverantiam, in hoc statu signum esse prædestinationis. 3. *Marc.* 10. 30.

MEDITATIO XLIX.

De providentia erga Prædestinatos.

PUNCTUM PRIMUM.

CUm tres sint effectus Prædestinationis, *Vocatio*, *justificatio*, *glorificatio*: mire Deus ea perficit circa Prædestinatos.

PUNCTUM II.

VOluit Deus sic quosdam eligere ex bonitate sua, ne omnes perirent, ut in his ostenderet divitias gloriæ suæ, tum etiam, ne infinita Christi merita frustrarentur.

PUNCTUM III.

VAria sunt indicia prædestinationis, maximè verbum Dei libenter audire, obsecundare inspirationibus, studium servandi mandata Dei, & consilia, necnon Sacramentorum, & orationis, & exercitatio in operibus misericordiæ, & ipsa demum devotio erga beatam Virginem.

MEDITATIO L.

De humilitate, & resignatione pro consequendis fructibus Providentiæ.

Cognitio nihili sui. 1. 2. 3. 4. 5.

HÆc est humilitas, quæ fundatur ~~in cognitione~~ proprij nihili. 1. secundum esse naturæ, & gratiæ. 2. in conservando illum. 3. in operando, & in usu potentiarum. 4. quod totum tandem nihil est respectu Dei. 5. quod ex me sim tantum nihilum peccati. Et hoc est fieri, sicuti parvulum.

PUNCTUM PRIMUM.

Similitudo infanti. 1. *Ps.* 50. 4. 2. *Amos.* 5. 2. 3. 1. *Cor.* 10. 12. 4. *Isa.* 49. 15. *cap.* 66. 11.

EX comparatione parvuli concipienda humilitas. 1. ille, si inficiatur, non potest eluere, sic nec homo culpas. *Lava me ab iniquitate mea.* 2. si cadat, non potest se sublevare. *Domus Israel cecidit, & non adijciet ut resurgat.* 3. si erigatur, non consistit sine ope: *Qui stat, videat ne cadat.* 4. si esurit, debet alius porrigere: per me implere bona desideria nequeo. 5. si alegat, si hostis immineat, nequit se juvare, sic nec incalescere charitate, nec à carne, mundo, diabolo, potest tutus esse homo. Porro ut mater præsto est infanti: ita, ac magis etiam providentia Dei adest mihi: Nam *si illa oblita fuerit, ego*, inquit, *non oblviscar tui. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Sed oportet infante se agnoscere & gerere; Deo autem fidere.

PUN-

PUNCTUM II.

REsignatio in manus Dei, ut infans, qui absque cura, per omnia se relinquit matri, à qua pro conditione tractatur, nec affectat aliud: *Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis, ipse me enutriet: nam si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit*: Quomodo Deus suos deferet? *Non parcam ego Ninive, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram*? vel tales sufficiunt ad miserendum. O ne tradam oblivioni hanc rem! ut Ephraim, de quo Propheta apud Deum queritur, dicens: *Cujus tu quasi nutritor eras, & portabas in brachijs tuis, & nescivit quod curares eum.*

Resignatio. 1. Pet. 5. 7. Ps. 54. 23. 1. Tit. 5. 8. Ion. 4. 11 Ose. 11. 3

PUNCTUM III.

PRærogativæ parvulorum. 1. *Talium esse regnum cœlorum.* 2. *Qui sic se humiliaverit, magnus erit in regno cœlorum.* 3. *Qui talem recipit, Christum recipit.* 4. Qui talem *scandalizat, demergendus in profundum maris.* 5. *Angeli eorum vident faciem Patris*: significatur peculiaris custodia: ut cum *Agar abjecit parvulum, exaudivit Dominus vocem pueri, & adfuit Angelus.*

Prærogat. Infantiũ 1. Matt. 19. 14. 2. c. 18. 4. 3. V. 5. 4. 5. V. 10. Gen. 21. 15.

DE COELESTI GLORIA.

MEDITATIO LI.

Quid sit. De loco & sociis.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid sit. QVid sit. Est status bonorum omnium aggregatione perfectus, in quo nulla mala culpæ, aut pœnæ, & omnia bona, quæ desiderari possunt. Nam, teste Augustino, ille est beatus, qui habet omnia quæ vult, & non vult aliquid mali. Porro est æternus, securus, absque metu, quod Deus mutet decretum, immutabilis sine diminutione, satians absque fastidio. Contrà status vitæ præsentis, quantumvis fœlix, admiscetur multis malis, est ad tempus anxius, variabilis. Ideo, *Nolite vobis thesaurizare in terra*, &c.

Matt. 6. 13. *Luc.* 12. 33.

PUNCTUM II.

Locus. PRæstantia loci: Describitur Apocalypsis. 21. c. *Ex auro & lapide pretioso*, quia apud nos nihil præstantius. At accedit immensum. 1. est lucidissimus, suavi quadam luce, 2. temperatissimus, absque vicissitudinibus. 3. firmissimus, absque metu ruinæ, aut rimæ. 4. amœnissimus: nam si Adæ constitus locus deliciarum, & si tot hæc inferior habitatio communis, cum bestijs habet commoda, quid locus ille? *O quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!*

Ps. 83. 2

PUN-

PUNCTUM III.

CONvictus jucundissimus beatorum, Angelorum & hominum. Nam se omnes inter se noscunt, & communicant. Sunt autem Angelorum millia millium, & hominum turba *quam dinumerare nemo potest.* 2. sunt Angeli omni virtute ornatissimi, & amabilissimi. 3. varietas graduum, *ut stella à stella differt in claritate.* Ibi ordines Angelorum, ac inter eos permixti ex hominibus : quin aliqui supra omnes, ob vitæ meritum. Ibi chori Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sacerdotum, Confessorum, Virginum, &c. 4. mira concordia : quia sic unusquisque gaudet de bono cæterorum, ac de proprio.

Societas in cœlis quæ.

Apoc. 7. 9. 1. *Cor.* 15. 41.

MEDITATIO LII.

De essentiali gloria animæ & corporis.

PUNCTUM PRIMUM.

ANima repletur Deo, ut ferrum candens. 1. memoria sic occupabitur, ut divertere nequeat à præsenti bono : tum memorabit omnia accepta à Deo, & recipienda, nec ullius recordatio affliget : *Memoriam abundantiæ, suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.* 2. intellectus replebitur clara visione Dei in seipso, & intuebitur divinam essentiam, & personas, attributa modum Incarnationis : & quo-

Bonum animæ & potentiarũ.

1. Memoriæ.

Ps. 144. 7.

2. Intellectus.

modo Deus mirabiliter operatus fit quæcunque fecit. Unde ceſſabit fides, & ſpes, re jam poſſeſſa. Ibi intelliget arcanum divinorum conſiliorum, & rationem providentiæ circa ſe. 3. Voluntas ineffabiliter Deo adhærebit, atque in eum transformabitur amore, qui ſit omnis amor filij, ſponſæ, amici, &c. unde immenſitas gaudij redundabit, & *inebriabitur ab ubertate domus Dei.* Et verè *intrabit in gaudium Domini ſui*, undique circumfluens. Ab hoc amore ordinabitur voluntas ad omnem rectitudinem, unde obedientia exactiſſima, humilitas profundiſſima, religio ſubtiliſſima exiſtent. 4. Tandem cogita, inde te beatum fore, unde ipſe Deus eſt: quod ſe videt, & amat. Collige, exercitium orationis eſſe adumbrationem quandam illius ſtatus, quando in illa ſtudemus eaſdem animæ potentias circa Deum occupare pro modulo.

3. Voluntatis.

Pſ. 35 9. *Matt.* 25. 23.

PUNCTUM II.

Dotes corporis glorioſi. 1. *Claritas. Juſti fulgebunt ſicut Sol*, membrorum proportio, figura, color, & nitor mirabilis: inſpicientur etiam internæ partes, & harmonia totius corporis, tanquam cryſtallum. 2. *Impatibilitas*, & immortalitas: *non eſurient, neque ſitient*: nec ab ullo extrinſeco lædi poterunt. 3. *Agilitas*: etenim anima ita dominabitur corpori, ut ſine repugnantia, illud celerrimè transferat quocunque: *Sicut ſcintillæ in arundine-*

Dotes corporis glorioſi. 1. *Matt.* 13. 43. 2. *Apoc.* 7. 16. *Iſ.* 49. 10 3. *Sap.* 3. 7

to discurrent. 4. *Subtilitas*, ut instar spiritus non subjaceat necessitatibus vitæ vegetativæ, sed *erunt sicut Angeli Dei*, ait Christus: poterunt etiam penetrare per quodvis corpus, ut Christus ex sepulchro, & ad discipulos. O, verè, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis!* quidni *mortificationem Jesu* nunc *in corpore nostro circumferamus.*

Matt. 22. 30. 4. 2. *Cor.* 4. 10. *Rom.* 8. 18.

PUNCTUM III.

GLoria sensuum. 1. *Visus*, ex aspectu tot glorificatorum corporum, inprimis Christi, quo Job solabatur se: *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum meum.* 2. *Auditus*, ex colloquijs Sanctorum & ex laudibus Dei: nam *Exaltationes Dei in gutture eorum.* 3. *Odoratus*, à fragrantia corporum beatorum, quia hîc fuerunt bonus odor Christi: cujus odor inprimis est fragrantissimus. *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, cœlestes nimirum, attractæ à suavitate illius. 4. *Gustatus*, ut absque cibis, *omne delectamentum suavitatis* percipiat, siquidem tale manna in terris dedit. 5. *Tactus* toto corpore diffusus, purissimo perfruetur sensu.

1. Gloria sensuum *Iob.* 19. 25. 2. *Ps.* 149. 5. 3. *Matt.* 24. 28. 4. *Sap.* 16. 20. 5.

Ergo, *Secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ergo & tu corpus, *Lætare in his quæ dicta sunt tibi*: sustine modicum.

Ps. 93. 19. *Ps.* 121. 1

ME-

MEDITATIO LIII.

De gloria cœlesti, ut respondet octo Beatitudinibus.

PUNCTUM PRIMUM.

Regnum cœlorũ. *Matt.* 5. 3. *&c. Rom.* 14. 7. *Ps.* 44. 10.

Pauperibus spiritu, & persecutionem patientibus promittitur regnum Dei, quod *est justitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto*, ex visione clara Dei, quæ intra ipsos est, ut auferri nequeat, & ita cujusque proprium, ut citra consortium aliorum quisque Rex foret. Hinc Ecclesia dicitur: *Regina assistens à dextris Dei.*

PUNCTUM II.

Terræ possessi.

Mitibus promissa est terra, non ut hæc morientium, & vallis lachrymarum & subjecta maledicto; sed viventium, in qua nemo amplius mori potest, affluens omni solatio: *Ubi non est amplius neque luctus, neque dolor*: quam irrigat *fluvius aquæ vitæ, ex sede Dei procedens*, ad cujus ripiam *arbores* consitæ sunt, *ferentes fructum in singulos menses*: hi sunt beati ipsi. *Apoc.* 22. 1.

PUNCTUM III.

Consolatio. *Apoc.* 21. 4.

Lugentibus est plena consolatio: ubi *absterget Deus omnem lachrymam*, ubi semper lætissimum alleluya cantatur, ubi gaudium non tolletur ab eis.

PUN-

PUNCTUM IV.

Saturitas

Esurientibus & sitientibus justitiam est saturitas sine fastidio. Nunc nihil hominem satiat: non terrena, quia inania; non scientia, aut virtus, quia imperfecta. *Satiabor* autem, *cùm apparuerit gloria tua. Non esurient, neque sitient amplius.* *Psal.* 16. 15. *Apoc.* 7. 16.

PUNCTUM V.

Plenitudo misericordiæ

Misericordibus est misericordia: sunt enim alia *vasa iræ*, alia *misericordiæ*, sicut quædam *honoris*, quædam *contumeliæ*: hæc inferis, illa cœlo dicata, ubi *coronat* eos Deus *in misericordia, & miserationibus*. Nam etsi beatitudo est corona justitiæ, tamen est misericordia maxima, quia inde sumit initium. Hæc sunt vasa aurea, & argentea à charitate & puritate: reliqua lignea & fictilia, quia casum admittunt & franguntur. *Rom.* 9. 22. *Psal.* 102. 4.

PUNCTUM VI.

Visio Dei

Mundis corde est visio: nam pro fide datur lumen gloriæ. *In lumine tuo videbimus lumen*: & *in lumine vultus tui ambulabunt & exultabunt tota die: quoniam gloria virtutis eorum tu es: quam dulce lumen, & quam delectabile oculis videre solem!* *Psal.* 35. 10 *Psal.* 88. 6. *Eccl.* 11. 7

Pro *spe* datur comprehensio & omnimoda possessio. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* *Cant.* 3. 4.

Cha-

Cant. 2. 16. Charitati demum accedet fruitio. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

PUNCTUM VII.

Adoptio Filiorũ Dei. Rom. 8. 23. PAcificis est adoptio filiorum. Nam est duplex: una imperfecta, & in hac vita: altera perfecta, ad quam adspirant ipsi filij *gementes, & adoptionem filiorum Dei expectantes.* Prior significata in Baptismo Christi, cùm audita est vox: *Hic est Filius meus*: Posterior in glorioſa transfiguratione, cum eadem vox repetita. De utraque Joannes: *Nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ioan. 3. 2.

MEDITATIO LIV.

De gloria cœlesti, ut datur vincenti. 2. Apoc.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Alia præmia Fervor. Apoc. 2. 7. Io. 1. 4. Ioan. 17. 3. V*Incenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Lignum vitæ est Deus ipse. *Quia in ipso vita erat*: editur de illo per visionem claram. *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te verum* DEUM *& quem misisti* JESUM *Christum.* Paradisus est ipsum cœlum empyreum, locus delitiarum beatis: ubi suam gloriam Deus patefacit, fruendámque exhibet: sed datur vincenti.

PUN-

PUNCTUM II.

2. Corona vitæ. *Apoc.* 2. 10.

Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; & qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Promittit coronam vitæ, hoc est, immortalem & immarcessibilem. *Nec lædetur à morte secunda*: quæ est damnatio perpetua atque æterna.

PUNCTUM III.

3. Manna absconditum. *Apoc.* 2 17. *Ps.* 30. 20.

Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Manna est ipsa divinitas, verè habens omne delectamentum suavitatis: & est absconditum: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quàm abscondisti timentibus te!* hi sunt beati. Calculus candidus est approbatio rata, & immutabilis: qua Deus beatos certos reddit, ac securos de æterna sua felicitate. Est illud: *Venite benedicti, percipite regnum.* Quod si nunc internum testimonium Spiritus sancti, quod simus filij Dei, sic afficit justos, quid tunc illud manifestum, & immutabile? Contra, nigrum calculum reprobationis referent peccatores: *Ite maledicti.* Nomen novum, est nomen Filij: quia tunc demum sancietur æterna adoptio, quæ modo nutat, & imperfecta est: perficietur autem, cùm hæreditatem adibimus. *Nam si filij: & hæredes per Christum.* Tunc lamentantes dicent impij: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* *Matt.* 25. 34. *Rom.* 8. 16. *Sap.* 5. 5.

PUNCTUM IV.

Potestas regnandi.

Vincenti & custodienti usque ad finem opera ejus, dabo illi potestatem supra gentes: & reget eas in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringentur: sicut & ego accepi à Patre meo: Apoc. 2. 26. *& dabo illi stellam matutinam.*

Potestatem dabit supra gentes & principes: à quibus vexati fuerint, quos sub pedibus habebunt, & exultabunt de justo Dei judicio, quo illorum potentia ut testacea confringetur. *Exultabunt Sancti in gloria,* Psal. 149. 5. *& gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligandos reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum,* atque decretum: *Hæc est gloria omnibus Sanctis ejus.* Ps. 138. 17. *O quam honorificati sunt amici tui, Deus!* Stella matutina est Christus Deus & homo. Qua Deus: nam *in splendoribus Sanctorum ante luciferum genuite:* Psal. 109. 4. Qua homo, nativitas ejus extitit lucis principium, & post mortem resurrexit, *primitiæ dormientium.* Hinc stella datur justis, quando ad instar illius fiunt ipsi quoque stellæ in firmamento, *configurati corpori claritatis illius.* Phil. 3. 21.

PUNCCTUM V.

Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

Vesti-

Veſtimenta alba ſunt, quoad animam puriſſimum lumen gloriæ, & byſſinum juſtificationum, & liquidiſſimum gaudium. Quoad corpus autem, immortalitas, claritas, & reliquæ dotes: quare *in terrâ ſua duplicia poſſidebunt. Non delebit.* Hæc eſt alta ſecuritas æternandi in bono adepto. *Confitebitur*, laudatorem aget, & deprædicabit rectè facta illorum, ac in eis gloriabitur, quòd in judicio etiam faciet ad confuſionem malorum, &c. Veſtitus albus. *Apoc.* 3. 5. *Iſ.* 61. 7. 10.

PUNCTUM VI.

QVi vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foràs non egredietur amplius, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei & nomen civitatis ejus Jeruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum. Columnæ erunt tanquam præcipua quædam cœli ornamenta, quæ in hac vitâ ſuſtentarunt Eccleſiam, ſingulari ſanctitate & fortitudine. *Et non egredientur amplius:* quia columnæ Eccleſiæ militantis aliquando deficiunt: in triumphante non poterunt. Tria in ſcribet nomina: Dei, tanquam de quibus gloriatur Deus, ut de peculiari poſſeſſione ſua: Jeruſalem, quòd ſint cives Jeruſalem, & beata viſione pacis donati: denique Jeſu, à quo ſalvati, & cujus ſunt nova creatura. Columnæ. *Apoc.* 3. 12.

PUNCTUM VII.

Sedebunt in throno. *Apoc.* 3. 22.

QVi vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Quid majus dici potuit, non stabit ut famulus, sed sedebit ut Princeps: & *mecum*, me sedente, considebit: quin *in throno meo*, ejusdem consors præcellentiæ: atque id ad modum, quo ego, quoniam vici, sedeo in throno cum Patre meo. Et hoc est, quod orans petierat: *Volo, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.* *Ioan.* 17. 24. O Lucifer! dixeras quia *super astra exaltabo solium meum*: non sic, sed per humilitatem illuc conscendere oportuit: nam *Deus suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloria teneat.* *Isa.* 14. 13 1. *Reg.* 2. 8.



SUP-

SUPPLEMENTUM.

SUPPLEMENTUM MEDITATIONUM LUD. DE PONTE E SOCIETATE JESU,

In Dominicas, Festa, &c. Ex Joanne Busæo, Joanne Sveeren, Juliano Hayneveve, &c. *ex eadem Societate.*

DOMINICA IV. ADVENTUS

Prædicatio Ioannis. Luc. 3. Matth. 3. Marc. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Via Domino præparanda.

Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus. Consid. 1. Omnes hîc moneri à S. Joanne ad præparanda corda pro Christo dignè excipiendo. Nam vita nostra est via, per quam ipse ad nos venit, & nos ad illum: ac sicut pro solenni ingressu Regis, aut Principis, viæ sternuntur, & æquantur, sublatis obstaculis: ita & vitam seu corda nostra præparanda esse, sublatis obstaculis peccatorum, & inductis ornamentis virtutum, ad Christum Regem nostrum

strum digne, & cum fructu animæ nostræ excipiendum. 2. *Semitas* ejus intelligi etiam posse vias perfectionum quæ ipsum ducem deinde habuerunt in consiliis evangelicis, metam, & præmiatorem, constántque observantia trium votorum, exercitio humilitatis, mortificationis, asperitatum, & omnium virtutum, ac proinde declinandam viam mundi latam, sordidam, & obliquam, *impii in circuitu ambulant:* sectandam verò viam arctam, mundam & rectam, qua nobis præivit. *Viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.*

2. Semitæ Dominī seu perfectio. *Psal.* 11. 9. *Prov.* 3. 17.

PUNCTUM II.

OMnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Consid. viam pro Rege Messia hîc à S. Joanne accuratiùs præscribi. 1. Nempe per pœnitentiam velut generale instrumentum, omnis vallis acediæ & pusillanimitatis impleatur solido fervore & fiducia in Deum, *Omnia possum in eo qui me confortat.* 2. Et montes superbiæ, & colles inanis gloriæ deprimantur per humilem sui cognitionem ac diffidentiam. Nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 3. *Et erunt prava indirecta.* Monet nos pravas intentiones in actionibus ad honores, & corporis commoda corrigere, atque in iis spectare unam Dei gloriam, ac salutem æternam nostram & proximorum. *Afferte Domino gloriam & honorem.* 4. *Et aspera in vias planas:* Ut asperitatem & iracun-

Effectus præparationis. 1. *Phil.* 4. 13. 2. *Iac.* 4. 6. 3. *Psal.* 28. 2. 4.

iracundiam in conversatione cum proximo commutemus in modestiam & mansuetudinem: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum &c.* Considera. 2. Significari hîc etiam fructum piè excipientium Christum, nempe humiles instar vallis ab eo implendos donis cælestibus, & exaltandos, depressis superbis: & quæ prius molesta & horrida nobis videbantur, postea per gratiam ejus facilia & plana reddenda.

1. *Pet.* 2. 1.

Fructus excipientium Christū.

PUNCTUM III.

Christus videndus.

ET videbit omnis caro salutare Dei. Consid. 1. Ingens solatium hîc omnibus promissum, ac proximè impletum; visuros nempe eos, clarè oculis corporeis mundi Salvatorem à Deo missum, tot sæculis expetitum, carnem nunc nostram indutum, & inter homines habitantem; imo & cujus benignam opem milleni essent experturi, quem deinde Joannes palam digito demonstravit, Pater cœlestis è nubibus proclamavit, ipse verò Christus miraculis stupendis se illum esse confirmavit. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 2. Eundem & nos habere nunc præsentem in venerabili Eucharistia, promptum in omni necessitate perfugium, ideoque cum omni reverentia, fide, ardore, & fiducia ad eum recurrendum.

1. In carne.

L. c. 10. 23.

2. In S. Eucharistia

* * *

DO-

DOMINICA PASSIONIS.

De immunitate Christi à peccato.

Joan. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

DIxit Christus Judæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Considera, cùm à Christo dicaris Christianus, te conari debere, ut immunis sis à peccatis saltem mortalibus, & scire potius esse moriendum, quam in tale peccatum consentiendum: deinde deliberato, maximè si religiosus sis, nec consentire in venialia, imo etiam cavere imperfectiones quæ peccata non sunt. 2. Examina teipsum, an verbum Dei, exhortationes pias, & inspirationes divinas libenter audias, iisque obsequaris: quia si secus fiat, non es in Dei gratia, nec in numero prædestinatorum.

1. Fuga peccati.

2. Audiendum verbum Dei

PUNCTUM II.

1. CVm *Iudæi dicerent eum esse Samaritanum & habere dæmonium, respondit: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum. Non quæro gloriam meam.* Considera patientiã Christi nihil respondentis de nomine Samaritani, quia tangebat contumelia personam ipsius: nam reputabant eum indignum sua conversatione: non enim Samaritanis cantebantur Iudęi, sicut nec nos nunc Iudęis, & Turcis. Sed de dæmonio, quia tangebat gloriam Dei, mitissimè re-

1. Christi silentiũ & responsum.

2. Dei gloria quærenda.

respondit. *Ego dæmonium non habeo.* 2. Considera, si Christus propriam gloriam non quęsivit, quanto minus tu debeas. Fac ergo omnia in Dei gloriam, & tunc Deus etiam honorificabit te. Unde vides quantum peccent, qui honoris sui cupidi, minimam etiam injuriam vindicare non dubitant sanguine suo.

PUNCTUM III.

1. Immortalitas servato Dei sermone.

1. *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.* Considera hanc promissionem esse ejus, qui mentiri & fallere non potest; & quidem de vita spirituali animæ. Vide quantum Dei beneficium sit, in æternum non solùm vivere, sed felicissimè vivere, talíque cogitatione te obfirma, ne sermonem Dei unquam sciens transgrediare.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me.

Joan. 16.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Patientiæ præmium.

1. Dixit Jesus discipulis. *Expedit vobis ut ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Considera Christum prænunciare glorioſam suam Ascensionem in cœlum, & Spiritus sancti, post eam missionem, nempe visibili forma, & pleniore abundantia, ut disceres, sicut ille post passionem glorioso corpore & anima ascendit in cœlum æter-

na

na felicitate cum Sanctis ibi fruiturus: sic te, si sanctè vixeris, & pro Christo multa passus fueris, corpore & anima assumendum in cœlum.

2. Ut accipias magnam gratiam Spiritus sancti, debere te animum abstrahere à lacte materno, hoc est consolationibus spiritualibus, quas solet Deus initio conversionis tironi concedere, & parare te ad desolationum crucem ferendam, ideo enim Christus discipulis carnalem præsentiam suam subtraxit, ut Spiritus sancti gratia, qua cum gaudio etiam dura ferrent, fruerentur.

2. Spiritus sanctus quibus detur.

PUNCTUM II.

1. *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, justitia & judicio.* Considera, hoc fuisse signum adventus Spiritus sancti in Apostolos, quod cùm antè timidi essent, & ad vocem ancillæ cum Petro terrerentur, metu omni remoto Christum prædicarint, & mundum, id est, malos homines audacter arguerint: Primò de peccatis, quod converti nollent. Secundò de justitia, quòd crederent quidem, sed vitam non agerent sanctam. Tertiò de judicio, quia in nulla re facilius peccant homines quam temerè judicando de aliis. Unde Christus. *Nolite judicare & non judicabimini.* Cogita in te quoque fore Spiritum Dei, si mundum de his argueris.

1. Arguet mundum de peccato, justitia, judicio.

Luc. 6. 37.

PUN-

PUNCTUM III.

1. Dei bonitas.

1. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Considera Dei bonitatem non plura nobis imponentis, quàm ferre possimus, & ad captum omnium se accommodantis: quod non facit caro & mundus, plura sæpe exigens à suis, quàm portare queant. 2. Cogita quamvis multum nobis profeciisse sæpe videamur, tamen multa adhuc deesse. 3. Quanti te faciat Christus, quod non solùm seipsum totum, id est, corpus, animam & sanguinem, sed etiam Spiritum sanctum suum promittat, mansurum tecum in æternum, ne erres, vel labaris.

2.

3. Profusa Dei liberalitas.

DOM. POST ASCENSIONEM.

Cùm venerit Paracletus.

Joan. 15. 16.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Spiritus S. acceptinotæ.

1. Dixit Jesus discipulis: *Cùm venerit Paracletus Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis.* Considera inde constare te, vel alium Spiritum Dei habere, si nempe sit paracletus, id est, consolator afflictorum, verbóque & opere misericordiæ viscera miseris ostendat. 2. Si veritatis ita sit amans, ut etiam mendacia jocosa

2.

cosa & officiosa, omnésque fictiones horreat, non aliud corde, aliud ore loquatur omnis doli expers. 3. Si exemplo Apostolorum, posito omni metu ubique veritatem fidei à SS. Patribus ac ceptam, pro talento accepto, dum occasio tulerit, cum zelo tueatur, nec patiatur injuriosum aliquid dici in Christum, Sanctos, Ecclesiam, Christi Vicarium, &c. 3.

PUNCTUM II.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque Synagogis facient vos. Considera summam sollicitudinem & amorem Christi in discipulos, tam sedulo & crebro eos monentis de futuris persecutionibus, & odio summo Judæorum in eos secuturo, ne ideò vacillarent in fide, vel cogitarent se à Christo deceptos. Ut discas, si quando alios vel docebis vel eorum curam geres, omnem laborem impendere, ne à fide, vel à sancta vita inchoata deficiant, monere etiam proprium piorum esse multa pati, idque Deum permittere, ut major illis cedat corona in cælo. Persecutiones justorum.

PUNCTUM III.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Considera, sicut infideles hæretici putant se rem gratissimam Deo facere, si occidant Catholicos, cùm faciant ingratissimam, ita debes velle, tendere in contrarium & petere gratiam à Deo ita proficiendi, Desiderium patiendi pro Christo.

ciendi, ut possis aliquando sanguinem data occasione pro fide Catholica profundere, quod constat sacrificium Deo esse gratissimum, ut Christus hoc ipso sermone Joan. 1. declarat dicens: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ponat quis pro amicis suis.*

DOM. IV. POST PENTEC.

Christus docet è navi Petri Luc. 5.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Amor verbi Dei.

Verba irruente, Christus ascendit in navim Petri & in ea pusillum à terra reducta sedens docuit turbam. Considera quanto fervore turba hæc accurrerit ad audiendum verbum Dei; nos autem non ad audiendas pias exhortationes, sed ad audiendas nugas, & nova hujus sæculi pari fervore sæpe feramur. 2. Christum docere è navi Petri, ut ostendat Romanam Ecclesiam varijs tempestatibus in mari hujus mundi agitandam, ut virtus ejus magis elucescat, & te idem passurum si in ea persistas.

2. Procellæ in Ecclesiam.

3. Navim reductam fuisse à terra, quia doctrina Concionatoris & vita non debet esse terrena, sed cœlestis.

3. Doctrina cœlestis.

PUNCTUM II.

1. Cooperatio.

1. *Ut cessavit loqui, dixit Simoni: Duc in altum, laxate retia vestra in capturam: Et respondit. Tota nocte nihil cepimus: in verbo autem*

tem

tem tuo laxabo rete. *Rumpebatur autem rete ex copia piscium.* Considera Christum in concione movere corda, sed nostrum est cooperari illi, verbo & exemplo. Ducere nempe in altum, aspirare ad cœlestia & in nullo sibi parcere ad animas lucrandas. Laxare retia, id est, divinas scripturas breves verbis, sed laxas mysterijs si explicentur. 2. Nullum fructum, ex concionibus etiam magno labore factis capi, si fiant nocte, id est, in statu peccati, ad vanam gloriam, frigidè, citra voluntatem Dei & Superiorum. Si autem fiant in gratia & ad gloriam Dei, & Superiorum nutu, maximus est proventus. 2. Cur prædicatio inutilis.

PUNCTUM III.

PEtro ex stupore in genua lapso, & clamanti: Exi à me Domine, quia peccator sum, dixit: Noli timere, ex hoc homines eris capiens. Et relictis omnibus eum secutus est. Considera processum Petri in sua conversione, primò commodat ex charitate Christo navem, & recipit piscibus plenam. Petrus Christū sequitur 1. 2. Procidit ex humilitate in genua, & constituitur piscator hominum. 2. 3. Cupit exire à se Christum, & eo propius ad illum Christus accedit: nam relictis retibus secutus est eum, ut nunquam ab illo discederet. Sic ex parvis initijs pervenitur ad summa. 3. 4. Vide quales debeant esse piscatores hominum, nempe humiles, & qui prius se sinant capi à Christo, quàm alios capiant; deinde, qui Christi vitam & mores sequantur, contemptis 4.

ptis hujus mundi retibus, id est, opibus, honoribus, & voluptatibus.

DOM. VII. POST PENT.

De falsis Prophetis. Matt. 7.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Cur mali tolerentur.

1. JEsus dixit discipulis, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt in vestibus ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Considera bonitatem & sapientiam Dei, qui tantum malum, id est, falsos doctores, tot animarum perversores non permitteret, nisi majus bonum colligeret: ut discas ex quovis malo commodum spirituale colligere.

2. Qui mali.

2. Per falsos prophetas non tantùm intelligi hæreticos, & hypocritas, sed omnes qui carnalia & suavia obtrudunt sub specie virtutis, ut est caro nostra, mundus & diabolus: caro enim prædicit te non diu victurum si durè ipsam tractes, sed falso: quia sancti qui jejunia maxima coluere, diutissimè vixere.

3. Fraudes malorũ.

3. Intrinsecus illos esse lupos rapaces: quia etiamsi extrinsecus ostendant vestem ovilem, id est, promittant incolumitatem corporis, tamen quærunt intus occidere animam.

PUNCTUM II.

1. Fructus malorũ.

1. *A Fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere, & ideo excidetur, & ignẽ mittetur.* Considera, sicut quales hæ-

hæretici hujus temporis sint, opera ostendunt, utpote quæ prorsus carnalia (cùm ipsi refugiant omnia quæ carni & sanguini sunt molesta) sic etiam quales prophetæ sint caro & mundus, ostendunt effectus, reddunt enim conscientiam inquietam, fervorem pietatis tollunt, movent tentationes carnales, creant inconstantiam in vocatione, &c. 2. Expende hominem comparari arbori, quia sicut illa in terra plantata fructum cum ramis producit sursum, sic homo, licet in terra sit conversationem debet habere in cœlis, & fructus producere cœlestes, alioquin excidendus & in flammas æternas conjiciendus. 2. Homo arbori comparatus.

PUNCTUM III.

1. *Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum: sed qui facit voluntatem Patris, qui in cœlis est.* Considera nemmem ad vitam æternam venturum, nisi fidem, vel vocationem quam profitetur, opere compleat. Deus enim voluntatem suam declaravit immediatè quidem in divinis, mediatè verò in humanis Ecclesiæ, & cujusque sacræ Religionis præceptis & statutis. 2. Deum non tam ad externas ceremonias & opera, jejunia, cilicia, cantum in Ecclesia, quam ad cor purum respicere. *Hæc enim est voluntas Dei*, ait Apostolus, *sanctificatio vestra.* 1. Bona opera necessaria. 2. Corde puro. 1. *Tes.* 4.

DOM. XVIII. POST PENT.

De Paralytico. Matth. 9.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Quærenda sanitas animæ.

1. CHristus *paralytico in lecto jacenti, ob fidem deportantium eum, dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Considera Christum non rogatum, primò ei remittere peccata, ut discas prius in te aliisque sanitatem animæ quærere, quàm corporis: deinde, peccata sæpe esse causam morborum. 2. Considera bonum esse te versari in societate multorum piorum, ut si non tua fide & operibus, illorum saltem pietate & precibus sanitatem spiritualem impetres, maximè si paralyticus sis, id est, multis imperfectionibus obnoxius.

2. Utilis societas bonorũ.

PUNCTUM II.

1. Remedium malæ cogitationis.

1. JEsus *videns cogitationes blasphemas Scribarum, ait. Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere surge & ambula?* Considera, exemplo Christi nos doceri, quoties prava menti obrepit cogitatio, debere reprehensione nostri ipsam mox repelli, dicendo. Ut quid cogitas malum in corde tuo. 2. Servum Dei contra maledicos & detractores non aliis armis uti, quàm boni operis exmplo, ut hîc Christus fecit sanans paralyticum, ut ostenderet se posse remittere peccata, quod Scribæ putabant blasphemum.

2. Vince in bono malum.

PUN-

PUNCTUM III.

1. *TVnc ait paralytico, Surge, & tolle lectum tuum & vade in domum tuam.* Considera per paralyticum intelligi spiritualiter peccatorem, operibus meritoriis destitutum, vel otio turpi in sua vocatione marcentem. Is primò Deo confidens à vitiis vel imperfectionibus antiquis debet surgere, per bonum propositum vitæ emendandæ. 2. Tollere lectum, id est, corpus suum cogere servire justitiæ, quod prius servivit iniquitati, castigaréque illud jejuniis, disciplinis, &c. 3. Vadere in domum suam, id est, bonorum operum exercitio de virtute in virtutem proficere, donec perveniat ad domum, id est, ad patriam cœlestem.

1. Quomodo peccator sanatur.
1.
2.
3.

DOM. XX. POST PENT.

De Reguli filio. Ioan. 4.

PUNCTUM PRIMUM.

1. *REgulus rogat Iesum ut descendat, sanétque filium suum incipientem mori.* Considera vanitatem omnium quæ in mundo sunt; quid enim nobilitas, & opes profuere Regulo, ut à morte liberaret filium. 2. Dei sapientiam tam variis, mirísque modis homines pertrahentem ad salutem: occasione enim hujus lethalis morbi factum est ut & Regulus quæreret Christum: & tota ejus familia converteretur. Ut merito morbi & aliæ calamitates inter dona Dei sæpe

1. Nobilitas opesque inutiles.
2. Morbi, &c. dona sunt Dei.

sint reponenda, & optanda potius, quàm horrenda.

PUNCTUM II.

1. Increpatio salutaris.

1. *Dixit Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* Considera Christum duriusculè alloqui Regulum: tum, quòd fides ejus esset imperfecta: credebat enim ab eo quidem filium sanari posse, sed præsente, & ideo secundò petiit ut descenderet: tum quia divites qui in hoc mundo suas habent consolationes, sæpissimè non nisi increpationibus excitari queant ad curandam salutem. 2. Expende, num aliquid tuæ quoque fidei desit: si enim verè crederes Dei promissionibus de vita æterna, & comminationibus futuri judicij, purgatorij & inferni, longè ardentior esses in exercitatione pietatis omniúmque bonorum operum.

Fides imperfecta.

PUNCTUM III.

Applicatio historiæ.

Dicit ei Iesus, Vade filius tuus vivit. Credénsque Regulus sermoni ibat: & postquam ex obviis servis cognovit filium revaluisse eadem hora, credidit ipse, & domus ejus tota. Considera, te esse illum Regulum: quia regendas habes potentias animi tui internas & externas, omniáque membra, ut subsint Deo, & rationi. Filius tuus est anima tua, quæ dum lapsa est in peccatum mortale, aut lapsui proxima est, mox clamare debes ad Dominum, & si firmiter credideris, quòd solo nutu te juvare queat, non solùm a-

nima

nima à peccato liberabitur, sed etiam gratiam consequere alios convertendi.

DOM. XXII. POST PENT.

De numismate census. Matth. 22.

PUNCTUM PRIMUM.

1. *PHarisæorum discipuli cum Herodianis missi ut Christum caperent in sermone, ajunt: Magister scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, nec respicis personam hominum.* Considera: quòd sit ingenium improborum hominum, nempe alios malos sibi adsciscere. 2. Quod per se nequeunt, id per alios moliri. 3. Consilia inire contra bonos 4. Fictè agere. 5. Adulari & laudare. 2. Contra nota, piorum & Christi imitatorum esse, ut sint Magistri, id est, auctores bnorum operum aliis verbo & exemplo, deinde veraces, non ficti, qui scilicet promissa præstent. 3. Viam Dei docentes in veritate, non tractando nugas, sed pia colloquia usurpando, solidas virtutes proponendo & exercendo. 4. Neminem timentes, nisi solum Deum, ac omnibus liberè veritatem prædicantes, laudando bonos, increpando malos.

1. Facta improborum.

2. Facta proborum.

PUNCTUM II.

P*Etentibus an census dandus Cæsari, respondit Iesus. Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Et obtulerunt denarium signatum*

gnatum imagine Cæsaris. Considera Dominum adulatoribus non abblandiri, quia non tam volunt laudare, quàm suam quærere utilitatem; ut discas non diligere favores humanos. 2. Fictos & fraudulentos non posse diu latere. 3. Rectè nos facere, quando ex ipsorum verbis eos redarguimus: nam quia dixerant Christum non esse acceptorem personarum, illis non pepercit, sed hypocritas vocavit. 2. Considera, contra tentationes dæmonis, carnis & mundi quæ sit imago impressa animæ nostræ, nempe Dei, ad cujus imaginem creatus es, & in baptismo reformatus, adjuncto signo crucis, cum subscriptione: *Declina à malo, & fac bonum*, quod in baptismo promisisti: & si religionem ingressus es, cum inscriptione: *Serva paupertatem, castitatem, & obedientiam*, quia vovisti.

Homo imago Dei.

PUNCTUM III.

TVnc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Considera, nos per libertatem à peccato & dæmone, quam habemus per Christum, non eximi ab obedientia Superiorum, tam secularium, quàm spiritualium: tum quia illi vigilant pro nobis in temporalibus & spiritualibus: tum quia Christus, licet verè Dominus & Superior omnium, eximi noluit: jussit enim didrachma pro se & Petro dari, ne scandalizaret. 2. Hîc Cæsarem anteponi Deo, quia Deo obedire nequit, qui rebellis est Imperatori, vel Superiori suo immediato: sicut neque Deum diligere potest, qui proximum odit.

Parendum superioribus.

PRO-

PROPRIUM SANCTORUM,

DE S. ANDREA.

30. Nov.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctus Andreas, quem ab æterno elegit Deus, ut primus esset discipulus & Apostolus Christi, ejus socius in opprobrio crucis, assessor in die judicii, cohæres in gloriâ, ut esset Evangelii tuba, columna & fundamentum Ecclesiæ, natus est in Iudæâ, instructus à Joanne Baptista. Tum à Christo primus omnium Apostolorum vocatus & assumptus est in ministerium fidei, in laborum suorum, in crucis & gloriæ societatem. Expende vocationis hujus & tuæ gratiam: & quanti sit ad gratiam, & perfectionem consequendam bonos sive magistros & directores, sive socios conquirere.

Vocatur à Christo

PUNCTUM II.

HUjus vocationis gratiæ respondit sanctus Andreas. 1. Enim sine excusatione & morâ *Continuò relictis retibus secutus est Iesum.* 2. Petrum fratrem adduxit in cognitionem Christi. 3. Multa fecit & passus est pro nomine Iesu. 4. Ardentissimè Iesum amavit, & à Iesu multum amatus

Vocationi respondet. *Mat. 4. 20.*

amatus est. Unde Ecclesia de illo: *Dilexit Dominus Andream in odorem suavitatis.* Idque propter triplicem illius zelum. 1. Est, quem habuit suæ perfectionis, cùm ad scholam Ioannis Baptistæ, deinde ad scholam Christi accessit. 2. Est zelus animarum, quo ductus Scythiam, Thraciam, Achaiam, & tot barbaras nationes peragravit. 3. Est, quem habuit magistrum Christum perfectè imitandi tum in vita tum in morte, morte autem crucis, quam cùm paratam videret sibi, ejus in amplexus involans, *O bona crux*, inquiebat, *diu desiderata, &c.*

Vide quo affectu ad eam accedat. Audi illum ex ea concionantem, ex qua tunc tanquam ex cathedra plusquam viginti millia docebat hominum, & desiderio salutis accendebat.

Quantum distas ab his virtutibus! Quàm segniter vocationi tuæ respondes!

PUNCTUM III.

Remuneratur. 1. In hac vita. 2. In altera

LAborum suorum, suæque virtutis ingentem mercedem recepit, tum in hac vita, tum in alterâ. 1. In hâc vita, ubi tot gratiis, totque inter labores suos spiritalibus deliciis perfusus est, ubi virtutem miraculorum accepit, infinitarúmque propè animarum conversionem, & mortem denique crucis obtinuit. 2. In altera vita, ubi nunc eminentem Apostoli gloriam possidet, lauream martyris, assessoríque cum Christo in gloriâ & in futuro die judicii sedem & potestatem. O quanta qualisque merces!

Gratu-

Gratulare Sancto, & imitare virtutes, si gloriam velis assequi.

DE S. FRANCISCO XAVERIO.

3. Dec.

PUNCTUM PRIMUM.

1. CUm Deus S. F. Xaverium in Apostolum Indiarum elegisset, singularibus illum gratiæ naturæque dotibus ad tantum opus ornavit. 2. S. Ignatij condiscipulum & contubernalem fecit, quem cùm salutaria monentem primùm minus audiret, ejus deinde adhortationibus & exemplis ad tantum Dei amorem, sui mundíque odium & contemptum inflammatus est, ut se ei socium adjunxerit, ad sequenda consilia Evangelica, & Societatem condendam quæ tota saluti animarum vacaret. 3. Suffectus est in alterius ægrotantis locum, qui ad iter Indicum destinabatur. Mirare, & lauda divinam providentiam, quæ sic omnia fortiter & suaviter disponit, ut semper ad propositum finem perveniat. Spera si totum teilli commiseris, perficienda omnia ad quæ te destinavit; quare ei gubernandum te penitus trade.

1. Indiarũ & Japoniæ Apostolus
1.
2.
3.

PUNCTUM II.

DIgnum se tanta vocatione Xaverius effecit. 1. Puritate mentis & corporis tanta, ut etiam in somnis impuras ab se cogitationes repel-

Respondi tanto muneri.
1.

repelleret. 2. Magnimitate incredibili, nihil fugiendo, quantumvis arduum ac naturæ contrarium esset. Sic fœdissimum ulcus exsugere non dubitavit : quo facto id consecutus est, ut in nosocomijs nihil deinceps non suave esset. Tanti est animum semel penitus vicisse! 3. Patientia heroïca in laboribus, injurijs, calumnijs, morbísque gravissimis perferendis. 4. Humilitate qua, licet Legatus à latere, vilissimis quibusque se subjiceret, ad abjectissima quæque officia se demitteret, etiam pedis sequi, ut cum mercatore, cui se servum adixerat, urbem Japoniæ ingrederetur : & cùm omnibus esset admirationi, se omnium contemptu dignum tanquam miserum peccatorem judicabat. 5. Obedientia tam singulari, ut ad minimum Sancti Ignatij nutum paratus esset à tam ingentibus cœptis desistere, ut in Europam rediret. 6. Indefesso orandi studio, ut licet diurnis laboribus fractus in eo pernoctaret. 7. Zelo divinæ gloriæ, & animarum salutis ardentissimo, quo inflammatus fidem Christi in 23. regna intulit, decies centena hominum millia ad Christum convertit, ac remotissimas demum orbis regiones per undecim millium leucarum peregrinationes, per naufragia, per ingentes omnis generis labores, persecutiones, & sexcenta vitæ pericula adijt. 8. Fiducia in Deum admirabili, qua animatus Mauricam inprimis atque ad immanissimas Gentes, ut Christum prædicaret sine pecunia, amicis, omnique subsidio humano

solus

solus penetravit, certus, si navis negaretur, maria natando trajicere. Erubesce quod tam longè absis ab his virtutibus, quodque tam negligenter cures propriam salutem, cùm ille tam diligenter curaret alienam.

PUNCTUM III.

COnsidera demum quibus præmijs Deus tantas virtutes totque labores affecerit. 1. Apostoli nomine & dignitate. 2. Consolatione uberrima, ut exclamaret, *Satis est, Domine, satis est*: cùm contrà oblatis pro Christo laboribus diceret. *Amplius, Domine, amplius.* 3. Tanta miraculorum patrandorum potestate, ut sit hujus sæculi Thaumaturgus. 4. Incorruptione corporis post mortem. 5. In cœlo Virginis, Doctoris, Martyris, & Apostoli laurea. Sancto gratulare, & sic statue, si adspiras ad eadem præmia, illa per labores, & ærumnas ejus exemplo esse promerenda.

Remuneratur. 1. 2. 3. 4. 5.

DE SANCTO NICOLAO. 6. Dec.

De quinque talentis. Matt. 5.

PUNCTUM PRIMUM.

GRatiarum, quas Deus initio largitur, bonus usus novas gratias promeretur, eásque plures aut pauciores, pro cujusque fidelitate ac divinæ providentiæ consilio. Tanti est bene cœpisse & donis cœlestibus bene uti. Sic sancto Nicolao primum *Dominus tradidit quinque talen-*

Accepit à Deo 5. talenta.

talenta, scilicet bonam indolem, animum docilem, peccati odium, discendi facilitatem, atque in docendo facundiam. Hîc Deum lauda, gratulare Sancto, qui potuit dicere, *Sortitus sum animam bonam*, & deinceps talentis quæ accepisti, contentus potius vive, & bene utere, quàm ægrè feras aut paupertatem tuam aut divitias aliorum. Dona largiri Dei est, hominis bene impendere. Sat multa habebis, si Deus concedere plura nolit. Ac si fortè nova desint, priorum malum usum, non denegantis providentiam accusa. Denique laus est Christiani, rectè uti talentis acceptis, non multa accepisse.

Sap. 8.

PUNCTUM II.

Alia 5. superlucratur.

DOminus quinquè talenta tradidit fideli servo Nicolao: *Ecce alia quinque superlucratus est.* Etenim si à materno lacte feria quarta & sexta ad vesperam infans abstinuit, si puer in oratione coram Domino animam suam effundebat, si in pauperes cibos erogabat, si tenerum corpus affligebat, si literis assiduam operam dabat: posteà Sacerdos & Episcopus omnes opes pauperibus largitus est, quotidianum servavit jejunium, die noctúque fuit assiduus in oratione, exilij & carceris molestias tulit, sacræ Scripturæ legendæ ac meditandæ otium insumpsit, suísque studijs usus est pro religione, fide & virtute defendendis contra idololatriam, hæreses & vitia, ac se suósque feliciter con-

conservavit iis temporibus, quibus aut seipsum suósque, aut omnia perdere debuit.

O felix commercium scientiæ, quæ saluti animarum servit! ô quàm benigne Salvator hominum excipiet aliquando eum, qui totum se saluti hominum impenderit! O homo quæ tua scientia est si ignoras Sanctorum scientiam, hoc est scientiam salutis. Hanc si calles, alios doce, & ex fidelitate sancti Nicolai, quàm sis infidelis servus, æstima: dole, & imitationem boni servi pollicere.

PUNCTUM III.

EVge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. His tandem verbis mortuum servum optimus Dominus excepit: cujus etiam fidelitatem in usu talentorum acceptorum remuneratus est alijs quinque singularibus privilegijs. Dedit enim sancto Nicolao potestatem summam in tempestates, in morbos, in sterilitatem mulierum, in captivos ac vinculis detentos; sed præsertim in peccata, ad edomandos induratos peccatores & revocandos ad pœnitentiam. Unde hodie Ecclesia per merita sancti Nicolai Deum obsecrat *ut à gehennæ incendis liberemur.* O gehenna malum maximum & maximè commune! quàm pauci æternæ gehennæ horrenda supplicia fugiunt, cùm tamen leves brevis vitæ miserias à se repellere omni studio conentur! Quæ tua super

Remuneratur 5. privileg.

Luc. 6. 33.

Quàm potens à Christo.

Iac. 5. 1.

super ea re mens est? Demum vide quibus potissimum ex his quinque privilegijs juvare te S. Nicolaus possit, opémque illius pro te ac peccatoribus induratis implora.

---

27. Dec. # DE S. IOANNE EVANGELISTA.

PUNCTUM PRIMUM.

Jesus amat Joannem præ ceteris. *Ioa.* 21.

IEsus, cùm hominibus nihil debeat & bonorum nostrorum non egeat, quos vult & quantum vult, diligit. Dilexit autem omnes Apostolos suos, quos non ut *servos* habuit, sed ut *amicos*; præ cæteris verò etiam Apostolis sic amavit Joannem, ut vulgo appellarerur *Discipulus quem diligebat Jesus*, quasi solum Joannem Jesus dilexisset. Hîc agnosce, quàm meritò dici possis, Discipulus quem diligebat Jesus, & dulce hoc atque honorificum nomen tibi gratulare, & gratias age.

PUNCTUM II.

Notæ illius amoris.

Chrysost prol. sup. Joan. Orig. in Joan.

NOtæ amoris Jesu in Joannem quinque. 1. mentem ejus implevit perfectissima cognitione divinitatis & humanitatis suæ, Ecclesiæ militantis, & Triumphantis mysteria ipsi revelavit, rerum denique omnium præteritarum, præsentium & futuratum mirabilem notitiam infudit. 2. Voluntatem ejus sic Dei proximíque amore incendit, ut nihil haberet in corde, nihil in ore, nisi amorem; nihil faceret, nisi

ex

ex amore. 3. Mentis & corporis puritatem eam dedit, quæ decebat destinatum Mariæ filium. 4. In cæna permisit recumbere supra pectus suum, ex quo quid non hausit! 5. Voluit eum adesse, dum ipse biberet calicem Passionis, & in tempore afflictionis recordatus est illius. Sic Jesus amavit Joannem. *Non verbo, neque lingua; sed opere & veritate.* *Ioa. 19.* *1. Ioan. 3. 18.*

PUNCTUM III.

JEsum redamavit Joannes, nec fuit felicior quod diceretur & esset Discipulus quem diligebat Jesus, quàm quòd esset & verè dici posset Discipulus qui diligebat Jesum. Tu Joannem imitare; & quia profectò amaris à Jesu, nisi ingratus esse vis, cum Joanne redama Jesum, ut sis quoque, & verè dici possis, Discipulus qui diligit Jesum. Joannes redamat Jesum.

PUNCTUM IV.

NOtæ amoris Joannis in Jesum quinque. 1. Eum ut in montem Thabor, sic in hortum olivarum, in domum Principis Sacerdotum, in montem Calvariæ secutus est. Quippe *omni tempore diligit qui amicus est.* 2. Illatas Christo injurias impatientissimè tulit, unde in Samaritanos, qui Jesum non exceperant, ignem de cœlo evocare voluit. 3. Perpetuam virginitatem cum profunda humilitate & summa mansuetudine conjunxit, ut his tribus virtutibus similem se & gratum faceret ei qui dixerat. *Di-* Notæ illius amoris. *Matt. 16. 18. 17. Luc. 8. Prov. 17. 17. Luc. 9. 55.*

scí-

Matt. 11. 29. *scite à me quia mitis sum & humilis corde.* 4. Omnes homines ad amorem Jesu inflammare conatus est sermonibus & epistolis. 5 Pro dilectissimo Jesu cæsus est, in exilium actus, dolio ferventi immersus, veneno potatus, ad crucem cùm staret, eodem cum Mariâ doloris gladio transfossus. Sic Jesum diligebat Joannes. *Non verbo, neque lingua sed opere & veritate.* Itane tu quoque Jesum diligis, qui te prior dilexit? Vide in quibus rependere ipsi amorem possis, & pollicere.

---

3. Jan. # DE SANCTA GENOVEFA

Lutetiæ Patrona.

PUNCTUM PRIMUM.

Qualis ex se Patrona.

COnsidera qualem Deus Lutetiæ Patronam dederit; nempe ignobilem puellam, pauperem, infirmam, indoctam & ab agro rudem primatiæ florentissimi, opulentissimi, doctissimíque regni civitati: Siccine *infirma mundi* 1. Cor. 1. 22. *elegit Deus ut confundat fortia?* Homines cùm finem aliquem intendunt, media adhibent idonea, si prudenter agant: at Deus fons veræ lucis & sapientiæ in exhaustus contrarijs medijs sæpe finem assequitur, ad delicias nos vocat per pœnitentiæ luctum, ad veras divitias per summam egestatem, ad gloriam immortalem per contumelias & probra, ad supremam beatitudinem, per laboriosam vitam, & omnibus ærumnis

ærumnis obnoxiam. Quid ita ? Certè sicut intentio finis est, ita electio mediorum: si verò plura sese media offerant, unum præ aliis idcirco eligimus, quia major in eo bonitas elucet comparate ad finem. Cùm ergo Deus his tanquam mediis ad beatitudinem & perfectionem nostram utatur, meliora judicet necesse est. Nec fallitur, cùm sit suprema veritas : nec fallit cùm sit bonitas infinita. Sequere ergo Dei judicium, contemne mundi fastum, opes, inanem gloriam ; & quidquid homines mirantur. Noli cum Petro dicere. *Bonum est nos hic esse. Nesciebat quid diceret.* Si quæris beatam vitam, sequere vestigia Sanctorum, crucem ama, crucem amplectere. Hanc Christus sponsæ suæ Genovefæ pro dote dedit, & amoris sui pignore. *Luc. 6: 33.*

PUNCTUM II.

COnsidera quantam potentiam puellæ ex infimo pastorum grege Agnus immaculatus contulerit. Fames urbem opulentam premit : abundant divites auro & argento ; nec tamen vitæ suæ providere possunt. Adit Genovefa vicinos pagos, redítque cum tanta frumenti copia, ut abundet in urbe, quod ante deerat. O divitem paupertatem ! *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, divitiæ vestræ putrefactæ sunt, aurum & argentum vestrum æruginavit.* Templum Deo in honorem Sancti Dionysii extruendum. Una Genovefa lapides, *Iac. 5. 1.*

Quam potens à Christo.

cæmenta, & quidquid ad ſtructuram ædis ſacræ neceſſarium eſt, reperit : vinum quoque, è dolio quo operarij utantur, per totum annum non deficiet. Quis hoc Regum poſſit! 2. De ſapientia hoc unum dicam. Per triduum rapta inſtar Pauli. *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hinc nunquam terram reſpiciebat, quin inferorum ignium recordaretur : nunquam oculos attollebat ad cœlum, quin ad æternam patriam aſpiraret. Crucifixum nunquam intuebitur quin introſpiceret in eo omnia virtutum inſtrumenta, incitamenta divini amoris, remedia vitiorum. O ſingularem ſapientiam, ſine quâ reliquæ prorſus inutiles ſcientiæ! Hæc demum vera, ſolida, & ſalutaris ſcientia, *ſcire Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum.*

Et ſapientia cœleſti inſtructa 2. *Cor.* 12. 4.

PUNCTUM III.

Quomodo colenda.

CÔnſidera qualem honorem habere debeas huic inter te Deúmque potentiſſimæ mediatrici. Genoveſa Regina non fuit: Reges tamen, & Principes, & Magiſtratus ſupplices cernit pedibus ſuis advolutos. Si febres, peſtis, intemperies cœli graſſatur, cætera prodeſſe nihil admodum poſſunt. Certatim populi ad imbecillam puellam recurrunt, ad pauperem, ad ignobilem ; ſed ſanctam, & Deo gratam : & votis abſque mora potiuntur, Cur ita? *Ut non glorietur omnis caro* ; Ut æſtimes quæ verè æſtimanda ſunt, paupertatem, humilitatem, infirmitatem pro Chriſto : denique ut quas ipſa

1. *Cor.* 1. 32.

coluit

coluit virtutes, imiteris, maximè verò castitatem, patientiam, pietatem, & innocentiam, quam ab infantia usque ad extremum spiritum illibatam servavit. Is enim cultus omnium longè gratissimus, & utilissimus: imitari quam colas.

DE S. FRANCISCO SALESIO.

29. Jan.

Idea vitæ spiritualis.

PUNCTUM PRIMUM.

S. Fr. Salesius sibi mortuus fuit, 1. enim *continuò non acquievit carni & sanguini* moriendo vitæ sensuali, sensus omnes custodiendo admirabili modestia, maximè verò carnem domando perpetua virginitate, quam Beatæ Virgini consecraverat adolescens. 2. Passiones omnes, eásque inprimis quæ magis innatæ sunt, iræ & inanis gloriæ, extinguendo sic, ut fel ejus lapidesceret, & audito Cardinalatum sibi à S. Pontifice propter egregia in Ecclesiã merita sperandum, hunc sermonem maximo honorum, contemptu, majori audientium stupore rejiceret. Ipse ingressus in Clericalem statum, recusata in senatu Sabaudiæ amplissima dignitate insignis fuit. 3. Cùm mors spiritualis *Pacificet totum hominem*, erat in illo pax & tranquillitas admirabilis, qua fiebat ut nulla prorsus re quasi mortuus moveretur. Hoc autem assecutus est, omnes animi motus explorando diligenter, & assi-

Sibi mortitur. 1. *Gal.* 1. 16. 2. 3.

dua cura refrænando: quare in ira comprimenda fassus est se annos 20. posuisse. O si ita invigilares tibi, & passionibus bellum indiceres! Vide quid potissimum pecces & emendationem pollicere. O si omnia mundi oblectamenta cum ipso fugeres, nec sine fastidio, quando necesse esset, admitteres!

PUNCTUM II.

Vivit Deo 1. *Gen.* 5. 24.

NOn satis habuit mori sibi, nisi Deo viveret. 1. Memoria ejus divina fuit: etenim semper *ambulavit cum Deo*, quem præsentem, etiam inter gravissimas occupationes, intuebatur. 2. Intellectus plenus Deo fuit, ut vel ex divinis ejus scriptis, concionibus, colloquiis 2. 3. intelligitur. 3. Maximè voluntas ejus in Deum transformata fuit, Deum unicè ac tenerrimè amando. Unde nec inferos, inquiebat, timeo, nec cœlum amo: sed inferorum cælíque Dominum unicè diligo. Utinam nos, qui unicè Deum non amamus, spretis vanis timoribus, amoribúsque, uno inferorum timore, cœlíque 4. amore moveremur. 4. Efficiebat hæc in Deum charitatis transformatio, ut nihil vellet præter Deum Deíque voluntatem. Itaque Deus illi erat *omnia in omnibus* sive prosperis, sive adversis, quibus ejus animus ne leviter quidem movebatur: quia, ut aiebat, qui nititur immobili, non movetur. Hinc fassus est, si sanctissima Monialium societas, quam tanto studio curísque instituerat, dissolveretur, se nullo modo perturban-

bandum eſſe. An verè cum ipſo dicas: *Mihi adhærere Deo bonum eſt. Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei?* Hoc ut aſſequaris, Deum crebro & affectuosè cogita. *Pſ. 72. 20.*

PUNCTUM III.

MIraculi inſtar eſt in S. Franciſco Saleſio quod cùm eſſet mitiſſimus, idem tamen flagrantiſſimo zelo pro ſalute proximi arderet. Huic zelo præerat. 1. Spiritus ſcientiæ, unde erat *potens in ſermone coram omni populo*, & etiam num ejus opera ſpiritualia cæleſtem doctrinam, pietatem, unctionémque divinam ſpirant. 2. Spiritus ſapientiæ, quo peccatorum & ſpiritualium hominum animos mira prudentia tractabat. 3. Spiritus fortitudinis, tum in laboribus infinitis, contumeliis, perſecutionibúſque mira mentis æqualitate ac robore tolerandis: tum impendendo ſe totum Catholicorum & hæreticorum ſaluti, quorum ſeptuaginta duo millia ad Catholicam fidem reduxiſſe dicitur, idque ſingulari ad totam vitam conſtantia. Adde ſanctiſſimarum Monialium inſtitutionem, quarum inſignibus virtutibus ad finem ſæculorum zelus ipſius vigebit. Mitte nunc, Domine, in meſſem tuam operarios ejuſmodi aliquos. Quam erubeſco cum meam in ſalute propria & aliena ſocordiam cum illius zelo comparo. Da, Chriſte, ut mihi moriar: ſic enim & tibi & proximo vivam. Vivit proximo *Luc. 24. 19.* 2. 3.

7. Mart.

DE S. THOMA AQUINATE

PUNCTUM PRIMUM.

Vocatio ad Dominic. ordinem 1.

COnsidera. 1. quanta alacritate animi, spretâ mundi vanitate & splendore natalium, litterarum humaniorum studiis jam confectis, Ordinem sancti Dominici amplexus sit. Fuit hoc sane pietatis erga Mariam suæ non leve præmium cui à teneris annis singulariter devotus fuit. Disce hinc Mariæ maturè te dare & ab illius obsequio nunquam discedere: servus enim Mariæ nullus perit. 2. Quæ constantia! per vim raptus à fratribus, & deductus in arcem, ac per biennium variè exagitatus, nullis aut matris sororúmque precibus ac blanditiis, aut fratrum minis à divina vocatione abduci potuit. Sequere tanti viri exemplum, & quocumque te Deus vocat, si necesse est, per calcatum perge patrem, &c. 3. Quanto animi robore carnis illecebras repulerit, quando mulierem pellicientem ad peccatum arrepto titione fugavit. Tum per quietem visus est ei Angelus lumbos astringens: ex quo tempore omni prorsus libidinis sensu caruit. Tanti est illustrem de voluptate victoriam semel retulisse.

2.

PUNCTUM II.

Doctrina singularis, & sancta. 1.

COnsidera. 1. Coloniæ tum Philosophiæ tum Theologiæ studiis ita vacasse, ut non doctrinæ modo, sed & omnis religiosæ virtutis, pie-

pietatis, obedientiæ, charitatis, modeſtiæ, & ſilentii palmam tulerit: ratus indignum Chriſtiano eſſe & religioſo viro, quacumque occupatione teneatur, in ea omnes virtutis occaſiones non avidè amplecti. Et verò ſi quiſque in arte ſua excellere ſtudet: quam culpandus ille eſt, qui Chriſtianam aut religioſam amplexus vitam, perfectionem aſſequi negligit? 2. Quanta admiratione & concurſu, annos 25. natus Theologiam tradere cœperit. Sed tantæ doctrinæ cauſam attende. Nunquam ſe lectioni aut ſcriptioni dabat, niſi poſt orationem. In difficillimis quibuſque ſacræ Scripturæ locis etiam adhibebat jejunium: unde & quandoque faſſus eſt, ſe quidquid ſciret, non tam ſtudio aut labore ſuo, quàm divinitus accepiſſe. Sic habeto, cunctarum rerum ſucceſſum à Deo pendere, & petendum eſſe. 3. Raro exemplo ſummæ doctrinæ famam cum ſumma humilitate conjunxit. Quare honores à SS. Pontificibus oblatos, in iiſque Archiepiſcopatum Neapolitanum recuſavit.

2. Unde petita.

3. Cum humilitate conjuncta.

PUNCTUM III.

COnſidera. 1. quot academias doctrinæ ſuæ excellentia, ſubtilitate, ac ſplendore illuſtrari. Certè ſolis inſtar Pariſiis, Bononiæ, Romæ, Neapoli fulſit, cujus deinde radii per univerſum orbem, utilitate totius Eccleſiæ maxima, diffuſi ſunt: ſic ut Angelici Doctoris nomen meritò conſecutus ſit. 2. Neapoli, cùm

Doctrinæ illius utilitates.

1.

2.

cùm ad imaginem Crucifixi vehementius oraret, audivit hanc vocem, *Bene scripsisti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipiens? at ille non aliam, Domine, nisi teipsum.* Quod ei rursus contigit, Ecclesiasticum officium de S. Sacramento scribenti. O si facta tua sic Deo probarentur! Disce hinc magnifacere hujus Sancti doctrinam & cum eo non humana aliqua præmia doctrinæ tuæ sperare, sed divina, ac Deum ipsum. 3. Pluribus in vita miraculis, & post mortem claruit.

---

21. Mart

DE SANCTO BENEDICTO.

PUNCTUM PRIMUM.

Cur Deus ordines religiosos instituit

DEus varios religiosorum Ordines instituit. 1. Ut homo idem ageret pro Deo, quod Deus pro homine. Quemadmodum enim Deus homini non largitur solùm necessaria, sed alia plurima summa liberalitate concedit: ita homo non solùm obsequium necessarium tribuere debebat Deo, servando ejus præcepta; sed eum etiam decebat, sequendo ejus consilia, quasi liberalius cum Deo agere. 2. Ut triplici castitatis, paupertatis & obedientiæ voto totum Satanæ imperium rueret. 3. Ut imperium Christi magis ac magis stabiliretur, ejusdémque vita sanctissima, quæ tota nec ab uno homine, nec ab uno religioso Ordine satis exprimi poterat, à variis religiosis Ordinibus adumbraretur.

1.

2.

3.

Hinc

Hinc vides quanti debeas ſtatum religioſum æſtimare.

PUNCTUM II.

Virtutes Benedicti Religioſorum parentis.

SAnctum Benedictum non modo ad præſtantem illum ſtatum vocavit Deus: ſed etiam elegit, ut ſanctiſſimi ampliſſimíque Ordinis Pater eſſet ac fundator. Vide quot donis eam ob cauſam, quot gratiis atque virtutibus fuerit illuſtratus. Nam 1. vix natus erat annos quatuordecim, cùm mundum faſtidiens ſe in ſolitudinem ac ſpelunçam abdidit. 2. Carnem ſuam odio habebat, eámque multis jejuniis vigiliiſque macerabat. Inſigne eſt quod ſe in vepribus tamdiu volutavit, dum lacerato corpore impuræ voluptatis ſenſus dolore opprimeretur. Ex quo vita reliqua ab hujus generis tentatione planè immunis fuit. Tanti eſt ſemel ſe fortiter vincere. 3. Magnæ erat in ferendis aliorum defectibus patientiæ. 4. Incredibilis fiduciæ erga Deum. quâ ſperabat ea quæ deſperaret humana prudentia. 5. Animarum zelo flagrabat, quo impulſus incolas Caſſini montis ad Chriſtum convertit, & adoleſcentes multos erudiendos ad pietatem ſuſcepit. 6. tanta in Deum charitate fervebat, ut totus Deum ſpiraret. 7. Conſpicuus erat admirabili ſapientia, qua regulas Ordinis ſui tam apte condidit, ut orationis exercitio manualia opera, ſolitudini communitatem, ſubditorum erga Superiores ſummam obſervantiam cum ſumma

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Superiorum erga subditos suavitate, assiduitatem in choro cum charitate in proximum, vitam perfectam cum infirma natura, Martham cum Maria admirabiliter conjunxerit.

PUNCTUM III.

Præmia ejus virtutibus concessa

1. In hac vita.

IGitur tam sublimi vocatione dignum se sanctus Benedictus exhibuit; sed dignam à Deo tum in hac vita, tum in altera mercedem recepit. 1. In hac vita quidem in qua Ordinem suum vidit florentissimum, in omnes prope nationes propagatum, Ecclesiæ honorificum, omnibus salutarem: in quo ordine tot habebat Angelos quot religiosos, in quem tam multi Reges, Principes, Optimates ingressi sunt, ex quo tot in Pontificum, Ecclesiæ Principum, Sanctorúmque numerum translati sunt. Præterea illustris fuit dono miraculorum & prophetiæ qua & futura & occulta prædicebat, quod Totilæ contigit. 2. In altera vita, ubi nunc eminenti gloria fruitur, & innumerabili Religiosorum suorum multitudine coronatur.

2. In altera

DE S. FRANCISCO A PAULA

2. Apr.

PUNCTUM PRIMUM.

Vocatur ex eremo ad multorum salutem

COnsidera primum singularem providentiam Dei evocantis ex eremo Franciscum ad procurandam hominum salutem: tum expende incredibilem obedientiam divini illius hominis, qui omissis primo Dei impulsu suavissimis eremi

mi deliciis, numeroſiſſimam familiam componit, ipſis inferis formidandam. Mirare porro homines paupertate ſua contemnendos, omni mortificationum genere in ſe ſævientes, amatoréſque crucis rantum in rep. Chriſtiana præſtare adverſus mundum, carnem & diabolum. Horum autem omnium author Franciſcus fuit pauper ille quidem, atque humili loco natus: *Infirma* enim *mundi elegit Deus ut confundat fortia*: An non tu quoque venies in partem iſtius muneris? Deo vocanti obſequentiſſimus Eccleſiæ defenſor, carnis mundíque hoſtis acerrimus: ſaltem zelum tuum exerce ad tuæ ſalutis procurationem, ſi alienæ non vacas. 1.Cor. 1. 27.

PUNCTUM II.

COnſidera humilitatem Franciſci incredibilem, qui cùm à Pontificibus, Regibus, principibúſque viris honorificentiſſimè haberetur, ſexcentis miraculis clarus, factúſque ipſe omnibus ingens miraculum, ſe tamen omnium peccatorum nequiſſimum, hominúmque omnium minimum inclamabat: atque ideo, Chriſte, eo extollebas altius famulum tuum, quo ſe ille magis abijciebat; *Depoſuit* enim *potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Sæviebat verò in ſe crudeliſsimum in modum Franciſcus flagellis, fame, ſiti, nuditate rerúmque omnium abſtinentia, mortificationem ut decebat Paulus, in corpore ſuo circumferens; ratus ſcilicet afflictionem corporis non ſolùm conferre

Humilitas ejus.

Et mortificatio.

Gradus ad caritatem.

ferre plurimum ad humilitatem animi ; sed etiam ad divinam charitatem excitandam. Quæ res faciebat ut homo sibi rebúsque omnibus veluti mortuus vacaret soli Deo, in rebus creatis Deum unum contemplaretur, diviníque amoris flamma, quæ in omnibus agebatur, quamque ordinis sui tesseram esse voluit, omnium animos accenderet. Vide abjectione animi & corporis vexatione, gradum ad summam in Deum charitatem fieri.

PUNCTUM III.

Merces 1. In hac vita.

COnsidera ejus virtutes à Deo infinitis prope miraculis remuneratas in hac vita fuisse, ut aquis, ignibus, morbis, morti imperaret : eundem in pretio fuisse apud summos Pontifices, Reges, &c. inimicos ipsius Ordiníque ab eo instituti veniam ab ipsomet supplices petísse. Post mortem verò perpetuam ejus virginitatem ac mortificationes, corporis incorruptio est consecuta; humilitatem singularis Christianorum plerorumque cultus , quos miraculorum copia etiamnum allicit. Demum ex apostolica vita, qua tam multos convertit ad meliorem frugem, & ex Ordinis sui meritis, lauream in cœlo peculiarem retulit. Tu si quid obtinere à Deo velis, potentissimum patronum invoca, & si supparem mercedem speras, virtutes imitare.

2. Post mortem.

DE

DE SANCTO MARCO. 25. Apr.

Leo fortitudinis, & Sancti Marci symbolum.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera S. Marci fortitudinem in instituendis ad sanctissimum vitæ genus Christianis Alexandrinis quibus præerat. Etenim *erant illis omnia communia, erat cor unum & anima una*, perpetua die, noctúque pietas in Dei laudibus celebrandis, carnis & vini abstinentia, migratio in solitudinem, ut cœlestem potius & Angelicam vitam, quàm humanam agerent. Neque impediri à proposito potuit vel obtrectatione hominum, vel persecutionibus ullis quas passus est, quia novum erat hoc vitæ sanctioris genus, alienum à sæculi vanitate, à mollitie corporis, à superbia vitæ. Disce ejus exemplo *non erubescere Evangelium*: quia *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Et si cogites statum vitæ perfectiorem, ne timeas hominum judicia: *Qui enim judicat te, Dominus est.* Disce etiam proimos, maximè subditos tibi, ad perfectionem sedulo promovere.

1. Gradus fortitudinis aggredi fortiter. *Act.* 1. 32. Cass. 2. Instit. Euseb. hist. 15. Niceph. lib. 1. c. 16. *Rom.* 1. 16. 1. Cor. 3. 19. 1. Cor. 4. 4.

PUNCTUM II.

NIhil egisti, dum rem inchoasti difficilem, nisi in ea constanter perseveres: bona enim consilia, nisi fervor & constantia adsint, desidia & languore corrumpuntur. Hinc Christus:

2. Gradus fortitudinis perseverare in incepto.

Luc. 9. 62. Christus: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Is est secundus fortitudinis gradus, qui summopere in S. Marco eluxit. Ex quo enim se dedit vitæ perfectiori, nihil remisit, vel ex austera vivendi ratione, vel ex studio orationis, vel ex voluntaria castigatione corporis, vel ex charitate erga proximum. Imo hanc scripto Evangelico ad Christianos omnes atque ad omnia tempora propagavit. Vide an pietas tua, an studium orationis, an charitas in te perseverent, atque in dies augeantur. Vide infelicem eorum exitum, qui in suscepta pietate non permanserunt. Auspicato Saul regnum exorsus, infeliciter concluſit: vixit quidem aliquot annos Salomon, secundùm scientiam & sapientiam sanctorum: at postea *Depravatum est cor ejus.* Time & tu ne deficias aliquando: promitte adjuvante gratia in bonis operibus constantiam: dicito spiritui fortitudinis, *Da robur fer auxilium.*

3. Reg. 11. 4.

3. Gradus fortitudinis, opus inceptum ad finem perducere aut mori.

PUNCTUM III.

AUt vincit leo aut moritur: is est postremus fortitudinis gradus, in quo S. Marcus excelluit. Dum enim sacrum faceret, deprehensus à sacrilegis, captúsque, & miris vexatus modis, per vicos & plateas raptatus est; ut qui præfuerat verbo, idem exemplo omnibus præesset. In hoc tormenti genere desiit vivere, & sic prius vitam quàm constantiam amisit. O anima mea. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabit tibi*

Baro. a. 61. *Num.* 1. *Apoc.* 2. 10. *2. Tim.* 4. 7. *c.* 2. §.

bi Deus coronam vitæ : bonum certamen certa, cursum consumma: non enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit & cursum consummaverit. Certamen incœpisse nihil profuerit, nisi prælij finis victoria sit: satius est malè incepisse, quam si bene inceperis, & malè finias. Paulus malè inchoavit, sed bene concluſit : sic cucurrit, ut tandem comprehenderit. Ne desperes etiamsi aliquando non tam piè vixeris, modò nunc piè vivas, & piè finias : *In homine Christiano non laudantur initia, sed finis.*

DE SS. PHILIPPO ET IACOBO. 1. Maij.

PUNCTUM PRIMUM.

COgita 1. quid sit esse Apostolum Christi. Apostoli
Apostolus Christi habet tria. 1. Discipulus est & primus minister Christi. 2. Est Evangelij tuba, primúmque Ecclesiæ firmamentum. 3. Primus est socius tribulationum, laborum & gloriæ Christi. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum! Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem!* Ps. 138. 17. Rom. 10 15. Et Martyres. Cogita 2. quid sit esse martyrem Christi. Martyr Christi habet tria. 1. Deum ardentissimè amat. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis?* Io. 15. 13 2. Fi-

dem

dem suo sanguine firmat ac stabilit. 3. Chri-
Tert. sto & Ecclesiæ novos filios generat, *sanguis*
Ps. 115. *martyrum semen Christianorum.* Quam ergo
15. verè *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus!* Pretiosa mors Philippi, qui Hierapoli, postquam multa passus esset pro nomine Jesu, pro eodem Jesu, ut Jesus, in cruce mortuus est. Pretiosa mors Jacobi, qui Ierosolymis ipso die paschatis, dum Christi divinitatem prædicaret, è summo templo deturbatus in terram, multísque ictibus confossus, martyrium consummavit.

PUNCTUM II.

De S. Philippo. 1. PRæter illa duo quæ S. Philippus habuit communia cum sancto Jacobo, habebat adhuc tria quæ attentius considerabis. 1. Introductor erat & mediator Gentilium ad Christum: nam & per Philippum quærebant Gentiles aditum ad Jesum, & per eundem Nathanaël ipsum invenit. Idem ab ipso postula. 2. In
Ioan. 1. 2. rebus arduis videtur adjutor fuisse & consiliarius Christi: nam cùm agebatur de cibanda illa multitudine 5000. hominum, Christus quæ-
Ioan. 6. 3. sivit à Philippo. *Vnde ememus panes ut manducent hi?* 3. Mirabiliter amabat Deum, quem videre tam ardenter cupiebat, quando post cænam Domini quærebat à Christo. *Domine,*
Ioa. 14. *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* O amabile Philippi desiderium! *Et sufficit nobis.* Nihil aliud quicquam postulat, nisi videre Deum

& Pa-

Domini sui Jesu, quem tantopere diligebat. Idem opta, idem pete à Deo, ut idem merearis aliquando videre, & audire, quæ Philippus. *Philippe! qui videt me, videt & Patrem meum.* *Ibid.*

PUNCTUM III.

COgita nunc etiam tria quæ in S. Jacobo præsertim illuxerunt. 1. Vir erat magnæ austeritatis: nam, ut ait Hieronymus, nunquam vescebatur carne, solo pane & aquâ victitabat, nudis pedibus ambulabat, multis se jejunijs vigilijsque macerabat. 2. Orationi dies prope integros, noctésque insumebat, modò flexis genibus, modò omnino prostratus in terram: unde factum est, teste Hieron. ut ipsius & frons & genua callis obduruerint. 3. Vir erat Christo simillimus, tum ipsa vultus & corporis majestate; unde ipsum Judæi vix à Christo dignoscebant, tum affinitate sanguinis; unde Christi frater vulgo nuncupabatur, tum maximè sanctitate morum; unde cognominatus est justus, tum quod semper virgo fuit, si Epiphanio credimus. O anima, si vis imitari Jesum, imitare Jacobum, qui Jesu fuit simillimus: sed heu quam utrique dissimilis es.

De S. Jacobo. 1. 2. 3.

6. Jun. # DES. NORBERTO.

PUNCTUM PRIMUM.

Consulit suæ saluti.

COnsidera quàm miseram primum vitam ageret S. Norbertus, cùm in aula principum degens, non Dei, sed mundi leges sequi cogebatur. Sed ubi gratiæ lumine perfusus est, continuò non acquievit carni & sanguini. Statim secessit ex aulico strepitu, ad multos dies in monasteriam se recepit, vitam instituit humilem & austeram, ut quas prius contraxerat sordes, pœnitentiæ aquis elueret. Heu quam multi hodie amatores sæculi & vanitatum! Quam pauci Christi, ejusque humilitatis veri sectatores! Pudore suffundere, quod post tot à conversione annos, tam parum adhuc mortificationi, tam impensè mundo addictus sis. Propone Sanctum illum imitari, veterem hominem penitus exuendo. Gratulare ipsi, quod per omnia virtutum genera Christum, tanquam alter Paulus, corpore & animo jugiter in se portaverit.

PUNCTUM II.

Consulit saluti proximi

COnsidera non satis fuisse S. Norberto propriæ saluti consuluisse. Ereptus è naufragio, proximos ex eodem eripere constituit. Hinc vitam suscepit clericalem, ut inter homines degens, verbis, concionibus, exemplis, omnes ad Christum alliceret. Amor nunquam otio-

otiosus est ; majora semper agreditur. Ex quo quantus in te sit, cognoscere potes. Quid enim hactenus Dei causa egisti ? An spondere tibi posses, vel unum à te aliquando peccatum mortale impeditum fuisse ? Heu multos fortasse, malo exemplo, in peccatum impulisti ! Certè si mentem excutias diligenter, invenies in procuranda proximi salute longè te abesse ab eo fervore, qui Christi militem deceret. Per merita S. Norberti precare, ut zelus animarum in te & in cæteris major excitetur. Veni, Domine Jesu, & accende in cordibus nostris ignem illum, quem in terram, ut arderet, è cœlo tecum attulisti.

PUNCTUM III.

COnsidera, quanta in hoc sancto consilio perpessus sit. 1. à dæmonibus, qui susceptum opus varijs artibus impedire conati sunt. 2. ab improbis hominibus, qui multas in eum excitaverunt persecutiones. 3. à Deo ipso, qui illum tot tentationibus ad probandam ejus fidem & charitatem agitari permisit. *Sed in ijs omnibus non despondit animum : quin imò, persecutionibus, veluti stimulis, ad majora suscipienda incitatus est, sciens pro nominis Jesu gloriâ salutéque proximorum nihil non ferendum esse. Nam omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, & ad pietatem allicere cæteros, persecutionem patientur.* Itane affectus es, ut Dei animarúmque causâ quælibet pati velis ? sic

In quo multa perpessus est.

1. *Tim.* 3. 12.

Christus, sic Norbertus, sic omnes sancti affecti erant, & ita affici debent, qui in idem vocationis genus electi sunt.

PUNCTUM IV.

Etiam post mortem consulit proximo, fundata Religione.

COnsidera, ut, quod per se incæperat opus, per alios perpetuò prosequeretur, novum à S. Norberto institutum esse religiosum Ordinem. Verus in Deum amor nullum sibi modum ponit, nullis temporum aut locorum præfinitur limitibus. Hanc ei mentem impetravit Deipara virgo. Nimirum qui magni aliquid in Dei gloriam moliuntur, hanc ducem & auspicem sequi debent. Per ipsam enim maximè hominum salus promovetur. Gratias age Deo pro tot utilitatibus, quas ex hac sacra Religione percepit Ecclesia. Precare, ut Spiritus, quo fundata est, semper in ea vigeat; & quocunque demum in statu sis, æmulare ardentem ac perpetuum S. Norberti cum in propria, tum in aliena salute procuranda zelum.

---

11. Jun.

DE S. BARNABA.

PUNCTUM PRIMUM.

Vita ejus privata.

SAncti Barnabæ adolescentia, juventúsque transacta est in studijs, & virtutum quæ illam decent ætatem, cultu singulari, inprimis modestia, pietate in Deum, charitate in paupe-

res,

res, virginitate quam integram ad mortem usque servavit. Unde & meruit è miraculis Christum agnoscere, ab eoque in numerum 72. discipulorum adscribi. O quam beati qui has prima ætate virtutes colunt! quam beati, qui illam animi corporisque puritatem Christo integram servant! quam beati qui sic à Christo assumuntur, & in discipulorum numerum adscribuntur! Hanc tibi & alijs gratiam pete, vel de obtenta gratias age.

PUNCTUM II.

VItam publicam seu Apostolicam inchoavit abdicatione bonorum omnium temporalium, quæ partim distribuit pauperibus, partim ad pedes Apostolorum detulit. Ut in studiis, sic in laboribus plurimis D. Pauli socius fuit. Cum eo per unum annum versatus est Antiochiæ, ibique primum discipuli se Christianos dixere. Hinc Jerusalem reversi sunt, tum profecti in Cyprum insulam, in Pamphiliam, & Antiochiam. Inde iterum reversi Jerusalem ad distribuendas eleemosynas & tractanda fidei negotia; magna ubique laborum tolerantia, magna populorum præsertim Gentilium conversione. Denique discessit à S. Paulo, assumptóque secum Marco Evangelista, varias urbes lustravit, Mediolanensem Ecclesiam fundavit, ac demum in Cyprum reversus Salaminæ præsertim fidem Christianam magnopere promovit. Hîc disce bona temporalia æternis com-

Vita publica, seu Apostolica.

commutare ; ſocietatem cum viris ſanctis jungere ; Chriſto & animarum ſaluti totam vitam ſtrenuè impendere : à quibus quantum abes ?

PUNCTUM III.

Vita patiens ſeu martyrium.

COmmoti in Barnabam Judæi è Syria in Cyprum venere, ut ipſum occiderent. Id ille revelatione didicit, neque tamen mortem fugit, ſed in Judæorum Synagogam ingreſſus validis rationibus probavit Chriſtum verum eſſe Meſſiam. Quòd illi non ferentes, atque ira accenſi lapidibus ipſum obruerunt, cadavérque projecerunt in ignem : ſed illæſum ſervatum eſt, ſepultúmque à Marco & alijs Chriſtianis in ſpelunca extra urbem, ubi poſtea à Zenone imperatore inſigne templum extructum eſt. Sic nempe Deus Sanctos ſuos honorat poſt mortem, quos in vita varijs laboribus perſecutionibúſque exercuit. Hic enim eſt finis, hæc corona vitæ Apoſtolicæ, graviores dolores, perſecutiones, martyrium. Ad hæc te compara, quiſquis Chriſto militas. Ut Chriſtum ſic & Sanctos oportet pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Neque ut facis, dolores laboréſque fuge, maximè ſi Chriſti gloriam, ſi tuam aut proximi ſalutem promovent.

* *
*

DE

DE B. ALOYSIO GONZAGA S. I.

21. Jun.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid fugerit.

COnsidera cœlestem illam ac certissimam regulam, qua B. Aloysius utebatur ad omnes animi sui motus dirigendos. Quoties enim allici aliqua re mentem sentiebat, toties interrogabat se; *Quid hoc ad vitam æternam*? Tum si contraria vitæ æternæ videretur, abhorrebat; si periculosa, fugiebat; si inutilis, contemnebat. Hinc 1. Ille horror peccati tantus, 1. ut socij ejus plures jurati affirmarint, se in eo ne vel umbram quidem peccati unquam animadvertisse. Hinc 2. *Egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui*; Marchionis Castilionensis, opésque & spes omnes amplissimæ familiæ ultro abjecit; quod in ijs periclitari negotium æternæ vitæ arbitraretur. Hinc 3. Sensuum tam arcta custodia; ut vix humo attolleret oculos; linguam nisi ad necessaria aut pia colloquia nunquam solveret: & quidquid putaret ad vitam æternam inutile, id totum sibi denegaret. O generositatem B. adolescentis admirabilem! ô sapientiam verè Christianam! sed ô stupendam stultitiam & levitatem meam, qui levia peccata nulla esse duco; qui opes & cæteras mundi vanitates tam avidè sitio, qui nihil non concedo sensibus meis! *Quid hæc ad vitam æternam.*

2. Gen. 12.

3.

PUNCTUM II.

Quid amaverit

1. 2. 3. 4.

QVæcunque viderentur ad vitam æternam conferre, ea quamvis aliunde duriſſima totis viribus amplectebatur. Hinc 1. Studium orandi conſtantiſſimum. 2. Amor religioſæ paupertatis. 3. Jejunia pene perpetua. 4. Flagellorum uſus etiam in domo paterna frequentiſſimus, & ſitis tam inſatiata mortificationum; ut eas ardentius appeteret, quàm quivis alius delicias. An putas rationi conſentanea fuiſſe hæc ſtudia B. Aloyſij? hæccine, quæ tantopere amavit, verè amanda ſunt? Quin ergo tu eadem amas? Cur alia omnia ſectaris? Vide, ut B. Aloyſij ſtudia condemnes, aut tua. Pete à Deo. 1. Veniam, quod hactenus fugienda amaveris. 2. Gratiam amandi deinceps ea tantum, quæ ſint ad vitam æternam utilia. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

Matt. 16. 26.

PUNCTUM III.

Quid conſequutus ſit.

1. *Sap.* 4. & 5. *Eccl.* 14. 2. 3.

HÆc ſectando conſequutus eſt. 1. ut *conſummatus in brevi expleverit tempora multa; & vita immaculata ætatem ſenectutis attigerit. 2. Ut eum particula boni doni non præterierit;* Quia gratia Dei in illo vacua nulla ex parte fuit. 3. Ut perpetuas *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuerit.* 4. Ut cœleſtes ſæpe delicias, Deo famulum ſuum viſitante, etiam hac in vita præguſtaverit. 5. Ut

ſu-

supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus obtinuerit in cælo: & B. Magdalena, cui Deus illum inter Sanctos videndum præbuerat, exclamaverit admiratione capta, *O quanta est gloria B. Aloysii! quam alto in throno collocatus est! vix pertingere ad eum oculi nostri poterunt.* Beatum igitur in cælo coronatum reverere; ora ut tibi gratiam obtineat ea nunc fugiendi & amandi, quæ fugit & amavit; ut postmodum ea quæ consequutus est, ipse consequaris. *Ps.* 83. 6. 4. 2. *Cor.*

DE S. ANNA.

26. Iul. Parisiis 28.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera sanctam B. Annæ nobilitatem. 1. Est regum sanctorúmque Patriarcharum filia. 2. Mariæ cæli terræque reginæ parens gloriosa. 3. Avia Christi Regis nostri meritissima. Attende quis sit Christus, quanta sit Maria & cognosces quanto sit honore digna sancta Anna, jùxta illud *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Tantam dignitatem S. Annæ gratulare. Vide ut saltem dignus sis JESV, Mariæ & Annæ servus, & honora quam Maria honoravit. 1. Nobilitas. 2. 3. *Mat.* 7.

PUNCTUM II.

COnsidera sanctitatem ejus nobilem omni genere gratiæ. Ac 1. gratuitæ, cum natura sterilis facta est fæcunda miraculo. Nimis glo- Sanctitas. 1.

rioſa facta eſt, mulier ſancta, ſterilitas tua quam
2. fœcundat proles deipara. 2. habitualis. *Materna*
Aug. *propinquitas nihil* Annæ *profuiſſet, niſi fœlicius*
Chriſtum in corde, quam Mariam *in corpore ge-*
ſtaſſet. Sed nunquam Chriſto ſic conjuncta fuiſ-
ſet per carnem, niſi fuiſſet per ſpiritum; neque
fuiſſet unquam ejus avia per naturam, niſi fuiſ-
3. ſet ejuſdem filia per gratiam. 3. actualis: quot
enim, putas, ipſius mentem lucis æternæ ra-
diis illuſtravit Maria, quæ aurora eſt ſolis ju-
ſtitiæ? quot gratias effudit in matrem filia *gra-*
Eccl. 24. *tia plena.* Dic igitur, ô beata mulier: *In me gra-*
25. *tia omnis.* Tu enim ſola potes explicare, quot
quantæque in te gratiæ confluxerint. Agnoſ-
ce, ô anima mea, quantum ex triplici illa gra-
tia acceperis, quàm ſæpe eaſdem inertia tua
neglexeris. Dole, & accuratum illarum uſum
pollicere.

PUNCTUM III.

Potentia
1. COnſidera, potentiſſimam eſſe apud Deum,
1. Quid enim Sanct. Annæ precanti dene-
get Pater æternus, quæ ipſius filiam luci dedit,
ſinu fovit, aluit, educavit, obtulit, conſecravit?
2. 2. Quid huic poſtulanti non concedat Spiritus
Sanctus, quæ ſponſam ipſius ita informa-
3. vit, ut eſſet ejuſdem oculis gratiſſima. 3. An
aviæ Chriſtus non pareat, qui dixit per Apo-
Epheſ. ſtolum ſuum: *filii, obedite parentibus veſtris,* De-
6. 1. bet poni diſcrimen magnum inter orationes
S. Annæ & aliorum Sanctorum. Iſtorum oratio
inni-

innititur gratiæ Dei: sed oratio S. Annæ non justitiæ solùm Evangelicæ, sed etiam ipsi juri naturali. Tu S. Annam in patronam elige, & invoca.

DE SANCTO IGNATIO 31. Iul.

Societatis Jesv Fundatore.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Vocatur ad Dei gloriam procurandam.

Deus Ignatium ex mundi illecebris mira quadam ratione vocavit. Cùm enim propugnanda Pampelone graviter vulneratus in lecto jaceret, vitæ Sanctorum lectione ita commotus est, ut statuerit illico totum se Deo sub auspiciis B. Virginis consecrare, & eam vitæ rationem sequi, quam Deus sibi inspiraret. O quam incomprehensibiles viæ tuæ Domine, qui permittis mala corporis, ut cures vulnera animi, & miris modis electos ad destinatum finem perducis! En me totum tibi offero ad omnia paratus. *Da quod jubes, & jube quod vis.*

2. Paret.

2. Statim ille sæculo renuncians vanam gloriam vili vestitu, mendicato pane, inopum victu; carnem quotidianis jejuniis, terna in diem flagellatione, frequenti cilicio, humi cubatione, solitudine Manresana ita domuit, nullum ut deinceps carnis, nullum multis ante obitum annis vanæ gloriæ motum senserit. Quam crebro te Deus admirabili providentia ad perfectionem vocavit? utinam sic audires, sic cum vitiis generosè certares!

PUN-

PUNCTUM II.

Quibus medijs Dei gloriam promoverit.

IGnatium Deus, ad ſuam gloriam per totum orbem circumferendam, quadruplici inprimis virtutum genere inſtruxit, per quatuor animalia currus Ezechielis expreſſarum.

I. Aquila exhibet. 1. Summam ejus prudentiam, quæ tota vita, ſed maximè in condendo ſuo Ordine eluxit. 2. Divinas illuſtrationes notitiámque rerum ſpiritualium, qua infinitos ad pietatem inſtituit, & admirabilem Exercitiorum ſpiritualium librum compoſuit. 3. Donum orandi ſingulare, ſic ut infinitam lacrymarum vim funderet, vel floſculi intuitu totus in Deum raperetur, nihil ſuſciperet niſi prævia oratione, ac prope perpetuo de Dilecto, deque cœleſti patria ſuaviſſimè cogitaret. *Quam ſordet terra,* inquiebat, *dum cœlum aſpicio*! Siccine Deo cœlóque affixus es?

c. 1. 19.

I. Prudẽtia

Oratione

II. Magnanimitate

II. Leo magnanimitatem ejus ſignificat. Neque enim à Dei gloria promovenda aut ejus inimicis debellandis, ullis difficultatibus periculiſve deterrebatur. Imo ſui negligens ajebat, malle ſe beatitudinis incertum vivere, & interim Deo ac proximo ſe impendere: quàm certum ejuſdem gloriæ ſtatim mori.

III. Ratione Zelo.

III. Homo repræſentat. 1. Perpetuum illius in rebus omnibus rationis uſum ſine ulla animi perturbatione. 2. Ardentem divini honoris hominúmque ſalutis zelum, qui neque gelidis aquis reſtingui potuit, in quas ſe immerſit,

fit, ut impurum hominem à fœdis amoribus revocaret. 3. Miram erga omnes humanitatem & misericordiam. Humanitate.

IV. Bos patientiam indicat. 1. Colenda omnia pere Domini vinea. 2. Inimicis, laboribus, adversisque tolerandis. Etiam ante conversionem gemitum nullum edidit, quando cruris os secabatur. Paulò pòst literis inter pueros operam dedit vir nobilitate & palmis militaribus illustris: & si instituta ab ipso infinitis laboribus vigiliisque societas dissolveretur, se ante horæ quadrantem divinæ voluntati acquieturum asserebat. IV. Patientia.

Tu verò parum ad Dei gloriam confers, quia parum his virtutibus studes. Dole, quòd ita negligas salutem propriam, cùm Ignatius tanto studio curarit alienam.

PUNCTUM III.

SUsceptos pro se labores amplissimè Deus compensavit. 1. Singulari illum in omnibus auxilio juvit. 2. Magnis inter ærumnas consolationibus cumulavit. 3. Institutum ab illo Ordinem, ipso adhuc vivo, non sine maximo Ecclesiæ bono, animarúmque fructu, & hæresis ac impietatis detrimento per totum orbem propagari voluit: ut quo tempore Lutherus & Calvinus Ecclesiæ bellum indixerunt, eodem excitaretur Ignatius, qui nefandos illorum conatus reprimeret. 4. Demum ingenti illum gloria in cœlo donavit, qui ejus gloriæ ampli- Remuneratur. 1. 2. 3. 4.

plificandæ tam ſtudioſus fuerat. Gratulare Sancto de tanta gloria: erubeſce quod cum eadem tibi merces propoſita ſit, vel minimam laborum partem ſuſcipere recuſes. Sic ſtatue, non futurum te ſocium conſolationum, niſi fueris tribulationum & laborum.

---

4. Aug. # DE SANCTO DOMINICO.

PUNCTUM PRIMUM.

Qualis erga ſe fuerit.

COnſidera quibus virtutibus divinæ vocationi, qua ipſe ad ſanctitatem eximiam vocabatur, reſponderit. 1. Profunda humilitate, quidquid enim in ſe videbat boni, illud totum non ſibi ſed uni Deo tribuebat. Virtutes ſuas ſumma cura occultabat. Hinc etſi nudis ſemper pedibus peregrinaretur, ubi tamen urbes pagóſque, in quibus ſpectatores aderant, intraret, calceos induebat. Contemptus avidiſſimus fuit. Hinc oblatas ſibi varias dignitates Eccleſiaſticas, treſque inprimis Epiſcopatus ſemper recuſavit, & Toloſa, ubi erat in honore, Carcaſſonem, ubi contemnebatur, alacriter fugit. 2. Paupertate Evangelica: ſe enim rebus omnibus terrenis exuit, ut nudus nudum Chriſtum expeditius ſequeretur. Hinc cùm non haberet unde viveret, cogebatur, etſi nobili familia ortus, ſtipem oſtiatim mendicare: data verò panis fruſtula flexis genibus accipiebat, hilaríſque oſculabatur. 3. Maxima vitæ aſperitate, qua quæ deeſſent paſ-

1. Humilitas.

2. Paupertas Evangelica.

3.

passioni Christi in suo corpore, adimplebat: corpus suum perpetuo cilicio, ferreáque catena edomabat: erat illi pro lecto, vel scamnum, vel nuda humus: ter se singulis noctibus crudeliter flagellabat, ut sic divinæ justitiæ satisfaceret. 1. Pro suis peccatis. 2. Pro peccatis aliorum. 3. Pro animabus purgatorii. Ejus vita jejunium erat ferme perpetuum, singulísque hebdomadis semel ad minimum jejunabat. Expende, quam longè ab eo distes, qua cupiditate honoribus inhies, qua cura divitias accumules, quam nullis, aut quam levibus pœnis peccata tua etiam graviſſima punias. Vitæ asperitas.

PUNCTUM II.

COnsidera quibus virtutibus aliorum salutem procuraverit. 1. Zelo ardentissimo conversionis peccatorum. Hinc voluisset omnes atque adeo ipsos etiam damnatos atque dæmones, si fieri posset, ab omnibus malis eripi, æternámque beatitudinem consequi. Nihil recusabat pati, ubi spes aliqua salutis proximi affulgebat. Mauros sæpius adivit, ut ipsos ad Christum converteret, suámque Deo vitam & sanguinem pro eorum conversione sæpius obtulit. Ipsos septem annos laboravit in agro Tolosano, ut inde Albigensium hæresim exigeret. Hunc in finem Fratrum Prædicatorum Ordinem instituit & amplificavit, non sine maximis laboribus, & maximo perpetuóq; rei Christianæ fructu. 2. Mirabili erga omnes mansuetudine Qualis erga proximum. 1. Zelus animarum. 2.

Mansuetudo. 3. Amor proximi.

tudine, quos benignè arguebat, docebat amanter, juvabat hilariter. 3. Amore tenerrimo, quo peccatores omnes in sinu & in visceribus charitatis premebat. Hinc pro omnium peccatis, non secus ac pro suis, quantum poterat, Deo satisfaciebat. Expende quam tu parum facias pro aliorum salute, quam asper, & impatiens in aliis arguendis, & docendis, quam levi amore proximum diligas: his tamen vitiis Dei gloria proximique salus impeditur.

PUNCTUM III.

Qualis erga Deum. 1. Puritas mentis & corporis. 2. Fiducia in Deum 3. Studium orationis & devotio erga B. V.

COnsidera quibus virturibus se Deo conjunxerit. 1. Puritate tum mentis, tum corporis eximia: suam enim virginitatem, & quam primum in baptismo, gratiam suscepit, usque ad mortem integram illæsámque conservavit. 2. Fiducia verè filiali: cùm enim se nullius rei capacem putaret, tamen omnia poterat in eo, à quo confortabatur. Neque eum ulla unquam difficultas aut labor ab iis deterruit in quibus vel gloriam Dei, vel salutem animarum promoveri arbitrabatur. 3. Assidua oratione, qua se Deo, Christo, & Beatissimæ Virgini sæpius in die uniebat. Cùm autem videret quanta inde auxilia perciperet, præcepit specialiter suis omnibus Religiosis ut orationi assiduè vocarent, Beatissimæque Virginis, in cujus honorem Rosarium primus instituit, gloriam ubique omni cura promoverent. Expende quam longè absis ab ista tum mentis, tum corporis

poris puritate, quam parum Deo, quam multum humanis auxilijs fidas, quam rarò orationi vaces ut decet: & confundere.

DE SANCTO LAURENTIO. 10. Aug.

De grano frumenti. Ioan. 12.

PUNCTUM PRIMUM.

IEsus dixit discipulis. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Considera, licet nomine hujus grani primario designetur Christus, granum purgatissimum ab omni peccati palea, quod mortuum in terra crucis, salutis æternæ fructum peperit: secundario tamen designari ab Ecclesia mysticum ejus membrum S. Laurentium, qui sicut granum, concussione flagelli persecutionis, purgatus est ab omnibus terrenis affectionibus: ut discas non spernere tribulationes, quia purgant sæpe nos à multis peccatis. 2. Considera, mortuum fuisse in terra, tum quia carnem suam in hac vita prorsus spiritui subdidit, & mortificavit, contemptis omnibus mundi delicijs, tum quia constanter per atrociſſima licet tormenta, pro Christo mortem oppetijt. 3. Multum fructum attulisse: tum quia sua passione maximam gloriam in cœlo & in terra obtinuit: tum quia suo exemplo & constantia plu-

S. Laurentius granum frumēti.

2. Mortuū.

3. Multum fructum attulit.

plurimos ad Christi fidem convertit, & ut similia paterentur, autor fuit.

PUNCTUM II.

Odit animam suam.

1. *QVi amat animam suam, perdet eam: qui verò odit eam in vitam aternam custodit eam.* Considera eum amare animam, qui amat hujus mundi commoda, opes, honores, voluptates præ Christo: odisse autem qui contemnit, uti fecit S. Laurentius, qui desertis omnibus opibus, deserta Hispania, licet juvenis, 2. servivit Xisto Papæ Romæ. 2. Xisto ad supplicium rapto, exclamavit: *Quo progrederis sine filio pater?* cui respondit: *Majora tibi debentur certamina. Post triduum sacerdotem sequeris Levita.* 3. Omnes facultates Ecclesiæ distribuit in pauperes, Christianis ante passionem suam latentibus in cryptis pedes abluit, cæcum sanavit, multos convertit & baptizavit, craticulæ affixus tortores irrisit, tyranno dixit: *Affatum est satis, versa & manduca*, quia segnior erat ignis, inquit S. Leo, qui foris uffit, quam qui intus accendit Flammis corporeis superari charitatis Christi flamma non potuit. O si eadem flamma arderes, quàm facilè ambitionis iræ, cupiditatum omnium ardorem vinceres.

PUNCTUM III.

Quid sit ministrare Christo.

SI quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi

mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Considera, illum ministrare Christo, qui ejus mandatis & monitis tanquam obediens famulus obedit. 2. Qui ejus vices, si sacerdos vel superior sit, sedulo obit. 3. Qui pauperibus & afflictis, operibus misericordiæ, vel corporalibus vel spiritualibus subvenit. Testatus est enim sibi fieri, quod vel minimo in ejus nomine fiet: quæ si nos quoque faciamus, verè Christum velut ducem & magistrum nostrum sequimur. Perfectissimè autem sequutus est S. Laurentius, qui tam fidelis fuit minister, ut etiam sanguinem pro eo profuderit, & exemplum ejus in passione secutus sit. 2. Considera, quantum præmium in cœlo S. Laurentio & omnibus, qui aliquid pro Christo patiuntur, aut Christi membris per charitatem serio ministrant, paratum sit, quantus honor & gloria: sine dubio major, quam mens nostra excogitare queat.

Ministravit S. Laurentius perfectissimè.

Quanta mercede

DE SANCTO BERNARDO.

20. Aug.

QVæ præcipua sunt in vita sua, ipsemet Bernardus expressit in Meditationibus.

Hoc mihi tecum pactum erit, plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas: totus intra me silebo, ut tu solus loquaris in me: totus quiescam, ut tu solus operaris in me, & per me.

PUNCTUM PRIMUM.

Moritur sibi, ut Christus in ipso vivat.

BErnardus planè sibi mortuus est, ut totus in ipso viveret Christus. Ab eo tempore, quo nun-

nuncium sæculo remisit, ita sepultus est cum Jesu suo per Religiosam professionem, ut nihil pristinæ vitæ in eo remanserit. Sensus omnis expertem illum dixisses; adeo parum naturæ tribuebat. Oculorum, aurium, gustus usum penitus amisisse videbatur Res obvias ita non aspiciebat, ut cameratúmne esset, an laqueatum cubiculum, in quo annum integrum manserat, nesciret. Iter habuit aliquando per unum diem prope lacum, quem rebus divinis intentus non vidit. O virum admirabilem! ô mortem verè pretiosam, qua soli Deo vivitur! Pudeat te, anima, quod ab hac perfectione tam longè absis. Eia igitur, tibimet ipsi penitus morere, ut vita Christi in re manifestetur. Oculos sæculi vanitatibus claude, in divino conspectu frui queas. *Non enim videbit me homo & vivet,* inquit Deus.

Exod. 33. 20.

PUNCTUM II.

Intra se silet, ut Christus loquatur

COnsidera quam rigidum sibi beatus ille vir imposuerit silentium, ne internam animi, qua fruebatur, pacem inanibus verbis turbaret. Sciebat ibi non loqui Christum, ubi sæculi strepitus auditur. Hinc sibi colloquio omni cum hominibus interdicendum putavit. Itaque si quando loqui necessitas cogeret, loquebatur eo modo, ut non nisi invitus à sancto proposito discedere videretur. Sed quantas ex hac silentii observatione utilitates percepit! mira de se, deque suis mysterijs quotide Spiritus Sanctus

ctus ipsi revelabat. Qui silet hominibus, Deum magistrum & præceptorem habet. Certè de se fassus est aliquando Bernardus, plus ex interna cum Christo collocutione ad sacrarum litterarum intellectionem profeciſſe, quam si doctores multos annos audiisset. Quid igitur vanis sermonibus ita delectaris ? si cœlestem doctrinam, si verum solatium quæris, non ab hominum, sed à Dei consortio expetere debes.

Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Psl. 140. 30.

PUNCTUM III.

COnsidera, neminem fortasse Sanctorum fuisse, per quem majora Deus quam per Bernardum fecerit, quia nemo magis à rebus terrenis abhorrebat. Statim atque incepit Deo militare, ex Apostoli præcepto diligenter cavit, *Ne implicaret se negotijs sæcularibus.* Et tamen ex eremo sua eductus est à Deo, ut summos Pontifices, Reges, Prælatos, totam denique, ut ita loquar, Ecclesiam unus regeret. Nullum aptius Dei manibus instrumentum, quam homo qui de se demissè sentit. Sed postquam Dei vocantis jussu reip. Christianæ negotia curare coactus est, internam illam quietem non amisit. *Solitudinem cordis sibi ipsi efficiens, & secum solitudinem circumferens, ubique solus erat.* Non enim aut ambitione, aut prava aliqua cupiditate impulsus res sibi commissas gerebat, sed solo Deo placendi desiderio. Hinc *non se*

Quiescit, ut per eum Christus operetur 2. *Tim.* 2. 4.

In ejus vita.

rebus tradere, ut ipse loquebatur, *sed commodare* tantum solebat.

Heu quam paucos invenias hujus virtutis imitatores! aut enim negotia temere suscipimus, aut in illis propriam, non Dei gloriam quærimus, unde perturbationes animi plurimas oriri necesse est. Statue igitur ab omnibus professione tua indignis abstinere; aut si qua in re opera tua Deus uti velit, postula, ut nihil aliud, quam divini ejus nominis laudem, salutem tuam, proximi ædificationem spectes.

---

24. aut 25. Aug.

DE S. BARTHOLOMÆO.

PUNCTUM PRIMUM.

Christo vivit Apostolus

COnsidera quomodo vitam suam propagandæ Christi gloriæ impenderit. 1. Penetravit in Lycaoniam cum Philippo, deinde in Indiam citeriorem, demum in Armeniam. Vide quanta mentis alacritate ac zelo; quibus itinerum & prædicationis laboribus; quot adversis in tanta rei novitate, dæmonúmque odio, quos è corporibus regnóque suo ejiciebat; quo fructu: nam permultos illic ad Christum convertit; qua unione cum Deo, cum centies interdiu, & centies noctu scribatur Deum adorasse. Utinam ita Christo viveremus! sed heu quoties leviſſimo labore, inaníque hominum respectu ab ejus gloriæ persecutione deterremur! quam rarò inter occupationes nostras animum ad Deum convertimus!

PUN-

PUNCTUM II.

QVam inusitato & atroci sacrificio mortem pro Christo oppetijt? Detrahi vivo pellem dæmon suasit, *Percutiens illum*, ut Jobum olim, *ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus*. Deinde amputato capite sacrificium consummavit. Martyres quidem omnes vocat Nazianz. victimas pro Christo cæsas: fuit verò hæc peculiaris S. Bartholomæi prærogativa. 1. Quia propius accessit ad victimas antiquæ legis, quarum *detracta pelle* artus in frusta concidebantur. 2. Quia proprius ad Christi nuditatem accessit. 3. Quia præter alia quæ passus est, longè gravissimum & barbarum hoc supplicium fuit: 4. quia peculiari quodam pietatis sensu obtulit se Christo in sacrificium, ratus non esse amori suo satis extraordinaria supplicia pati, nisi sacrificium cordis & assiduæ orationis fervor accederent. O virum infractum animo, qui in patientia sua possedit animam suam! Offeram me item in sacrificium Christo, nec ultra corpori meo indulgebo, quoniam *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?*

Christo moritur cruenta victima. c. 2. 7.

Lev. 1. 6.

Cant. 5.

PUNCTUM III.

DEtrahitur arbori cortex, tum ut aptius in illa characteres insculpantur, tum ut idonea alicujus species inprimatur: ita detracta pelle S. Bartholomæi divina in illius carne imago emicuit,

Mysteria hujus sacrificij. 1.

emicuit, amoríſque ſui notas Chriſtus & cha-
2. racteres impreſſit. 2. Qui luctatur, exuitur ve-
ſtimentis: ut generoſus luctaretur Apoſtolus,
3. vel ipſa pelle exutus eſt. 3. Serpens detracta
pelle novas ſumit vires: ſic Bartholomæus
propriam exuit, novam vitam deinceps duc-
4. turus. 4. Amor nudus adumbratur: Bartholo-
mæus, ut ſuum erga Chriſtum amorem apud
omnes conteſtatum relinqueret, arcana cordis
aperit detracta pelle. Igitur qui vult induere
Chriſtum, *Exuat veterem hominem*, exhibeat-
Rom. 12. que corpus ſuum *hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, &c.*

---

25. Aug. # DE SANCTO LUDOVICO Galliæ Rege.

PUNCTUM PRIMUM.

Rex Dei ſervus.

SI ſervire Deo regnare eſt, duplici nomine Rex fuit S. Ludovicus; qui regnaturum ſe nunquam credidit niſi Deo ſerviret, & populos ad eidem ſerviendum omni ope induceret: qui magis gloriabatur Chriſtiani nomine, quàm regni: qui, cum licita omnia regiæ poteſtati viderentur, nihil ſibi licere adverſus Deum putavit; séque per totam vitam, ab omni peccato mortali, inter aulæ blandimenta ſervavit integrum. 1. Diſce à Rege ſanctiſſimo nihil eſſe hac in vita glorioſum, præterquam Deo ſervire: erubeſce, quod toties erubueris Chriſtianus videri: time juſtam Chriſti comminationem

nem, *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet.* 2. Admirare S. Ludovici inter tot cadendi pericula constantiam. 3. Si quando graviora peccata commiseris, malitiam ipse tuam & imbecillitatem accusa: non enim peccandi aut facultas aut impunitas major, aut occasiones frequentiores tibi fuerunt, quàm Regi. 4. Si aliquorum curam habes, provide diligenter ut Deum colant. *Luc. 9. 26.*

PUNCTUM II.

CHristiano, etiam Regi crucem tollendam esse credidit. Hinc 1. Cùm facilè immunes se putent cæteri Reges à jejunijs imperatis, ipse ad ea quæ imperantur, alia addebat singulis hebdomadis tria; & die Veneris nihil ad victum adhibebat præter panem & gelidam. 2. Non tantum ministrabat pauperibus ad mensam; sed & cum iisdem sæpe accumbens manducabat. 3. Ferratis flagellis corpus regium castigabat. 4. Cilicium quotidie induebat aspertimum, &c. Quid ad hæc, delicate, qui ad ipsum mortificationis nomen aut horrescis, aut rides? Nobilior es, quam sanctus Ludovicus? innocentior, quam qui nullum unquam peccatum mortale commisit? delicatior, quam Rex inter aulæ delicias educatus? Rex crucis Discipulus. 1. 2. 3. 4.

PUNCTUM III.

CErtavit adversus hostes Christi omnes. 1. Dæmones, resistendo tentationibus. 2. Blas- 1. Rex miles Christi.

phemantes, graviſſimis edictis. 3. Homines ſuſpectæ fidei & hoſtes domeſticos Eccleſiæ variis pœnis. 4. Infideles & Saracenos. Quo in ultimo certaminis genere, mirare. 1. zelum ſanctiſſimi Regis, qui bis regnum ſuum deſerit, bis itet ſuſcipit longiſſimum & periculoſiſſimum, ſecumque cupias regni omnes abducit. Atque id non ſpe acquirendæ famæ, aut regni amplificandi, ſed tantum augendæ divinæ gloriæ, & terræ ſanctæ à Saracenis liberandæ. 2. Incomprehenſibilia judicia Dei, qui ſanctum Regem pro ſui nominis gloria generoſiſſimè certantem, captivum duci primũ; tum peſte affligi & mori inter barbaros ſinit. 3. Invictam S. Ludovici patientiam, qui affligentis ſe Dei judicia conſtantiſſimè adorat. Sit nomen tuum, Domine, benedictum in ſæcula, inquiebat moriens. Voluiſti, ut regnum meum relinquerem, reliqui; ut bellum hoc ſuſciperem adverſus hoſtes tuos, ſuſcepi: nunc deſeruiſſe ſervum tuum videris; ſis benedictus: paſſus es pro te militantem vinci; ſis benedictus: captivus in carcerem conjectus ſum; ſis benedictus: nunc peſte afflictus morior; ſis in æternum benedictus. Cogita. 1. Quid agas pro Chriſto præſancto illo Rege. 2. Quid patiaris. 3. Quomodo patiaris.

DE

DE SANCTO AUGUSTINO. 28. Aug.

PUNCTUM PRIMUM.

GRatiæ resistit. 1. triplici peccati genere, errore Manichæorum, impuris amoribus, inani improborum hominum respectu, cùm *pudebat inter impudentes non esse impudentem.* 2. Tergiversatione multorum annorum; quantumvis instarent & Monica mater adhortationibus, exemplis, lacrimis, sacrísque apud Deum precibus; & Ambrosius concionibus atque colloquiis; & creberrimis vehementissimísque motionibus gratia. Hic pravæ consuetudinis vim cogita & fuge. *Sustirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Retinebant nugæ nugarũ & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant: Dimittísne nos?* O abyssum divinæ misericordiæ infinitam! Eandem in te admirare, & time. Neque enim omnes Augustini sunt, hoc est non similiter Dei gloriæ & Ecclesiæ, si convertantur, profuturi.

Resistit gratiæ. 1. Peccatis. 2. Mora conversionis. Libr. Conf.

PUNCTUM II.

TAndem gratiæ subiicitur. 1. Promptè: ubi audivit hanc vocem, *Tolle, lege*; legit illico locum Apostoli. *Non in comessationibus &c.* statímque *mutatus est in virum alium.* Vide ut pariter sine mora gratiæ vocanti pareas. Actum erat

Subiicitur gratiæ. 1. Promptè 1. *Reg.* 10. 6.

2. Plenè. erat de Augustino, si ultra distulisset. 2. Plenè: errores, Christianæ fidei confessione; carnales affectus vitæ austeritate; inanes respectus

3. publica virtutum professione emendans. 3. Perfectè, ardentissimo ac tenerrimo Dei amore: sic enim amores impuros sanctissimè compensavit. *Sero te amavi pulcritudo tam antiqua & tam nova! Non dubia, sed certa conscientia amo te, Domine.* Quam multi cum Augustino peccant! Quam pauci cum eo penitus convertuntur! Si vis divino amore liquescere, lege ejus Confessiones, Soliloquia, Meditationes.

PUNCTUM III.

Gratiæ subiicit. 1. Hæreticos. 2. Catholicos. 3. Clericos 4. Religiosos. 5. Ecclesiã universã *Act. 9. 6.*

1. GRatiæ subjecit Hæreticos scriptis & disputationibus doctissimis, maximè Manichæos, Donatistas & Pelagianos. 2. Catholicos frequentissimis concionibus, colloquiis, exemplis, publicáque vitiorum suorum & divinæ in se gratiæ professione, quæ insigni humilitate libris Confessionum palam esse voluit. 3. Clericos reformatione Ecclesiasticæ disciplinæ: quam in rem inter cetera Clericorum Regulárium Monasterium in Episcopali domo extruxit. 4. Religiosos, quorum & ipse familiam instituit, quæ utilissimè & sanctissimè propagata est, multis Religioforum Ordinibus eandem Augustini regulam observantibus. 5. Ecclesiam universam, quam librorum suorum multitudine, eruditione, ac pietate mirificè illustravit hactenus, illustrabitque semper.

per. Tu verò quid Deo & gratiæ rependis, cui tantum debes? *Domine, quid me vis facere.*

DE EXALTATIONE S. CRUCIS

14. Sept.

De crucifixione Christi. Ioan. 12.

PUNCTUM PRIMUM.

Dixit Iesus turbis. Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Considera summam sapientiam & potentiam Dei, quod ea re, qua nihil erat contemptius & infirmius mundo, nempe patibulo crucis, omnem potentiam diaboli principis mundi, id est, peccatorum fregerit, & mundum totum à peccato & faucibus inferni & diaboli vindicaverit, id est, judicando liberaverit: ut discas humilitate & contemptu sui omnes tentationes dæmonis & mundi frangi. 2. Considera tantum esse beneficium nobis præstitum per exaltationem Christi in crucem & mortem, tantámque charitatem demonstratam, ut non modò allici, sed etiam trahi quodammodo, licet inviti, in ejus amorem debeamus. Et tanta est vis passionis, si serio perpendatur, ut non tam moveat, quam impellat hominem peccatorem ad conversionem, & pœnitentiam, ac mortem etiam, dum opus est, ut accidit martyribus, libenti animo perferendam.

Cruce. 1. Mundus victus.

2. Trahimur ad Deum.

PUN-

PUNCTUM II.

Cruce obtinẽtur honores. &c.

RE*spondit turba, audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis?* Considera turbam, id est, homines mundi, mundanarúmque rerum, ut opum, honorum, voluptatum & vitæ carnalis amantes non intelligere, quæ sunt spiritus Dei, paupertatem, contemptum sui, passiones, mortem: & ideo non potuerunt capere hæc in Christum convenire. At qui Christi sunt discipuli, illi sciunt per paupertatem, opprobria & multas tribulationes perveniri ad veras opes, honorem, vitam, ipsamque æternitatem. *Si enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sic Heraclius Imperator hoc die, non cum gemmis & auro splendidus esset, sed cum vili habitu, nudísque pedibus indutus esset, meruit crucem ipsam Christi à Persis recuperatam, in montem Calvariæ referre.

Io. 12. 24.

PUNCTUM III.

Scientia crucis.

A*Dhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Considera modicum lumen in iis esse, qui non cum Apostolo Paulo dicere possunt: *Non judicavi me scire aliquid nisi Iesum & hunc crucifixum*, sicut modicum erat in dicta turba, quomodo enim sequetur Christum clamantem: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*

1. *Cor.* 2. 2.

metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: Ideo solere nos frontem, totúmque corpus sæpe insignire cruce, ut hoc lumen in omni actione nostra præferatur: alioqui enim facilè nos tenebræ, & tenebrarum Princeps suis tentationum laqueis esset comprehensurus.

DE SANCTO MATTHÆO. 21. Sept.

PUNCTUM PRIMUM.

CHristus Matthæum ad se trahit tribus quasi vinculis. 1. Aspectu: *Cùm transiret Iesus vidit.* Nec mirum: nam ut ait sanctus Hieronymus, *Fulgor & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana Christi facie relucebat, primo aspectu videntes ad se attrahere, poterat, quos volebat.* Domine *Respice in me & miserere mei.* 2. Voce; *atque, illi sequere me.* Ante illam vocem, inquit sanctus Ambrosius, *rapiebat aliena, pòst relinquebat propria.* Domine, quam potens est vox tua! *Vox concutientis desertum* scilicet virtutis, *Confringentis cedros* seu superbos & elatos motus publicani, *Intercidentis flammam ignis*, id est cupiditates avaritiæ, &c. 3. Inspiratione, *Qui foris verbo vocavit*, inquit Beda, *intus invisibili instinctu edocuit.* Domine tribus his vinculis, *Trahe me & curremus in odorem unguentorum tuorum.* Sed nonne te sic sæpe trahit?

Vocatur 1. *Matth.* 9. 9. *Hieron. in Mat.* *Ps.* 24. 5. 2. *Ps.* 28. 8. 3. *Cant.* 1. 3.

PUN-

PUNCTUM II.

Vocantem sequitur. 1. 2. *Luc.* 9. 61.

MAtthæus vocantem Christum sequitur. 1. Non ægrè, imo tanta cum lætitia, ut diem hunc tanquam faustissimum convivio magno, cui interfuit Jesus, celebrarit. 2. Promptè ne momentum quidem temporis differendo. Alter vocatus à Christo dixit, *Sequar te Domine: sed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt:* non sic Matthæus, sed *Surgens secutus est eum.* 3. Perfectè & integrè *relictis omnibus.* O si sic Christum sequereris!

Luc. 5. 28. 3.

PUNCTUM III.

Vocationem imple. 1. Apostolus 2. Evangelista. 3. Martyr.

VOcationis suæ munus implet. 1. Apostolicum munus, portando nomen Christi coram gentibus Æthiopiæ, quas cum rege ac regina Christo subjecit. 2. Munus Evangelistæ, dicta factáque Christi scribendo: atque ita Ecclesiam docebit usque ad consummationem sæculi. 3. Martyr pro Christo mortem oppetiit lanceis confossus in ipso altari: ut scilicet suum sanguinem cum sanguine Domini sui misceret. Tu quomodo munus tuæ vocationis adimples? Hæc tria, quantum in te est, imitare.

DE SANCTO MICHAELE.

29. Sept.

PUNCTUM PRIMUM.

PErfectos creavit Deus Angelos omnes, & omnibus naturæ & gratiæ donis instructos; sed Michaël singularibus dotibus ornatus est *præ consortibus suis*, & factus est admirabili *potens virtute ad faciendum verbum Dei*, qui eum cæterorum principem, & ducem exercitûs sui constituerat; à quo boni Angeli, tanquam milites à duce, aut membra à capite moverentur. Deum lauda pro muneribus sancto Archangelo collatis. Confide futurum, ut tibi necessaria auxilia suppediret, ad certandum viriliter, *& dignè ambulandum ea vocatione, qua vocatus es.* Offer te paratum ad ejus partes Michaëlis exemplo sustinendas, *Adversus omnes insidias inimici.*

Dux militiæ cœlestis constituitur.

Eph. 4. 1.

PUNCTUM II.

MEditare, ut Deus filium suum in carne olim assumenda hominem Deum proposuit statim cœlestibus spiritibus; & *dixit, adorent eum omnes Angeli ejus*: utque renuente Lucifero & inferiores Spiritus ad suas partes trahente, Michaël Deo primus obsequutus est, & socios ad obsequendum plurimos excitavit. Itaque *factum est prælium magnum in cœlo*: *Michaël & Angeli ejus prœliabantur cum dracone*: *& draco pugnabat, & angeli ejus*; *& non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius.* Nempe

Militat adversus dæmonem, & vincit.

Heb. 1.

Apoc. 12.

pe de cœlo dejecti sunt à Michaële in inferos. Mirare Archangeli virtutem : victoriam illi tam nobilem gratulare. Agnosce eum fuisse legitimè coronatum, qui tam *legitimè certaverit.* Intuere etiam victos Angelos, & time. Si enim stellæ ceciderunt de cœlo ; quomodo tu præ-
2. Pet. 2. sumis de te pulvis & cinis ? *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: an te tam sæpe peccantem feret impunè ?

PUNCTUM III.

Pro quo, & quibus armis militat. *Heb.* 2. 16.

CHristus homo Deus causa certaminis fuit: quem contempsit Lucifer, Michaël adoravit. Quanto magis nos & adorare, & amare Christum tenemur ? *Nusquam enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.* Certavit Michaël 1. humilitate : agnovit se suáque omnia à Deo esse ; quicquid erat, poterat, operabatur, Deo acceptum retulit. Ama igitur humilitatem : hæc enim vicit Luciferum, & Michaëlem coronavit. 2. His verbis: *Quis ut Deus,* bonos Angelos illustravit, prostravit malos. Hæc & tu frequenter meditare : cumque dæmon fascinare animum tuum tentabit oblatis divitijs, voluptatibus, honoribus : dic illi: *Quis ut Deus ?* quid pretiosius, quid dulcius, quid glorioſius, quàm Deum possidere ?

Sancte Michaël Archangele ! defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio. Fac ut te certantem imiter ; ut iisdem armis utar,

tar, quibus ipſe tam feliciter uſus es : certa iterum pro me contra Luciferum, iterumque vince.

DE B. FRANCISCO BORGIA. 1. Oct.

PUNCTUM PRIMUM.

COnſidera. 1. Quomodo B. Franc. Borgia dux Candiæ inter honores, aulæ delicias, omnéſque mundi illecebras vitam mundo contrariam à puero duxerit, virtutibus atque in primis pietati & mortificationi addictus. Unde colliges ubique & quacunque occupatione tenearis, virtuti, ſi velis, ſemper eſſe locum. 2. Ubi vidit deformem & fœtidum Imperatricis Iſabellæ demortuæ vultum, cujus venuſta omnibus antefuerat admirationi, tantus eum horror, rerúmque caducarum faſtidium invaſit, ut vitam ab omnibus mundi curis liberam, & ubi primum per conjugem liceret, Religioſa caſtra ſequi decreverit. *Sat*, inquiebat, *Principi mortali datum : nunc te immortalem ſequar.* Hic Dei bonitatem lauda, quæ tam variis modis homines, téque inprimis ad perfectionem vocat.

Mundo renuntiat. 1.

Invita ſæculari 2.

Religionem ingreſſus.

PUNCTUM II.

REnuntiat. 1. Carni, cruentis verberibus ad octingentas ſæpe plagas ; cilicijs aſperrimis,

Sibi renuntiat. 1.

mis, quæ etiam sæcularis, quando cum Principibus aulæ feminis erat agendum, induebat; crebris jejunijs, aut duplici quadrageſima pane, piſis & aqua vitam ſuſtentarit, eundémque deinde victum per annum integrum Vicerex Catalauniæ adhibuerit. Religioſus verò his addidit vigilias, humicubationes & ſanctam omnium, quæ dolorem afferrent aut incommoda, cupiditatem. Siccine carnem edomas? 2. Renuntiavit affectui erga propinquos. Audita filiæ morte, negotijs inchoatis, ne leviſſima quidem doloris ſignificatione, diu ſe dedit. Tum, *Dominus*, inquit, *commodaverat*; *recepit*. Litigabant duo ejus filij cum Admirali Arragoniæ: hujus cauſam Carolo V. impensè commendavit. 3. Cupiditati gloriæ renunciavit. Ægris in noſocomio, aliiſque viliſſimis miniſteriis operam crebro dicit, in quibus ex voluptate perfundebatur, ut affirmaret, nullum eſſe, qui regno ſe libentiſſimè non abdicaret, ſi tantam ſuavitatem vel uno die guſtaſſet. Numquam de ſe niſi abjectiſſimè ſenſit & locutus eſt. Quo die Chriſtum meditando vidit ad Judæ pedes abjectum, nullum ſibi præter inferos reſtare locum dixit, quando Chriſtus ſuum hunc occupaſſet. Et quidem ſe ſemper quaſi propter peccata inferis meritò damnatum ab omnibus haberi arbitrabatur. Cardinalatum à S. Pontifice oblatum generosè recuſavit. Nos verò, qui omni humiliatione digni ſumus, quam ſæpe gloriam verbis factísque ſectamur? PUN-

2. Affectui erga propinquos.

3. Cupiditati gloriæ.

PUNCTUM III.

FAcilè adhæsit Deo Fr. Borgia, qui sic mundo sibíque renuntiarat. 1. Unione cum Deo continua in negotijs colloquiísque. 2. Orationе frequentissima quam à media nocte ad quintam producebat, cuique totum tempus ab occupationibus liberum avidè dabat; radios è vultu solis instar emittere, aut è SS. Sacramento, cui adictissimus erat nictantibus oculis recipere non rarò visus. Dicere solebat tribus potissimum societatem Jesu conservandam augendámque; persecutionibus, quæ ipsam ab amore sæculi abducerent; obedientia, qua membra cum capite conjungerentur; sed inprimis oratione, qua Deo uniretur. Quam ipsius cum Deo unionem promovebat summa puritas mentis, quæ inter cætera ex multiplici conscientiæ examine, & duplici in dies confessione sacramentali oriebatur. 3. Unione suæ voluntatis cum divina, quam in superioribus intuebatur. Hinc S. Ignatij literas genuflexus legebat, vocésque omnes ut Dei imperia excipiebat. Imo ipsi coquo, quando ejus ministerijs dabat operam, perinde paruit atque Christo: quare à Principe Joanna desideratus, eam non antè adiit, quam à redeunte coquo dimitteretur. 4. Hanc cum Deo unionem zelo ferventi procurabat in proximo, in ijs quos regebat, & maximè in animabus quas è purgatorio precibus suis ac pœnitentijs liberatas sæpe vidit. Utinam & nos cũ eo ve-

Deo adhæret.

1. In negotijs.

2. Orationе frequentissima.

3. Obedientia.

4. Alios Deo unit

Ps. 72. 25. rè dicamus! *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum? Mihi adhærere Deo bonum est.*

---

4. Oct.

DE SANCTO FRANCISCO.

PUNCTUM PRIMUM.

Vocatur ad Ecclesiam fulciendum

DEstinatus à Deo S. Franciscus ad labantem Christi Ecclesiam fulciendam, (sic enim ipsi & Innocentio III. revelatum est) his initiis tantùm opus inchoavit. 1. Fortunis se omnibus exuit libentius, quàm rogaretur à patre, quod nimium in pauperes prodigus extitisset: ut jam inde, quemadmodum ajebat, disceret, nudum in cruce Christum sequi, Deo totum traderet gubernandum, & liberius diceret *Pater noster qui es in cœlis.* Felix quisquis ita se rebus humanis abdicavit, ut fiduciam totam in cœlesti patre collocet. 2. relictis paternis ædibus abdit se in sylvas, ut sibi uni intentus suis se pravis affectibus facilius eximeret, liberiori Dei colloquio frueretur, illiúsque laudes continuò decantaret. *Ducam eam in solitudinem*, inquit Deus, *& loquar ad cor ejus*: neque enim in vanis hominum colloquijs mundique tumultu reperitur Deus.

1.

2.

Ose. 2. 14.

PUNCTUM II.

Quibus medijs usus est? 1. *Ioan.* 2. 16.

ITa paratus destinatum sibi opus aggreditur; Ruebat ædificium Christi dominante *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia*

perbia vitæ. Indigebat aliquo qui fortitudine sua vacillantes tres columnas, quibus tantum nititur ædificium, paupertatem videlicet, humilitatem, & vexationem carnis, solidaret. Hoc egit Franciscus, qui Christi imitatus exemplum paupertate, quam Reginam appellabat, domuit concupiscentiam oculorum: inaudita vitæ asperitate frænavit concupiscentiam carnis, volutans se aliquoties in nivibus, ut erumpentem extingueret, proficiscénsque in Syriam, ut à Mauris post gravissimos cruciatus martyrio necaretur: superbiam vitæ singulari humilitate fregit, id crebro reputans iteránsque: *Tantus quisque est, quantus in oculis Dei, nec major*, asserens insuper cum Paulo se peccatorum omnium esse primum, quod horum nemo esset, qui si à Deo fuisset pari, pari, qua ipse, gratia præventus, non longè se illi gratiorem exhibuisset. Vide qualis sis, in oculis Dei, & erubesce, si ab his Franciscí virtutibus destitutus sis, quibus Christiana religio stabilitur.

PUNCTUM III.

COnsidera quid egerit, ut Ecclesiam Christi ubique repararet. Elegit duodecim socios viros tum probitate morum, tum doctrinâ egregios qui ab Innocentio III. summo tunc Pontifice approbati, & Apostolorum in morem per totum orbem sparsi cultum Dei mirum in modum promoverunt; quæ familia deinde ita crevit, ut nullus pene locus in orbe sit, quem pie-

Quo fructus?

pietatis & doctrinæ suæ radiis non illustraverit; illustrétque etiamnum. Fuit hoc summæ Dei misericordiæ, qui *Infirma mundi elegit ut confundat fortia.* Quis enim non miretur mercatorem tanta molitum, & tantæ militiæ factum esse ducem. O si non resisterem divinæ voluntati, quantum ejus gloriam promoverem!

1. Cor. 1. 27.

PUNCTUM IV.

Quibus prœmiis?

IPse certè triplex virtutum in hac vita præmium à Deo recepit. 1. Humilitati respondérunt sacra vulnerum Christi vestigia, ut qui sacerdotio similis esse Christo noluerat, similis Christo crucifixo victima stupendo prodigio

1.

2.

fieret. 2. Abdicationem rerum omnium secuta est potestas miraculorũ patrandorum tanta, ut ipsius quasi domini nut9 creaturæ omnes sequerentur. 3. Qui voluptatibus omnibus & amori

3.

proprio renunciarat inauditis mortificationibus, Dei amore, diviníque voluptatibus ita totus liquescebat, ut in extasim sæpissimè raperetur & ad multas horas vir Seraphicus in hac una cogitatione suavissimè conquiesceret. *Deus meus & omnia.* Si ad eadem aspiras præmia, easdem virtutes cole.

---

6. Oct.

DE SANCTO BRUNONE.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Solitudinem petit.

COnsidera 1. Quo fervore S. Brunoinspirationi Christi paruerit. Vocatur ad austerum

ſter umvitæ genus, ſtupendámque ſolitudinem, ubi remotus ab amicorum conſpectu, omníq; humana ſocietate ac ſolatio ætatem inter feras ageret, Deóque ſoli & pietati vacans Angelicam in terris duceret vitam. Ille tot difficultatibus non territus, nulláque nobilitatis, doctrinæ & optimi canonicatus habita ratione, omnibus ſe ſponte facultatibus & delicijs abdicat, ut Chriſti crucem amplectatur, Deúmque ſequatur vocantem. O ſi mundi pericula intelligeres, quàm citò fugeres vanitates ejus, quas tam cupidè conſectaris! ô utinam ſic divinis inſpirationibus obſequaris! 2. Ab Urbano II. S. Pontifice diſcipulo olim ſuo evocatus, cùm præclaram Eccleſiæ operam conſilio doctrináque contuliſſet, recuſato Rhegienſi Archiepiſcopatu, ſolitudinis repetendæ facultatem tandem obtinuit. Nos verò quàm facilè mundi illecebris capimur! 2. Repetitque.

PUNCTUM II.

COnſidera quantum ad Dei gloriam hominúmque ſalutem S. Brunonis converſio contulerit, cujus exemplo & conſilio ſanctiſſimus Carthuſianorum Ordo fundatus eſt. Perpende in cœleſtibus viris ſolitudinem, ſilentium, vigilias, abſtinentiam à carnibus etiam in morbis graviſſimis, jejunia, perpetua cilicia, cæteras corporis afflictiones, diuturnas Dei laudes, peculiarẽ B. Virginis cultum, obedientiam, &c. Hic inertiam tuam in Dei cultu ſalutíſque 1. Quo fructu.

tuæ procuratione cum tot virtutibus compara. Deinde disce bono semper exemplo alijs præludere cum tot hominum millia viri unius exemplo ad vitæ genus pene divinum videas esse conversa. 2. Nota incredibilem sanctissimi hujus Ordinis, à sexcentis prope annis, in primo fervore constantiam; quod nulli alteri Religiosæ familiæ ad tantum tempus contigit. Nos verò quàm facilè in leviſſimis facillimísque à proposito deficimus!

2. Quam diuturno.

PUNCTUM III.

1. Utilitates solitudinis.

COnsidera S. Brunonem ejusque Ordinem universum ad tantam tamque constantem sanctitatem, solitudine & silentio perveniſſe. Nimirum solitarius longè à peccandi occasione remotus est, neque visu, auditu, aut verbo labi solet. 2. Facilius dissipatas animi cogitationes colligit. 3. Deum sibi in intimo corde loquentē promptius audit, longè à mundi strepitu. *Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus.* Et Bernardus. *Hæc vox non sonat in publico, nec auditur in foro.* 2. Verum ne te forte terreat solitudinis nomen, multiplex illa est diversáque: alia Davidis erat, alia Brunonis, alia aliorum Sanctorum, alia in susceptо à te vitæ statu solitudo. Nonne potes per hebdomadam, per diem, per horam, horæve quadrantem in dies singulos, semotis alijs curis, cum Deo solus agere? Quantūvis solus, in mundi tumultu versaberis, si eum oderis, inventurus. Felix qui

Osc. 2. 14

Quæ solitudo cunctis sectanda.

qui mundum fugere etiam corpore potest ! sed qui corpore non potest, corde affectúque fugiat. Quare internam tibi ædifica solitudinem, expelle mundanos ex corde affectus, noli de rebus caducis nimium solicitus esse : tum vel in turba sedebis solitarius, Deíque alloquio & gratiis uberibus perfrueris.

DE SANCTO DIONYSIO. 9. Oct.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera S. Dionysium cùm nondum fidem suscepisset, totum se litteris dedisse, Perpende. 1. Quo fine non ut curiositati satisfaceret, sed ut veritatem detegeret ; non ut in rerum creatarum cognitione sisteret, sed ut assurgeret in Dei cognitionem ; non ut vanis & inutilibus quæstionibus otium suum oblectaret, sed ut ea quæ didicerat, omnia ad morum suorum informationem, & aliorum instructionem referret. 2. Quo studio, eo ut nullam scientiam quam alicui sibi usui fore prævideret, neglexerit. 3. Quo fructu ? tanto, ut in Christianæ religionis mysteriorum cognitionem venerit : dicitur enim cum Dominicæ Passionis tempore solem præter naturam defeciſſe animadvertisset, dixisse : *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Vide ut ejus exemplum honestum tibi in studijs finem præfigas, Dei gloriam videlicet & propriam salutem : ut nihil eorum negligas, per quæ possis

Præparatio ad fidem.

1.

2.

3.

sis gloriam divinam promovere : ut aliquem semper fructum ad morum emendationem facias.

PUNCTUM II.

Eidem suscipit.

COnsidera cùm Paulus Athenas venisset, & in Areopago Christum resurrexisse, & mortuos omnes aliquando resurrecturos annunciaret ; alios audire noluisse ; alios audisse, & contempsisse ; alios, sed præsertim Dionysium audiisse & credidisse. Vide quàm attentè audierit, quàm generosè, inani hominum respectu, ipsaque dignitate postpositis, Evangelio paruerit. Tu verò attende. 1. Ut Dei verbum libenter audias, *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 2. Ut divini verbi præcones tanquam Dei ministros magni facias, *pro Christo* enim *legatione funguntur & dispensatores* sunt *mysteriorum Dei.* 3. Ut sæpe fidei actus circa ea quæ ab illis dicuntur, elicias. Nam *hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum Dei retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Act. 17. 32.

1. *Io.* 8. 47.

2. 1. *Cor.* 5. 20.

1. *Cor.* 4. 1.

3. *Luc.* 8. 15.

PUNCTUM III.

1. Fidem propagat libris.

2. Peregrinationibus ac prædicatione.

3. Martyrio,

COnsidera ejus zelum in propaganda fide susceptâ, quem testatus est. 1. Libris de rebus divinis editis, ut omnes, & omni tempore ad Dei amorem excitaret. 2. Laboriosis peregrinationibus : nam Athenis Romam, Roma Parisios centenario major perrexit, ubi Christum generosè constantérque prædicavit. 3.

Quare

Quare ſub Feſcennio præfecto virgis cæſus, craticulæ ſubjecto igne impoſitus, tandem mulctatus eſt capite, quod abſciſſum ſuſtuliſſe, & ad duo millia paſſuum manibus geſtaſſe dicitur. O ſi hunc zelum imitareris quoad licet! ô ſi nullos labores reformidares cum Dei gloria id poſtulat! ô ſi omnes ad Dei amorem qua verbis, qua ſcriptis excitares! *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. 21.

DE SANCTA THERESIA. 15. Oct.

PUNCTUM PRIMUM.

Diſpoſitiones ad vulnus charitatis.

COnſidera, quomodo Deus cor Thereſiæ ad vulnus charitatis diſpoſuerit. In ſolitudinem religionis eam duxit, ne poſſet mundus tam pretioſam plagam impedire. Illam incendit deſiderio veræ ſanctitatis, quæ conſiſtit in charitate: ut ipſa ultro pectus ſuum vulneri charitatis exponeret. Illam excitavit ad ſeveram mortificationem, ut ejus cor jam ſubactum pœnitentiis & mollitum minus telo charitatis reſiſteret. Illam denique purgavit ab affectu minimo creaturarum, ut in ejus corde ampliſſimus vulneri charitatis locus eſſet. O aptam ad vulnus charitatis diſpoſitionem! Sed eodem modo diſponere te debes, ſi vis & ipſe charitate vulnerari.

PUN-

PUNCTUM II.

Vulneris dimensiones.

COnsidera dimensiones sacri vulneris, quo Theresiæ cor tam bene dispositum Deus sauciavit. 1. Altitudinem, in sublimitate orationis, per quam erectus in Deum ejus animus corpus etiam suum sæpe rapiebat : in ardore martyrii tam incenso, ut paterna domo relicta, in Africam ea spe trajecerit : in excellentissimo voto, quo Deo promisit se quidquid perfectius esset, reliqua facturam. 2. Profunditatem in humiliationibus, gravissimis corporis afflictationibus, ariditate ac desolatione 18. annorum tanta ut aliquando à Deo derelicta prope videretur. 3. Longitudinem, in admirabili amoris constantia inter tot languores, & assidua cum Deo unione inter tam multa tamque gravia negoria. 4. Latitudinem, qua omne genus hominum in Deo complectebatur : viros Apostolicos quos reverebatur & orationibus tum suis tum sui Ordinis continuis juvabat : peccatores, hæreticos, & infideles, quorum conversionem macerationibus preeibúsque sæpe à Deo impetravit : animas purgatorio detentas, quas crebro liberavit : iisque de causis Religiosum utriusque sexus Ordinem instituit. O si aliqua saltem ex parte sic vulnerareris ! Expende quod ipsa scripsit, revelatum sibi à Deo fuisse certum in inferis locum, ad quem detrudenda erat, si creaturis, ut cæperat, addicta ad summam perfectionem non contendisset.

1. Sublimitas.

2. Profunditas.

3. Longitudo.

4. Latitudo.

PUN-

PUNCTUM III.

COnſidera voluptatem magnitudini vulneris reſpondentem. 1. Altitudinem, in delicijs, quas ex conjunctione cum amantiſſimo ſponſo percipiebat tam exquiſitas, ut & amara hæc vita eſſet, & ſuaviſſimam mortem, quod demum contigit, viderentur allaturæ. Cogita quàm cœleſtem voluptatem ſenſerit, cùm eam Seraphinus ignito jaculo vulneravit, & Chriſtus in ſponſam elegit. 2. Profunditatem, ex ſuavitate mortificationum. *Aut pati,* inquiebat, *aut mori.* 3. Longitudinem, quæ ad totam vitam in fructum diuturnarum deſolationum jugiter propagata eſt, ut in æterna beatitudine conſummaretur. 4. Latitudinem, ex gaudio quod oriebatur tum ex Dei gloria, quam ipſa, ejus Ordo, viri omnes boni procurarent, tum ex Dei voluntate cujus aſpectu ſuaviſſimè in omnibus etiam adverſis acquieſcebat. *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Sed ante charitatis vulnus ſuavitas illa vix guſtatur.

Voluptatis ex vulnere dimenſiones.

1. Altitudo

2. Profunditas.

3. Longitudo.

4. Latitudo

Pſ. 33. 19.

DE SANCTO LUCA. 18. Oct.

PUNCTUM PRIMUM.

MUltis quidem naturæ dotibus S. Lucam Deus ornaverat. Accedebat ad nobilitatem opéſque paternas litterarum Græcarum, Latinarum, Hebraïcarum, & Ægyptiarum, pingendíque & medicinæ ſcientia. Sed quod hæc

Mariæ diſcipulus.

hæc sciret omnia, non erat propterea beatior, si
Sap. 15. 3. Christum nesciviſſet : quem *Nosse consummata justitia est & radix immortalitatis.* A Paulo vocatus ad fidem, & baptizatus, in Mariæ disciplinam traditus est. Amavit eum Deipara, vel eo quod virgo esset : & quia sortitus erat animam bonam, brevi ad omnium virtutum perfectionem instituit : quia mentem habebat rerum altissimarum capacem, fidei mysteria docuit, præsertim quæ ad Christum pertinerent. O felicem virgine magistra discipulum ! Beatus quem tu erudieris ô Maria ! Tu divo Luæ gratulare, & animadverte quibus gradibus ad hanc felicitatem venerit. Pauli familiaritati se applicuit, divinæ vocationi paruit, Mariam coluit. Ita tu felix eris & sanctus, si bonis te adjungas, si Spiritui Sancto non resistas, si totis præcordiorum affectibus Mariam omnium virtutum magistram colas.

PUNCTUM II.

Pauli adjutor. LUcam sic institutum à Maria Paulus accepit in comitem peregrinationum, & apostolicorum munerum adjutorem. Secutus est ille ad laborem, quo animo venerat ad fidem : nec se putavit quidquam feciſſe, nisi vocationis suæ quam plurimos participes faceret. Peragrat Macedoniam, Græciam, Lybiam, Ægyptum, &c. Et ubique, quæ à Deo acceperat naturæ & gratiæ dona, in salutem impendit animarum. Utitur suavitate indolis, ut barbaros demulceat ;

at; arte pingendi, ut Christi & Mariæ imagines eorum ob oculos ponat, quorum in cordibus Christum formare & Mariam volebat. Nec ars medendi inutilis fuit; quippe illecebra corporalis medicinæ spiritualem animæ sanitatem pluribus contulit: *Sic de medico corporum in medicum versus animarum, ut omnia ejus verba languentis animæ essent medicamenta.* Qui hæc meditaris, *Da locum medico: Etenim illum Dominus creavit, &c.* Exempla ejus possunt sanare animæ tuæ languorem. Siccine naturæ & gratiæ dona utiliter impendis? Attende, quàm de proximo curam habeas. Si animam non potes, corpus cura: si corpus non potes, animæ saltem miserere: si non aliorum, saltem tuæ. Sed etsi animam curas aliorum, noli tuam negligere, ne dicatur tibi: *Medice, cura teipsum.* Hieron. Eccl. 38. 11. Luc. 4. 23.

PUNCTUM III.

Christi Evangelista.

NOn satis habuit S. Lucas fidem tam multis in provincijs annuntiasse. Quia mortalem se sciebat, Evangelium scripsit, ut etiam mortuus Christum per omnes Ecclesias prædicaret. Explicuit solus fusè & distinctè infantiæ Christi mysteria, solus nativitatem ejus in præsæpio & stabulo, solus mirabile ejus coram Herode silentium, verba ad latronem in cruce prolata, parabolas filij prodigi, mali œconomi, divitis epulonis retulit. Præterea qui *Evangelium scripserat, sicut audiverat à Maria, Paulo, & ali-* Hieron. In Missa

is Apostolis, idem acta Apostolorum, sicut ipse viderat, composuit. Tandem in Achaia, cùm *Crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro divini nominis honore portasset*, vitam martyrio feliciter clausit anno ætatis 84. Verè dignus
2. Cor. 8. 18. *cujus laus sit per omnes Ecclesias.* Hunc admirare, lauda, & mitare. Laudandus profectò, quòd Paulum & Mariam audierit, quòd ad justitiam erudierit multos, quòd Evangelium scripserit: sed laudandus magis, quòd quæ docuerat & scripserat, moriendo probavit. Vide ut pariter, & quæ audis teneas, & quæ tenes doceas, & quæ doces aut scribis, ipse facias. *Dicunt enim* multi *& non faciunt.* Unde cùm aliis prædicaverint, reprobi efficiuntur.
Matt. 23. 3.

---

28. Oct.

DE SS. SIMONE ET IUDA.

PUNCTUM PRIMUM.

Fructus laborum

COnsidera de SS. Simone & Juda, quòd 1. regiones vastissimas peragrarunt; ille Ægyptum, hic Mesopotamiam, atque una deinde Persidem. 2. Apud gentes barbaras fidem disseminaverunt. 3. Innummerabiles filios Jesu Christo pepererunt. Vide quid potuerint homines duo quos simul charitas Christi urgebat. Nam licet infirmi essent ac debiles & omni prorsus humano auxilio destituti: tam diu tot labores superare, tot hostibus resistere potuerunt:
2. Cor. 5.

tuerunt: nimirum *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* O si essem *in charitate radicatus & fundatus, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Cant. 8. 7. Eph. 3. 17. 1. Cor. 10 33.

PUNCTUM II.

Causa illius fructus.

NOn ob miracula potissimum, licet multa patrarint, fructus tam uberes tulerunt: nam plures pseudoprophetæ insurrexerunt qui etiam dæmones ejicerent. Quid est igitur quod eos magnos ostendit, inquit Chrysostomus? pecuniarum contemptus, gloriæque despectus: nam decretos sibi ab rege Babylonio honores respuerunt; jejunium, cùm in ipsa regis aula pane solo vescerentur; patientia, contumelias enim, & verbera hilari vultu perferebant; caritas erga proximum, nam inimicos à mortis periculo multis lacrymis & precibus liberarunt. Ex his collige quid valeat studium humilitatis, patientiæ & bonorum operum ad animarum conversionem. Hæc est enim lux Apostolica, de qua ait Christus, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Matt. 5. 16.

PUNCTUM III.

Præmia.

MErcedem laborum amplissimam consecuti sunt. 1. potestate in dæmones, qui sponte fugiebant ad aspectum illorum: adeo maligni spiritus humiles reformidant. 2. Conver-

sione populorum quos ingenti numero tanquam filios Christo pepererunt. 3. Novis quotidie gratiarum donis. *Pro eo enim quod laboravit anima illorum, vidit & saturata est.* 4. Consolationibus spiritualibus. *Quàm magna est multitudo dulcedinis tua Domine, quàm abscondisti timentibus te.* 5. Morte glorioſa, quam Christi causa passi sunt. Postremo miraculis, quibus Deus illorum tumulum decoravit. O si scires, quàm suave sit agere pro Christo & pati! Compara cum his præmijs, mundi, dæmonis, moríſque proprii præmia, & elige.

Isa 53 11. Ps. 30. 20.

---

4. Nov.

DE SANCTO CAROLO.

PUNCTUM PRIMUM.

Dei victima. 1. Consecrando externa bona. 2. Corpus.

VIctimam S. Carolus se exhibuit triplici sacrificij genere. 1. Sæcularium opum & dignitatum: audita enim fratris nutu majoris morte, sacerdotio statim inito multis reluctantibus, cùm summa omnia sperare posset, Christo in perpetuum se addixit. 2. Corpus immolavit creatori, ut fieret integrum holocaustum per inviolatam castitatem, etsi bis acerrimè tentatam: deinde omnibus stupendæ pœnitentiæ laboribus. Interdixerat sibi igne, carnibus, lecto: nuda sæpe terra, straminea ferè culcitra, aut asseribus cubabat, pane victitabat & aquâ; idque maximè cùm diœcesim lustraret: hoc autem munus, quantum potuit, obijt pedes, sarcinas ipse humeris sole ardenti in fame & siti ferens,

ferens, & aliquando dies totos jejunus, Romam ad jubilæum profectus, nudis pedibus interdum cum suis adibat templa. Denique tanta severitate tractavit corpus vigilijs, jejunijs, cilicijs per exercitia spiritualia paucis ante obitum hebdomadis, ut febri correptum, ne quidquam sibi tamen indulgentem Confessarius prohibere, ne pergeret, necesse habuerit. Verum morti proximus majore cilicio, quod sæpius gestaverat, indui ut lorica justitiæ voluit, implacabilis sui etiam ad mortem hostis; ut qui Deo soli vixerat, sibi semper moreretur. Utinam sic moriar, ut sic vivam! *Qui amat animam* Ioa. 12. 25. *suam, perdet eam.* 3. Sacrificium labiorum seu orationis ad duas primum, tum ad sex in diem horas: imo & octo continenter immotus in oratione perstare paulò antè obitum visus est: atque ita Deo animum consecrabat. 3. Animæ.

PUNCTUM II.

COnsidera mirabilem S. Caroli, quam à patre habuit quasi hæreditariam, erga pauperes charitatem. Certè is nihil gustabat umquam, quin eleemosynam prius aliquam in eo pene prodigus erogasset. 1. S. Carolus maximam partem è beneficii Ecclesiastici reditibus vix 12. annos natus per se pauperibus largitus est, idque tota vita constanter retinuit. 2. Uritano principatu vendito 40. millia aureorum, & 20. millia sibi legata iisdem distribuit. 3. In summa sterilitate ipse tria millia pauperum enutrivit Pater egenorum. 1. 2. 3.

trivit & alijs longè plurimis eleemosynas dari per pagos curavit. Ad 70. etiam millia per se ac per alios è præcipua nobilitate viros permotos ipsius exemplo & adhortationibus sustentavit.

4. 4. Ut peste afflictos juvaret, vasa argentea, supellectilem, lectum ipsum vendidit, sibi victum interea omnem sæpe eripiens, aut modicum panis ad summum retinens, ut Christum

5. liberaliùs in pauperibus pasceret. 5. Isdem nosocomium ingens, puellis orphanis domum, egenis nobilibus Collegium fundavit & extruxit: neque unquam passus est, ut quamdiu habuit quod daret, mendicus ullus à se indonatus abi-

6. ret. 6. Cùm semel, post administrata toto die Sacramenta, nihil ad cænam reperisset, tantas Deo gratias egit, quòd sua per egenos munuscula accepisset, quantas alter cui hæreditas obvenisset. Sed non defuit servo Deus, nec vinci se passus est: subito enim 100. aurei à viro nobili missi sunt.

PUNCTUM III.

Diœcesis suæ Pastor. 1. *Io.* 10. Præit exemplo.

FUerunt in S. Carolo dotes omnes veri Episcopi, ac boni Pastoris animarum. 1. enim bonus Pastor ante oves vadit, hoc est præit exemplo. Hinc præter ea quæ diximus hactenus, ex beneficijs Ecclesiasticis, quæ possidebat, plura abjecit: atque ita annuo reditu 20. millium aureorum se spoliavit. Domesticam familiam, 400. ex ea abire permissis ad vitæ Christianæ in-

2. stitutum religiosè formavit. 2. Sæpius dedit animam

animam pro ovibus suis. Grassante peste, primus ægrotos adijt, ijsque Sacramenta ministravit: tum in solemni supplicatione Dei iram placaturus, nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, cinere ac concilio opertus, reste è collo suspensa, crucem bajulans hostiam se pro fratribus obtulit. Dat animam pro ovibus. 3. Pascebat oves suas bonis suis, sed maximè verbo Dei & Evchariſtia: nec domum ferè se recipiebat nisi secunda post meridiem, toto hoc tempore concionando, sacramenta administrando, visitando nosocomia, &c. 3. Pascit. 4. Morbos spiritales curavit: quàm in rem extorsit à Pio IV. & à Pio V. ut adire diœcesim liceret. Ergo urbis Mediolanensis, etiam Sacerdotum & Religiosarum familiarum corruptissimos mores in melius mutavit; chorum restauravit, apud Canonicos disciplinam Ecclesiasticam pene collapsam restituit; perditis mulieribus, quo se reciperent, assignavit domum; bacchanalium dierum licentiam ita coërcuit, ut à Septuagesima pietas sanctioris hebdomadæ tota passim urbe reluceret. 4. Sanat. 5. Perditas oves in montibus apud Heluetios & Rhætos plurimas in ovile reduxit; magos ibi frequentes ejecit; Apostolicum nuncium, qui apud eos degeret, obtinuit; seminaria & collegia fundavit; singulis pagis scholas attribuit. Quam multa potest qui divinæ gloriæ animarúmque zelo præditus est! Vide, quid possis, quamque multa negligas. 5. Ad ovile reducit.

PUNCTUM IV.

Totius Ecclesiæ Pontifex.

1. Doctrina.

2. Moribus

NOn minus natus est totius Ecclesiæ, quam Mediolanensis diœcesis bono S. Pontifex. 1. ejus solicitudine absolutum est Concilium Tridentinum. Concilia Provincialia 5. Synodalia 9. habuit Ecclesiæ perutilia. Plura scripsit ad Episcoporum maximè instructionem. Ecclesiasticæ libertatis juriúmque fuit acerrimus propugnator, ipso etiam Mediolanensi gubernatore excommunicatione perculso. 2. Sanctitatis ac reformationis morum primus exemplum se Romæ proposuit, quod deinde in totius Europæ Prælatos dimanavit. In familia sua domestica 12. Episcopos Ecclesiæ formavit, 7. Nuncios, Cardinalem unum, ac Pium V, quantum Pontificem! Siccine doctrinam sanctam bonósque mores quantum in te est, promoves?

---

11. Nov

DE SANCTO MARTINO.

PUNCTUM PRIMUM.

Dat pauperi partē chlamidis.

1.

2.

HEroïcum est S. Martini factum, qui pauperi ac nudo eleemosynam Christi nomine petenti partem chlamydis dedit. In quo perpende. 1. Quis fecit? Cathecumenus, doctrina Christiana vix institutus, & in exercitu maximè corrupto miles. 2. Quid fecit? partem chlamydis dedit, cùm nihil præter arma & vestimentum haberet. Itaque rem sibi necessa-

riam

riam dedit, inusitato prorsus eleemosynæ genere, cum certo periculo irrisionis ex dimidiata veste. 3. Cui dedit? Christo, quem in pauperis nuditate latentem fidei oculis vidit & amavit, quique sequenti nocte dimidiata illa veste indutus Martino apparuit hanc mittens vocem: *Martinus Cathecumenus hac me veste contexit.* O frustum chlamydis pretiosum, quo Dominus ille, in cujus femore scriptum est, Rex Regum, & Dominus dominantium, gloriatur! Tu verò quid inopibus, quid ipsi Christo dedisti? Dedit, quòd sibi esset necessarium Cathecumenus: nos, quæ superflua sint, imo quæ noxia, denegamus, quantumvis longè plura nobis, quam tum Martino, Christus donarit. 3.

PUNCTUM III.

MAgnificè Deus S. Martini liberalitatem remuneratus est. Tanta eum fide instruxit, ut miracula illi haud difficiliora, quam cæteris ordinariæ actiones, essent: tam firma spe, nullum aliud præsidium adversus pericula omnia omnésque dæmonum conatus nisi signum Crucis vellet: tanta charitate, ut & mortem, qua Deo jungeretur, optaret; nec recusaret labores vitæ, quibus proximo salutem pareret: tanta pietate, ut nulla unquam re magis, quàm oratione etiam cùm negotia maxima tractaret, ejus animus occuparetur; & vel inter graves morbi cruciatus Quid Deus rependat.

invictum ab oratione spiritum non relaxaret: tanta patientia, ut licet gladius persecutoris vitam ei non abstulerit, palmam tamen martyrii non amiserit: tanta vitæ sanctitate, ut jam moribundus dæmoni audacter dixerit: *Quid adstas, cruenta bestia? nihil in me funesti invenies*: tanta denique humilitate, ut indutus cilicio jacénsque in cinere voluerit reddere Deo animam, quam Angelorum plaudentium chorus in cœlum honorificè deduxit. O beatum finem vitæ sanctè inchoatæ! ô amplam operis unius doníque mercedem! quantum acquirit, qui Dei causa re aliqua se abdicat!

PUNCTUM III.

Quid imitari debeamus.

LIcet nemo fortè Sanctorum chlamydem cum mendico partitus sit: multi tamen S. Martinum imitati sunt, multi pariter jam inde ab initio conversionis suæ animum generosè vicerunt. Suxerunt alii saniem ex horrendo ulcere fluentem, alii leprosos amplexati sunt, aliter alii de seipsis triumpharunt pæne antequam sibi mundóque bellum indixissent. Quid deinde? Hi semel à seipsis victi nulla re vinci potuere: sic sui victores facti non tam bellaverunt postea aut secum aut cum salutis hostibus, quam perpetuò vicerunt. Sic tu semel si viceris, semper invictus deinceps, semper victor futurus es. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Hoc Deo si dederis,

Apoc. 3.

deris, gratiarum suarum thesauros in te omnes congeret. *Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum.* Eccl. 20. 12.

DE SANCTA CATHARINA. 25. Nov.

PUNCTUM PRIMUM.

PErpende primam omnium virtutum & aliarum fontem, quæ in S. Catharina eluxerunt fuisse virginitatem : quæ cùm in ea eximia fuerit, ita cœlestia illa dona attulit, quæ hanc cœlestem virtutem comitari solent. Hæc porro virtus quanta sit in genere, ex eo cognoscere possumus. 1. Quòd homines Angelis similes efficiat, vel potiùs superiores. Nam *Angelicam gloriam acquirere majus est, quam habere: esse Angelum felicitatis est, Virginem esse virtutis.* 2. Quòd virgines singulari quodam præ cæteris amore Christus diligat. Nam *Sequuntur agnum, quocunque ierit.* 3. Quòd hæc virtus unigenitum è sinu Patris allexerit. *O quanta est virginitatis gratia, quæ meruit à Christo eligi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo divinitatis!* Virgo. Chrys. ser. 143. Apoc. 14. 4. Ambr.

Quòd si tam insigni forma, ætate fragili, solicitantibus Imperatoris amoribus, heroïcam illam virtutem S. Catharina conservare potuit: nonne corpus virgineum, castámque mentem servare poterimus ? Sed cogita virtutis hujus nitorem leviſſima labe violari.

PUN-

PUNCTUM II.

Doctorū magistra

CAstissimam S. Catharinæ mentem, utpote dignum cœlestis doctrinæ habitaculum, infusa à Deo scientia mirabilis decoravit, & Doctorum ei aureolam in cœlo peperit. At quam fuit illa doctrina ad procurandam Dei gloriam efficax, quæ tot infideles Christi nomini prius insensissimos, tot Philosophos suæ ætatis sapientissimos ab erroribus ad Christi fidem convertit, & invicta constantia ad martyrium roboravit. O quam admirabilis es Domine, qui sic *infirma mundi eligis, ut confundas fortia!* An verò Catharinam imitamur? An piis colloquiis & cohortationibus Christi doctrinam data occasione pietatémque pro viribus promovemus? In quo vide. 1. Ut verbis tuis facta respondeant, nam *Docere & non facere non modo lucri nihil, sed & damni plurimum confert.* 2. Ut orationibus tuis Spiritum Sanctum advoces, qui audientium mentes illuminet cordáque accendat: nam *Nisi Spiritus Sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris.* 3. Ut non tuæ, sed Christi gloriæ consulas, *Lacrymæ auditorum laudes tuæ sint.*

1. *Cor.* 1. 22.

Chrys. de Comp. cord.

Gregor. hom. 30. *sup. Eu. Mier.*

PUNCTUM III.

Martyr.

SAlutaris doctrina & inconcussa virginitas martyrii palmam post crudelissima tormenta S. Catharinæ pepererunt. Ubi enim vidit Maximinus frustra esse Philosophorum scientiam blanditiásque suas & promissa, virginem ver-

verberibus plumbatísque cæsam dies undecim absque cibo & potu tenet in carcere: quo ingressi Porphyrius belli dux & ipsa Maximini uxor, ab eaque ad Christum conversi martyrio coronati sunt. Tum rotæ imponitur crebris & acutis præfixæ gladiis, qua confracta, securi percutitur. Hic & invictam puellæ fortitudinem & tuam ignaviam admirare, quem inanis hominum respectus à Christi fide, moribus tuis profitenda, sæpe abducat. Deinde vide, quàm facilè possis passionum mortificatione, quasi lento martyrio, sacrificium de te perpetuum offerre. O quoties in die mori sic pro Christo possumus!



PRO

PRO RENOVATIONE VOTORUM.

MEDITATIO PRIMA.

Gal. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Religiosi reformatio in renovatione votorum.

PUNCTUM PRIMUM.

Religiosos formavit.

COnsidera quomodo, cùm ad Religionem primùm venimus, vel deformes omnino, vel saltem rudes prorsus & informes & quoad intellectum, & quoad voluntatem & mores, pia mater nos domo probationis, velut in suo utero exceptos omni studio foverit, & S. Spiritus vi & calore toto biennio parturierit, primúmq; veluti in lucem emiserit, cùm vota fecimus. In memoriam revocabo deformationem vitæ prioris, Dei in me & Religionis benignitatem, superiorum sollicitudinem, Spiritus Dei vim & operationes varias, mei mutationem, lumina, fervorem, desideria perfectionis ardentia, denique integram mei oblationem à Deo & Religione acceptatam. Quam propriè videbar jam totus formatus in alium virum, ex carnali in spiritualem, ex mundi mancipio in Christi militem. Gratias agam.

PUN-

PUNCTUM II.

CVm debuissem studiosè conservare & perficere hanc formam adeo mihi necessariam: passus sum tamen illam vel sensim perire, vel imperfectam manere, adeo ut egeam reformatione aliqua saltem. Cùm enim tres sint modi deformidatis, non est dubium quin aliquo laborem. 1. Est eorum, qui cùm Religiosam & spiritualem vitam profiteantur, nihil tamen Religiosæ formæ habent præter externum habitum. 2. Eeorum, qui cùm habent aliquas vitæ partes bene formatas, non tamen omnes; ut cùm in paupertate bene se habent, at non in obedientia, humilitate, &c. cùm in intellectu nihil deforme sit, at in voluntate multi sunt actus inordinati, & motus leves in exteriori homine: cùm bene se habet examen conscientiæ, meditatio autem & cæteræ functiones malè. 3. Est eorum, qui cùm non patiantur notabilem deformitatem, tamen non eam omnem perfectionem habent quam pro instituto poterant & debebant esse consecuti. Perpendam, in quo sim gradu, & quid mihi desit: & coram Deo & Sanctis Angelis magna confusione recensebo singulas meas deformitates cum serio desiderio emendationis.

Deteritur illa forma.

1.

2.

3.

PUNCTUM III.

HOc desiderium vehementius efficiet in me piæ matris vox, quæ singulari Dei beneficio

Reformatur in

hanc

renovatione votorũ. hanc à Deo virtutem accepit, ut etiam quos sæpe jam peperit, parturire iterum iterumque possit, donec Christo Domino duci suo & parenti conformes sint. *Filioli*, ait, *mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et quidem id facit semper, sed præcipuè cùm instat renovatio votorum. Tunc enim filios suos toto affectu complexa, excitato spiritus illius quo plena est calore, collectis omnibus viribus, ingenti molimine & conatibus, & doloribus magnis enititur instituti sui formæ reddere conformes. Illuc spectant Religionis totius, etiam ejus quæ in cœlo est, preces, viventium etiam in orbe toto, fervor & lachrymæ, mortificationes, adhortationes, instituti consideratio, confessio generalis, conscientiæ manifestatio, recollectio, & alia id genus media, quæ ipsa dum tanto spiritus fervore adhibet & ut etiam adhibeamus, tam sollicitè & amanter hortatur, nos verè iterum parturit.

PUNCTUM IV.

Majori labore. COgitabo quod conatus ejus & nostros, & dolores eo majores esse necesse est, quo jam difficilius est distortas animæ nostræ inclinationes, ubi diuturno usu induruerunt, corrigere: unde jam major aliquanto fervor requiritur, quàm cùm emisimus primum vota. Itaque cavebo ne, quod plerísque contingit, cordis mei duritia & inflexibili pertinacia tantos in me conatus irritos reddam. Lustrabo ergo cor meum

meum ad fundum usque, ad attendam num in eo aliqua sit voluntaria & obdurata deformitas: quam si deprehendero, rogabo Christum Dominum in cruce fixum, ut suo illam sanguine & amore emolliat, vel conterat potentia dexteræ suæ, sic ut fiam instar ceræ mollis & terræ in manu figuli, facilíusque in ejus similitudinem formet.

MEDITATIO II.

Ad eadem verba.

Idea religiosæ reformationis.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera formam illam quam vult Religio in nobis efficere, esse Christum, sive vitam ejus vel imitationem, qua nimirum fiat, ut in hoc theatro, in quo *spectaculum facti sumus Deo, & Angelis & hominibus*, repræsentemus perfectè personam Christi Domini, tum in interiori homine, non tantùm per gratiam habitualem, quæ nos ejus fratres, & filios Dei facit; sed etiam per cogitationes, affectus, desideria, intentiones, consilia: tum in exteriori, per verba, corporis compositionem, conversationem, functiones concionum, lectionum, ministeriorum, & officiorum, induentes nos viscera charitatis ejus & misericordiæ, patientiam humilitatem, obedientiam: & in omni loco & tempore sic ullum ad vivum in nobis ex-

Forma illa Christus est. 1. Cor. 4. 9.

primamus, ut Pater æternus Filium suum in nobis agnoscat quodammodo orantem, conversantem, obedientem, humiliatum, & sic in nobis, ut in dilecto filio suo sibi complaceat; homines vero nostro aspectu, verbis, conversatione, functionibus, in Dei & Christi notitiam, & amorem, admirationémque veniant. O quam gratum spectaculum Deo, Angelis, & hominibus! Vide quomodo tu hanc Christi personam sustineris.

PUNCTUM II.

Regulæ. COnsidera, matrem nostram Religionem, cui est datum nos parturire, donec Christus formetur in nobis, habere etiam in se eam formam, quam nobis vult imprimere: alioquin quomodo eam in nobis efficeret? Illa forma continetur toto instituto ejus, quod nihil est aliud quàm signaculum quoddam expressum solerti manu ex Christi Domini vita & actionibus, ut postea applicatum nobis, ejus vitæ formam in nobis imprimat. Omnes enim regulæ aliud nihil sunt, quàm expressa ex Domini gestis documenta & practicæ perfectionis axiomata, quibus adjungit Dominus internam Filij sui, cujus proprium est externam illam formam profundè menti nostræ imprimere. Quare non sine causa Superiores in votorum renovatione commendant instituti considerationem, & illam formam veluti nobis appplicant. Hinc cognoscam quanti mihi sint faciendæ regulæ

gulæ omnes, quo ſpiritu recipiendæ, quo fervore finéque ſervandæ : ut nimirum piè eas obſervans conformis tandem fiam Chriſto in omnibus.

PUNCTUM III.

COnſidera præter inſtituti formam, fuiſſe in Religione & etiamnum eſſe multas vivas Chriſti imagines & formas, qui quem in ſe continent & exprimunt Chriſtum, ita nobis exemplo præcipuo & verbo exhibent, ut Religio meritò per eas dicatur formare Chriſtum in nobis : ſic enim Paulus Chriſtum in fidelibus formabat. Talis fuit Ignatius, Xaverius &c. tales ſunt communiter Superiores, & præter eos multi viri ſancti non ita paſſim omnibus noti, qui verè poſſunt dicere. *Vivo, jam non ego : vivit verò in me Chriſtus.* Item, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Et verò in Religione tales eſſe deberemus omnes, ut nos mutuò conſiderantes in devotione creſceremus, & Deum in alijs, ut in illius imagine agnoſceremus. Ita enim ex tot imaginibus Chriſti Spiritu plenis, directa in ſe mutuò virtutum exempla Chriſtum perficerent, tam in interiori quàm in exteriori cujuſque homine. O quam gratum & glorioſum eſſet tale ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus ! Proponam non attendere mores tepidorum : ſed in ijs, qui in Chriſti ſpiritu ambulant, intueri Chriſtum, & in me derivare, ſequutus Apoſtoli conſilium, qui ut oculos ani-

Perfecti Religioſi.

Gal. 2. 20.

Phil. 3. 17.

móſque fidelium ab imperfectorum vita revocaret, Chriſtum in ſe exprimebat, & eos hortabatur: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

PUNCTUM IV.

Neceſſaria nunc eſt illa forma.

PErpende Dominum Chriſtum miſeris temporibus, quibus mundus eſt adeo deformatus, hanc vitæ ſuæ formam dilectæ ſuæ Religioni matri noſtræ conceſſiſſe, tum ex magno amore, quo ſingulos ejus filios proſequitur, quos ab æterno voluit eſſe conformes imagini ſuæ; tum ob Eccleſiæ ſuæ bonum, quæ ſi unquam, certè indiget hoc tempore (quo charitas extincta pene ubique eſt, vacillat verò fides) ſtrenuis operariis, qui ſua ſanctitate vitam Chriſti repræſentent mundo. Et certè ſi tanta eſt in aliis orbis partibus neceſſitas, nemo non videt, quanta ſit in his, ubi tanta credendi vivendíque licentia omnem prope Dei notitiam, & ſenſum hominibus abſtulit. Si ergo Deum amem & Dei Chriſtíque gloriam, conabor omni ſtudio eam formam acquirere, ut ſic reformando mundo valeam cooperari: quod, damnata mea deformitate, à Deo per S. Patris noſtri merita petam.

ME-

MEDITATIO III.

O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Gal. 3. 1.

Defectus luminis spiritualis practici.

PUNCTUM PRIMUM.

Necessarium est lumen practicũ.

AD formam illam vitæ Christi exprimendam necessarium imprimis est clarissimam & distinctissimam Christi imaginem per cognitionem ejus perfectam menti imprimere: hoc enim est primum veluti vestigium divinæ hujus formæ. Nam nisi veram claramque Christi speciem in se ipso intellectus depingat, non poterit voluntas amoris ejus sigillo consignari, nec mores ad ejus imitationem formare. Quare Apostolus, Galatas, in quibus Christum formare volebat, insensatos vocat & stultos, qui hac notitia carebant: vera enim sapientia & scientia Sanctorum est scire Christum; & illum nescire, vel parum scire, est stultitia. O quot fideles, imo religiosi parum Christum norunt, saltem practicè, licet alia studiosè exquirant, in quibus docti & sapientes videntur! Quam multis formis imbuti, vix ullum locum perfectæ Christi imagini in se formandæ relinquunt! Non mirum est si deformes illi perpetuò manent,

Multis deest.

ant, cùm ad vitæ Christi formam parum animi habeant. Conabor apprehendere quod ait Paulus *Si quis ignorat, ignorabitur*: quasi diceret, qui nullam Christi formam menti impressam gerit, adeoque eum non novit, vel minus quam pro statu deberet: etiam non poterit agnosci, ut ad Christum pertinens.

1. Cor. 14. 36.

PUNCTUM II.

Causa hujus defectus

PRæcipuam causam hujus insipientiæ Galatarum S. Paulus tribuit, cuidam veluti fascinationi: *Quis vos fascinavit*, inquit ut Christum crucifixum, totámque vitæ ejus formam ante oculos vestros descriptam non videatis? Sicut autem fascinum propriè nocet infantibus, iis qui firmo necdum vestigio pedem figunt: ita plerumque solet contingere, ut statum ab ipso novitiatu studia, & externæ occupationes, & nonnullorum exempla vehementem cujuspiam boni sensibilis, v. g. honoris, favoris, gloriæ, commoditatum imaginationem & affectum ingerant, & ita rapiant animi vires, intellectum & affectum, ut sensim sine sensu indurescat ad spiritualia, & excæcetur. Quare nec Deum, nec Christum, nec seipsum videt, licet sæpe Superiorum monitionibus & assiduis Dei inspirationibus ante oculos repræsentetur. Hanc meam cæcitatem & duritiem agnoscam, petámque à Deo, ut oculos meos illuminet, ne obdormiam in monte.

PUN-

PUNCTUM III.

APtissimum contra hoc fascinum remedium est, bene Christi Domini vitam meditari: nec enim facilè vis fascini hujus attinget illum, qui quotidie spiritualibus exercitijs serio vacabit. Itaque expendam defectus quos soleo admittere in meditatione, nempe in præparatione ejus, in integritate, in modo, in quotidiano fructu, & executione: & conabor, ut significat Apostolus quotidiana vitæ & passionis Christi meditatione illum mihi tanquam vivum exemplar, vel librum apertum, clarissimis vulnerum & vibicum characteribus descriptum proponere: ex quo veram scientiam hauriam, in quo legam virtutum omnium naturam, proprietates, actus internos & externos. Remedium.

PUNCTUM IV.

ADdam denique illam objurgationem B. Pauli, quæ ibidem statim subjicitur. *Sic stulti estis, ut cũ spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? tanta passi estis sine causa.* Nam valde stultum est, quod cum primum singulari Dei beneficio vocatus fui ad Religionem, cum tanto fervore cœperim in vita spirituali progredi, creata omnia bona, mundum, mundique favorem omnem & gloriam contemnere: nunc post tot annos animo plane seculari, & carnali intentione, longè minora bona in Religione ipsa prosequar, quam in sæculo: adeo ut videar Serio adhibendum. *v.* 3.

ar frustra pene hactenus laborasse,& jecisse fundamentum pretiosum, & jam superædificare quisquilias. Ergo confusus resumpto pristino fervore spiritus, ad illam consummationem contendam, cujus exemplum dedit mihi Chri-
Joan. 19. 30. stus in cruce, cùm dixit: *Consummatum est.*

MEDITATIO IV.

Gal. 6. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Defectus amoris Jesu Christi.

PUNCTUM PRIMUM.

Formatur in nobis Christus, ipsum amando.

AD formandum in nobis Christum valde est necessarius ardens ejus amor. Is enim est veluti fornax, in qua duities cordium nostrorum mollescit, ut in his divina vitæ ejus forma exprimatur. Quare omnes qui in Christi amore excelluerunt, videmus etiam in ejus imitatione excelluisse.

PUNCTUM II.

Christus præ cæteris æstimandus.

COnsidera amorem hunc erga Christum debere esse magnum, æstimativè potissimum, sicut nihil Christo ejúsque gloriæ præponamus; ut potius ei ex integro serviamus. Quare in eo totus est Paulus, ut Galatis persuadeat vim & dignitatem crucis Christi. Et certè in vita spirituali

rituali nihil ita retardat à perfectiore illa forma, quàm quòd, si non speculativè, saltem practicè non satis æstimamus Christum & ejus perfectam similitudinem, & nescio quomodo veluti scandalizamur in ejus cruce, paupertate, humilitate, adeoque in alijs ; & in nobis pluris facimus apparentia quædam bona, quam solidas Christi virtutes. Hinc enim fit ut admiremur & laudemus externa nostra & aliorum, interna verò parum admodum. Examinabo ego me & ad fundum usque exquiram, num verè Christum amem, num in me & in alijs tanti faciam vera bona, ut debeo : & si deprehendero in me pondus, & stateram dolosam ac mendacii, confundar, petitáque venia, corrigam.

PUNCTUM III.

QVod si velim ita Christum diligere appretiativè, debeo sentire quod sentiebat Apostolus, cùm diceret : *Mihi autem absit, &c.* quasi diceret : Glorientur alii in cæteris bonis quibuscumque quæ ipsi magna & excellentia reputant, in lege, in hominum plausu, in varijs talentis : at ego sola cruce Jesu, tanquam excellentissimo bono meo, per quem, id est per cujus meritum, ad cujus imitationem, & propter cujus amorem mihi mundus crucifixus est & ego mundo ; adeo ut tanquam mortuus in cruce cum Christo jam amplius non tenear, neque tangar mundanis opinionibus, favoribus, deliciis, opibus, gloria ; vel contra, opprobrijs, de-

Et præ cæteris amãdus

tractionibus, infamia, odiis, persecutionibus; & vice versa mundus ipse mihi crucifixus est, quia hæc eadem bona & mala mundana non me magis afficiunt, quàm si verè mortua essent.

PUNCTUM IV.

Hæc regula factis sequenda. *v.* 16.

COnsidera, non satis esse ad perfectum Christi amorem id sentire: sed necesse est etiam hanc regulam sequi, ut monet Apostolus. *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Certè hæc regula vitæ Christi, quam nobis Apostolus commendat, in nostro instituto & regulis nobis explicata & in manu posita est. Quare non tantùm nobis magni faciendæ sunt, sed etiam singulari studio observandæ propter amorem Christi cujus vitæ formam nobis imprimunt: alioquin privabimur excellenti illo effectu amoris Christi, pace, inquam nobiscum, cum Deo, cum superioribus, cum alijs: id quod experientia quotidie satis nos docet.

Ut pacem habeamus.

PUNCTUM V.

Quod palam faciendum. *v.* 17.

SEd præterea si abundãtiori charitate ferar in Christum, tentabo imitari Apostolum in eo quod dicit. *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Quib⁹ verbis declaravit quantum amaret Christum: nam proculcato omni humano respectu, & ablegato à se omni favore, honore, & gloria hominum, despectísque dicteriis, odiis, persecutionibus, se & esse, & fore profitetur Christi

sti servum, non occultum, non clam, & in animo, ac bonis desiderijs ; sed reipsa, sed palam in suo corpore, in fronte, in vita tota, in conversatione omni, ferendo insignia & stigmata Domini Jesu, id est inustas ad similitudinem crucis Domini notas, verbera, ignominiam, calumnias, corporis mortificationes, quæ à Domini corpore, & cruce derivata testarentur, cujus esset servus & miles. Et hoc est quod regula 11. Constit. nobis commendatur. Ergo pertentabo animum meum & interrogabo me, an sit mihi satis roboris, ut dicam : *De cætero nemo mihi molestus sit, &c.*

MEDITATIO V.

Miror, quod sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam. Gal. 1. 6.

Levitas & inconstantia.

PUNCTUM PRIMUM.

Constantia necessaria.

COnsiderabo, valdè esse necessarium ad imprimendum cordi & vitæ formam Christi, inchoatum opus urgere continuò, nec intermittere. Quare Apostolus statim initio declarat inconstantiam Galatarum fuisse causam, cur in illis iterum formari Christus deberet : *Miror quod tam citò transferimini*, & quasi transmigratis ad imperfectum statum à perfecto, ad quem vocati estis à Deo, ex puro amore. Cogitabo

Nostra levitas.

gitabo quam sæpe bona proposita, mihi à Deo tam misericorditer inspirata, & tam serio coram ipso concepta mutem leviter, & à perfectionis prosecutione revolvar ad inferiora bona : id quod admirans coram Deo confundar ob tantam ingratitudinem.

PUNCTUM II.

Causæ illius.

APostolus causas duas illius levitatis indicat.

1. Intueri imperfectos.

1. Est quod nimis facile avertam oculos mentis à meo exemplari; & eos convertam ad imperfectorum vitam, exempla, verba, & consilia, quibus facilè permoventur qui non satis constantes sunt, ut bene inchoata deserant. Amat enim corrupta natura tepidorum potius quàm aliorum exemplum sequi, & minus necessarium judicamus pristinis propositis insistere, quando videmus alios in contraria ferri: sic ut illa cogitemus vel superflua esse, vel indiscreta atque adeo non esse à Deo ; quia videmus alios, quos prudentes reputamus, alia via pergere.

2. Acquiescere carni.

2. Causa est quia nimium acquiescimus carni & sanguini, immortificatione affectuum inordinatorum, neque Christum tota voluntate complectimur ; sed veluti penduli sumus circa ea quæ perfectionis sunt : unde quavis aura facilè per bona creata movemur.

PUNCTUM III.

1. Remedium con-

COgitabo, efficacissimum remedium contra hanc inconstantiam esse crebram mei considera-

sideratione per examen conscientiæ utrumque, & regulas electionis. Nihil enim ita levitatem nostram, quæ plerumque ex inconsideratione provenit, astringit, sicut consideratio & attentio vigilans circa se & actiones suas; sive præteritas, ut bene discutiantur, & corrigantur ad normam vitæ Christi; sive futuras, ut perfectè per eandem normam componantur. Examinabo igitur, quomodo hactenus usus sim utroque examine & regulis electionis, & quomodo uti imposterum debeam.

sideratio actionũ nostrarũ

PUNCTUM III.

UTile etiam remedium est, sequi exemplum Apostoli quod Galatis ideo proposuit: *Christo*, inquit, *confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Christus*: quasi diceret. 1. Abhorrere ab omnibus quæ mundus amat, & amplectitur: quare præcidite vos à sterili & damnata arbore mundanæ vitæ, adeo ut nullam vobis relinquatis spem ex illa trahendi ullum succum, aut ex ejus legibus, moribus, spiritu vivendi: sicut ramus præcisus ab arbore prorsus ab ea alienus est. 2. Inserite vos cruci sive Christo crucifixo per ejus amorem, sic ut illi immobiliter adhæreatis, & ab illo vitam & succum gratiæ sugatis, ut non jam vos in vobis vivatis, non natura vestra, non malæ inclinationes, non voluntas; sed Christus ipse, à quo trahatis succum & formam internam vitæ ejus, paupertatis, obedientiæ, &c. ut ipse Christus in vobis

1. Remedium abhorrere à mundo *Gal.* 2. 19.

2. Adhærere Christo.

vobis oret, loquatur, operetur, labores patiatur. Confundar quod tam parũ firmiter cũ Christo colligatus sim, & petã à Deo, ut faciat me in suo amore, & in bonis propositis meis imobilem.

MEDITATIO VI.

Gal. 5.7. *Currebatis bene: quis vos impedivit?*

Tepiditas.

PUNCTUM PRIMUM.

Cursus ad perfectionẽ.

COnsiderabo, cursum meum consistere in eo, ut ad perfectam formam vitæ Christi, sive ad salutem & perfectionem meam, & proximorum, per media mihi in mea vocatione proposita contendam, non qualicunque modo, non claudicando, non ambulando, sed currendo in odorem unguentorum, id est exemplorum Christi, qui me traxit à seculo ad se sequendum. Et quidem illum ego cursum cum aliquo fervore inchoasse videor: sed nonne fui abductus ab illo fine ad creata bona? per quot circuitus festinavi? quam inutiliter cucurri, & quodammodo lassatus sum in via vanitatis?

Retardatus.

PUNCTUM II.

Quibus de causis

COnsiderabo quæ sint causæ errorum, & tarditatis. Certè Deus ex parte sua hactenus me traxit inspirationibus, adhortationibus, & exemplis, & etiamnum fortissimè trahit: & ipsa Domini Christi charitas potentissimè me urgit, & urget, ne mihi vivam. Ergo hæc vincula sive impedimenta cursus mei, & si nonnulla sint ab imperfectiorum exemplis, tamen potissimum

tissimum ego mihi ipse injeci. Illa S. Bernardus ad quatuor revocat. 1. est neglectus conscientiæ parum timoratæ, quo fit ut multa mihi quotidie vincula peccatorum injiciam, quibus vel abstrahar à via, vel in ea retarder. 2. Vanorum desideriorum multiplicitas. 3. Effusio in occupationes externas non necessarias: unde variæ sollicitudinũ spinæ. 4. Animi remissio & languor ob apprehensas corporis incommoditates & alias difficultates vitæ spiritualis. 1. 2. 3. 4.

PUNCTUM III.

COnsiderabo, quot me jam annis impedimenta irretitum tenent, & quamdiu retinebunt, nisi abrumpam. Quam parũ viæ hactenus confecerim, & quo jam pervenissem, si ut videbar initio incæpisse, semper cucurrissem. Certè quod ad meam attinet salutem, vix videor illam satis in tuto collocasse. Quid si coram Deo comparendum esset? habent enim semper tepidi, unde de conscientia sua dubitent, & judicia Dei timeant. Quod attinet ad perfectionem, possúmne agnoscere in me vel unam virtutem solidam & veram? Imo quam crudas adhuc sentio passiones, quantas in perfectione acquirenda, & virtutum exercitiis difficultates? Quod autẽ ad proximum spectat, quam parum hactenus egi? súmne mihi conscius, quod vel unicum peccatum mortale aliquando impediverim? idque idcirco quia revera non egi ut instrumentum Dei, nec studui me disponere, ut, prout optabat, opera mea uteretur.

Quanto damno. 1. Salutis. 2. Perfectionis. 3. Proximi

PUN-

PUNCTUM IV.

Nunc currendum est.

COgitabo ex una parte, quàm fortè parum mihi sit vitæ; quam multum viæ ad finem meum; quantum fortè oneris ratione officiorum, quæ imponi poterunt; quam parum otii, ad liberè & quietè mihi vacandum, quam parū virium corporis & animi. Ex alia verò parte mihi ponam ante oculos Christum invitantem me, imo trahentem post se, & acriter perurgentem, suæq; gratiæ & Spiritus efficacia ac fervore parantem dirumpere vincula mea, & ponere pedes meos tanquam cervorum: ut dum mihi temporis aliquid & virium supereſt, incitatissimo cursu errores & tarditatem pristinam compensem, & aliquid perfectionis acquiram. Decernam ergo jam tota contentione ita currere, ut per actiones verè me promoveam ad desideratam toto corde formam perfectam Christi. Hactenus enim fui similis illi qui vult & non vult, & ideo in via spirituali tot passus sum difficultates, tot tædia.

Urgente Christo.

Sic facilior est via.

Qui enim ita procedit lente & inconstanter, nihil proficit: & cùm sæpe remittat, quiescat, aberret, sæpe repetenda via est, sæpe incipiendum de novo, cum nova difficultate, unde facilè defatigatur, & animum progrediendi abjicit. At qui decernit seſe totum tradere Deo, & unico velut ictu animam suam propter Deum perdit, non secus atq; martyres: brevi mortis compendio magnas difficultates & longa certamina redimit, ut experientia constat; plusq; uno die currendo proficit, quam multis tepidè procedendo. Quare *si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

Gal. 5. 25.

CONSIDERATIONES AD EXERCITIA SPIRITUALIA.

CONSIDERATIO PRIMA.

De Missæ Sacrificio, sacra Communione, & visitatione SS. Sacramenti.

Cùm actiones istæ Christo nos uniant, maximas utilitates afferent, si ritè fiant.

DE SACRO MISSÆ SACRIFICIO.

I. Cùm ad sacrum vel faciendum vel audiendum pergis, meminisse potes, te pergere ad Calvariæ montem, ubi pro te Christus erit victima.

II. Si attendas ad ea quæ sacerdos inter celebrandum facit, in ipso introitu una cum eo confitere ex animo peccata tua, sicque te ad puriſſimum sacrificium puritate tui cordis dispone.

III. In ipso evangelio, memento te esse Christianum, tibi standum pro evangelio esse, tibi pro illo, si res ita postularet, sanguinem esse profundendum.

IV. Quatuor habet illud sacrificium: holocaustum est, evchariſticum, propitiatorium, impetratorium. Offerisne illud in honorem supre-

mæ illius majestatis ? in gratiarum actionem pro tot à Deo beneficiis acceptis ? in propitiationem pro peccatis tuis ? in impetrationem gratiarum quibus tu aliique indigetis ? Vide, ut te quoque Deo cum hostia offeras.

V. Si sacrum facis, observa ceremonias omnes, eodemque te modo gere, quo se gereret Christus ipse, cujus illic personam geris. Si sacrum audis, uniri debes mente cum ipso celebrante, ita ut quodammodo cum illo fias unus celebrans & unus sacerdos.

VI. Ne distractionibus vagetur animus, uti potes, vel orationibus vocalibus, vel potius meditationibus aliquot de Passione Christi, quæ tota missa repræsentatur.

VII. Si reipsa communicare non potes, potes saltem, dum celebrans communicat, mente & spiritu communicare. Idque facies, 1. si præ humilitate unire te non audeas cum Christo, eo modo quo sacerdos facit. 2. Si præ summo in Christum amore illud tamen etiam atque etiam desideres.

DE SACRA COMMUNIONE.

I. Satis est semel communicasse, ut perfecti simus : cur ergo post tot communiones ita imperfectus es ?

II. Accedísne ad illam eo modo, quo si in paradísum intrares ? Quid enim ? nonne tibi tanta opus est reverentia, ut recipias Jesum in te, quanta ut recipiaris à Jesu in regno suo ?

III. Si frequens communionis usus nonnihil

hil detrahere videatur ex illo fervore, quo primum ad eam accesseras, id tua culpa contingere scito. Quo quis enim sæpius communicat, si modo bene dispositus fuerit, eo sæpius vellet communicare: quemadmodum Beati quo diutius vident Deum, eo magis ac magis videre illum cupiunt.

IV. Cùm habes Jesum in pectore, cogita tunc esse *tempus acceptabile & diem salutis.* Habes enim tunc temporis potissimum Dominum, à quo sperare omnia debes: habes sapientissimum medicum, qui curare omnes languores tuos potest: habes charissimum amicum, à quo petere omnia potes & accipere: habes suavissimum sponsum, cum quo potes amantissime colloqui, &c.

V. Audísne quid loquatur in te Dominus? ut te tuarum negligentiarum suaviter admonet, ut te tuum officium docet, ut te amplectitur, &c.

VI. Magna hîc præparatione est opus. Quare hæ veritates quantumvis vulgares sæpius animo sunt repetendæ. *Quis es, Domine, qui ad me venis & quis ego qui ad te accedo? quomodo venis ad me, & quomodo accedo ad te? cur venis ad me, & cur ad te accedo? Quid à me postulat, quid ab illo postulo? Quid facere pro me nunc potest, quid facere pro illo nunc debeo? Quid dedit, quid retribuam?* Tum quæ difficiliora videntur in Dei cultu cogita, & vide an Deo, qui se totum dat tibi, denegare quidquam debes.

DE VISITATIONE SS. SACRAMENTI. Tempus statuere debes & locum in quo illa fiat. Fiet autem cum fructu, si memineris adire te, modo regem tuum, modo doctorem tuum, modo patronum, modo medicũ, modo amicũ, modo patrem optimum, pro ea, in qua tunc eris, necessitate, vel pietatis sensu. Hæc si rectè faceres, quid non hautires ab illo gratiarum fonte?

CONSIDERATIO II.

De Examine conscientiæ & Confessione Sacramentali.

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ. I. Non advertis forsan quam tremendum futurum sit illud examen, in quo Deus judicare te debet? Illúdne prævenis serio tuæ conscientiæ examine?

II. At quam negligens es in eo? quam malè observas quinque illius puncta? vix lumen quæris à Deo, ut peccata tua penitus introspicias: vix illa percurris: vix ad eorum radicem usque penetras: vix contereris de illis: vix emendationem proponis; vix investigas modum quo illa vitari deinceps debeant. Hæc diligenter expende.

III. An soles annotare tunc præcipua peccata, ut ea postmodum apud sacerdotem deponas? an post examen aliqua Deum satisfactione aut pœnitentia placare soles?

IV. Paratúsne esses ad mortem, & ad examen Dei, post illud tuum examen? an postea te

te magis colligis? quis tandem fructus ex illo remanet?

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ. I. Quomodo ad illud accedis? an tanquam ad pretiosum sanguinis Christi balneum, in quo sordes omnes tuas debes abluere?

II. Quo motivo ad illud accedis? an ut soli consuetudini pareas? an ut animi tantum & conscientiæ cesset perturbatio? an non magis ut Deo satisfacias?

III. Qua præparatione ad illud accedis? an post rite examinatam conscientiam? an eo dolore, quo debes conteri? an ea reverentia, qua accederes ad crucem Christi morientis pro peccatis tuis, téque suo sanguine purgantis à sordibus tuis?

IV. Dum confiteris, an omittis aut leviter tantum perstringis ea quæ tibi pudori essent? an te excusas? an culpam in alios refundis? an numerum & circumstantias peccatorum refers?

V. An caves postmodum ne recidas? idque si facis, an propter amorem Dei, quem recidendo gravius offendis?

VI. An emendationem proponis, & quam? an pœnitentiam imples, & quomodo? an, & quos fructus ex sacramento pœnitentiæ colligis?

VII. An cogitas, ut absolutionem obtineas à peccato veniali, ita detestandum illius objectum esse, ut fixum tibi certúmque sit ab hoc prorsus imposterum abstinere? Si non eo sis animo, frustra illud confiteris.

VIII. An præscriptum habes diem aliquem in quo bis aut semel in anno, conscientiam omnem tuam excutias, & confessione generali peccata, quæ per annum admiseris, deponas apud Confessarium? hac praxi nihil est utilius. An illa uteris, & quomodo?

CONSIDERATIO III.

De Oratione Mentali, cæterisq; precibus.

ORATIONI MENTALI, I. Num aliquando defuisti, & quam sæpe?

II. An argumenta meditandi sumis ab autore approbato, neq; suaviora ad consolationem, neque ad curiositatem altiora: sed ea inprimis: quæ ad præsentem animi fructum, ac præsertim ad mortificationem obtinendam sint aptissima?

III. Christi Domini dicta, facta, sed maximè passionem & mortem ut imiteris, sæpius meditare.

IV. Meditationis puncta præcipua, affectúsque sero præparabis, revocabísq; in memoriam inter decumbendum, & cum postridie surgis.

V. Animum collige paulo antequam ad meditandum aggrediaris. Initio reverenter Deum adora: postula, ut omnes tum animi tum corporis vires ad meditationem ritè obeundam concurrant: fructúmque, quem præcipuè intendis, petere nunquam omittes.

VI. In singulis punctis memoriam, intellectum, & voluntatem exercebis; sed præcipuè voluntatem: quæ si post primum punctum pio

aliquo

aliquo affectu movebitur, noli ad aliud prætervolare, quamdiu talis affectus durabit.

VII. Colloquia interdum cum Deo, cum B. Virgine sanctisque miscebis, sed præsertim sub finem.

VIII. Varias poteris ex eodem principio conclusiones deducere: sed cave à ratiocinationibus illis subtilioribus & speculativis, quæ sic mentem pascunt, ut voluntatē jejunam relinquant.

IX. Sæpe inter orandum melius est pati, quam agere, & Deum audire, quam alloqui. Sed periculosum est ne suggestiones diaboli pro divinis inspirationibus sumantur. Quare in his sapientissimo directore opus est.

X. Post meditationem, examinabis quomodo peracta sit. Si quid deliqueris, veniam petes; proponésque emendationem: si quos affectus utiles elicueris, notabis; iisque per diem tanquam orationibus jaculatoriis uteris identidem.

XI. Orationem ex fructu æstima? Vide ergo diligenter quantum ex ea percipias, quæque ex ea ad quotidianum praxim revoces: eo enim referri meditationes singulæ debent.

PRECES I. Quæ voce efferuntur, quotidie aliquæ usurpandæ sunt: sed ita ut eas lente pronuncies, ut modesto sis corporis habitu, & animo vel ad sensum verborum, vel ad finem orationis, vel ad Deum ipsum quem alloqueris attento. Hæc fortè non servas, dum recitatur oratio Angelica, dum benedicitur mensæ, &c.

II. Statue quas preces deinceps velis & possis

recitare in honorem Christi, B. Virginis, S. Josephi, Angeli custodis, patroni, &c.

III. Orationes, quibus ex officio tenemur, anteponendæ sunt iis quas ad libitum usurpamus. Recitari debent attentè, devotè & opportuno tempore.

IV. Singulis horis animum ad Deum converte, item quando te ab actione aliqua ad aliam refers: in eamque rem versiculos è psalmis aliisve sacræ Scripturæ locis memoria teneto maximè ex meditatione matutina.

V. Deum ne oras pro Ecclesia, amicis, inimicis, conversione animarum, defunctis, iisque qui se tuis precibus commendarunt; siccine alios tui oblivisci, æquo animo feras?

VI. Sint semper voluntati Dei subordinatæ preces tuæ, Christique meritis unitæ.

CONSIDERATIO IV.

De lectione spirituali, sacra concione, & communicatione cum directore.

Hæc 3. sunt præcipua media, quibus nos Deus instruit.

LECTIONI SPIRITUALI. I. Certum ne habes ac destinatum tempus? an consilio directoris?

II. Nulla te occupatio ab hac avocet. Si enim doctus es, fortasse speculativè, non practicè doctus es: si ignarus, erudiri sic debes. Quæ legeris, ad praxin redige. III.

III. Ei potissimum lectioni vaca, quæ tibi conveniat : non enim cuilibet omnis convenit. Si in aliquam virtutem præcipuè incumbis, de ea lege.

IV. Ne plures legas libros quam par sit, etsi bonos: plus prodest unus, si perpendatur, & reguſtetur, quam plures cursim lecti: multitudo ciborum obruit stomachum, non alit : sic & librorum multitudo animum.

V. Cave ne curiositas irrepat: sed fuge præsertim ea quæ sapiunt novitatem. Ipsa etiam bonarum rerum aviditas quandoque nocet : quare ne ultra præscriptum tempus nimium protrahas lectionem.

VI. Antequam incipias lectionem, pete lumen à Deo; & in fine, roga ut confirmet, quæ operatus est in te.

VII. Expedit inprimis legere aliquid ex sacra sacra Scriptnra, & ex libro de Imitatione Christi.

CONCIONATORES. I. Audi, qui magis erudiendis, & movendis auditoribus, quam delectandis studeant.

II. Ad concionem te confer, non ut censor, sed ut humilis docilísque doctrinæ divinæ discipulus. Ora Deum, ut quæ dicuntur, non careant suo fructu apud te & apud cæteros. Quod te præcipuè moverit, reguſta : vide quo pacto id usurpes.

DE DIRECTORE. I. perpende, utrum matura cum deliberatione elegeris : an probitatis & doctrinæ probatæ sit : num te ducat per

vias insolitas, & anxie prohibeat, ne quemquam alium consulas: suspectus enim vel ex eo debet esse.

II. An sincerè cum illo agis? An præcipuos animi motus, vitia virtutes, & modum agendi in oratione, lectione, communione, mortificatione, &c. aperis? Num fortè melior vis ab eo haberi, quam sis, & sic aut defectus celas, aut virtutes fingis, aut exaggeras?

III. An te docilem & obedientem in omnibus ad salutem animæ pertinentibus præbes?

IV. Adi illum identidem: sed ante Deum ora, ut ei quæ ad tuam perfectionem faciunt, aperiat. Cole ipsum: neque tamen tenacius illi adhæreas.

CONSIDERATIO V.

De statu & officio uniuscujusque, deque temporis usura.

DE STATU UNIUSCUJUSQUE. I. An te Deus vocavit ad eum statum, in quo nunc es? si te vocavit, an, & quomodo ea, quæ sunt status illius, adimples?

II. Si statum, in quo es, mutare non potes, vide quomodo procurare in eo salutem tuam possis: si potes & debes mutare, vide qua id fieri ratione possit ad Dei gloriam, tuámque salutem. Sed in re hujus momenti sapientis utere directoris consilio.

III. Sorte tua contentus esto. Ne Superioribus invideas, ne despicias inferiores. Vita hominum

num tragœdia est, in qua non qui regis aut principis, sed qui bene personam suam gerit, qualiscunque illa sit, laude & mercede dignus est.

IV. Quo pacto adversis properísque uteris?

DE OFFICIO UNIUSCUJUSQUE. I. An juxta Dei voluntatem tale officium suscepisti? Hoc si ita est, an eo, quo par est, modo in id incumbis? Reddere Deo rationem illius debes: hæc tua est ad cœlum via. Noli naturæ impetu aut hominum respectu agi, sed ratione Deíque voluntate, cujus meminisse inter agendum debes.

II. Ita respicere debes quæ tua sunt, ut respicias primò ea quæ sunt Dei; ita curare temporalia, ut non amittas æterna; ita jus tuum sustinere, ut ab alieno abstineas. Omnia quæ vel ad te vel ad familiam tuam spectant, pro tua conditione ordinatissima sunto: neque omittas quæ in eo ab hominibus verè Christianis usurpantur. Hæc hodie vide, tibique præscribe.

III. Dum tuis negotiis vacas, cave à vana gloria, si sublimia sint; à nimia divitiarum cupiditate, si lucrum afferant; à voluptatis illecebra, si quid habeant delectationis. Quod si arduа sint, ne desperes: si gravia & dura, ne nimio plus perturberis. Quærenti Jesum in omnibus, nihil arduum aut grave est.

IV. Ita te occupent negotia tua, ut in Deo simul occuperis. Salus tua unum est maximum negotium.

V. Auctoritatem, si quam habes, eo tibi concessam existima, ut aliis prosis. DE

DE TEMPORIS USURA. I. Tempore nihil pretiosius est : nihil tamen facilius teritur, nihil labitur celerius, nihil difficilius recuperatur. Ex bono vel malo temporis usu tota pendet æternitas.

II. Expende ergo quanti referat bene illud collocare, disponere, & distribuere. Quamobrem tempus sit orandi, tempus studendi, tempus negotiandi, tempus otiandi, &c. Examina quomodo te in singulis geras, quid pecces, quid perficere possis.

CONSIDERATIO VI.

De virtute, cui studere potissimum debemus.

COnsideràsti jam in meditatione de peccatis, quæ origo esset tuarum imperfectionum : ex eo vide quæ virtus tibi necessaria maximè sit, habita ratione tuæ indolis, muneris, & occasionum, quæ se offerent hoc anno. Pete à Deo lumen, ut eam virtutem probè eligas.

Perpende. I. radicem omnium, quæ in te sunt, imperfectionum : quanta sit illius vis, quomodo restiteris ad hanc diem, an creverit, & qui id factum sit.

II. Cogita pericula amittendæ Dei gratiæ, salutis, vocationis, perfectionis, in quæ te conjicit, considerata imprimis natura tua ferventiore, elatiore, &c.

III. Ab hac prima radice imperfectionum venies

nies ad secundam, & eodem modo ad tertiam, quas ita discuties accuratè, quasi tantum cum singulis tibi res esset.

IV. Constitue hoc anno virtuti contrariæ studere : Deum ora, ut tuam probet electionem, & propositum firmet.

V. Fine ita constituto, eligenda media sunt accommodata virtuti propositæ. Media autem alia sunt communia, meditatio, oratio vocalis, examina, lectio spiritualis, actiones pietatis, misericordiæ &c. alia propria. Et quidem. 1. est se discutias diligenter naturam vitii quod fugere, & virtutis quam consequi intendis. 2. Si proponas nullos actus vitii, virtutis autem oppositæ tum externos actus tum maximè internos elicere. 3. Si invigiles omnibus occasionibus, ut talem virtutem exerceas. 4. Si in examine & generali & particulari imprimis notes, quos progressus feceris, qui defectus occurrerint aut commissionis aut omissionis, & unde : quid obstiterit : quæ lumina habueris. Pœnam tibi impone ob defectus admissos, & propone emendationem. 5. Si unaquaque hebdomada horam impendas unam recognoscendis tuis in hac virtute progressibus.

VI. Hæc autem hebdomadaria consideratio ita facienda. Perpendes. 1. quam intentionem proficiendi habueris. Hæc intentio debet esse frequens, firma, sedula, generosa : videbisq;, an ex primo fervore aliquid remiseris. 2. Quomodo usus sis medijs generalibus, an aliquod ex iis omis-

omissum per incuriam : quomodo adhibueris media ad tuum finem accommodata, qua diligentia, quo ardore animi : atque hæc scripto nota. 3. In memoriã revoca quæ per hebdomadam integram desideria proficiendi habueris, quos motus à Deo immissos &c. 4. Vide an profeceris, quod ex tribus maximè intelliges: si tuam utilitatem clarius cognoscas: si desiderium sentias ardentius acquirendæ virtutis propositæ: si in exercitiis spiritualibus firmus sis & constans. Potes item diem cum die hebdomadam cum hebdomada conferre. 5. Considera quoties viceris, & quoties victus sis: inquire unde lapsus sis: remedium quære: pœnam aliquam tibi impone. 6. Prævide hebdomadam consequentem: qua de re meditari debeas: stude ut accomodata sit tuo proposito, & careat imperfectionibus, quas in præcedentibus deprehendisti: & sic de omnibus rebus aliquid apud te statue. 7. Impende diem unum singulis mensibus, ut virtuti acquirendæ impensius vaces: lege, meditare, examina, ut fecisti in hebdomadaria recollectione.

CONSIDERATIO VII.

De conversatione.

1. TUa conversatio debet ita utilis esse omnibus, ut tibi non noceat. Quod assequeris, si & tuæ conditionis & eorum quibus cum agis memineris.

II. Com-

II. Compone diligenter externum corporis habitum, vultum, oculos, gestus, vocem sic, ut te coram Deo agere semper cogites.

III. Amabilem potius quam austerum te præbebis: quod præstabis potissimum comitate, modestia, & humilitate, & magna erga eos cum quibus agis reverentia.

IV. Ita te gravem exhibe, ut effugias superbiæ aut arrogantiæ notam: ita comem & familiarem, ut levitatem, aut etiam nimis affectatam urbanitatem evites.

V. Quantum fieri poterit eorum te indoli, cum quibus versaris, accomoda. Quare noli flere cum ridentibus, neque ridere cum flentibus, nisi quandoque ut solatio aliquo recrees afflictos.

VI. Ita cum omnibus etiam domesticis age, ut nemo se putet à te contemni.

VII. In oblectationibus, conviviis, ludis &c. tibi præcipuè attende, Deique identidem memor esto: difficillimè enim in his servatur modus.

VIII. Si tibi cum aliquo tractandum est de re paulo graviori, meditare prius dicenda, cor ad Deum & ad Angelum tuum custodem erige, converte te etiam ad illius Angelum custodem: si se minus tamen facilem ille præbebit, ne continuo despondeas animum.

IX. Cave præcipuè ab omnibus, quæ quomodocunque violant alienam famam & charitatem.

X. Alienos

X. Alienos defectus patienter feras, neque ab his refugias, qui tibi sunt molesti: tibi enim proficies vincendo naturam, & illis quos tua facilitate aut demulcebis aut corriges.

XI. Quære eos potissimum qui de rebus divinis & piis libenter colloquantur: sed dum de iis ages, ne te importunum aliis exhibeas, & cave ne monere magis, quam colloqui videaris.

XII. Si quid peccatur quod à te debeat corrigi, id ita præsta, ut neque videare indulgentior, neque etiam subiratior.

XIII. Singularis industriæ est, inutiles aut pravos sermones ad utiliores convertere: sed non fit sæpe sine aliorum offensione, quæ ut vitetur, petendum à Deo auxilium.

XIV. Cave ne, cùm res tibi minus belle procedunt, dent alii tibi pœnas tuæ morositatis.

XV. Fuge ut pestem lusus illos minus liberales, qui in scurrilitatem degenerant: quia nihil magis veræ pietati pernicioſum est. Ita moderata sit lætitia tua, ut nunquam te in cachinnos effundas.

XVI. Cùm id à te officium exiget, ut aliquos invisas, curabis eo modo id fiat, qui Christianum hominem decet: neque plus temporis impendes, quam honestas aut necessitas requirat.

XVII. Suspectas amicitias aut periculosas fuge.

CON-

CONSIDERATIO VIII.

De mortificatione.

FAlluntur vulgò sæculares, qui mortificationes omnes in claustra amandandas esse putant. Neque enim æquum est, ut qui innocentius vivunt, pœnitentiæ, quæ reorũ est, potissimum studeant. Certè non religiosos solos, sed Christianos omnes Christus alloquitur, dum ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Constat igitur, omnibus ad salutem & perfectionem aspirantibus mortificationem esse amplectendam. *Matt. 16. 24.*

II. Ea duplicis est generis: altera penitus necessaria, altera utilis tantùm. Prima præcipitur, secunda consulitur: de illa dictum est, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te:* de ista: *Qui potest capere, capiat.* Primi generis usus consistit in eo, ut quidquid ad peccatum sive mortale, sive veniale impellere posset, penitus abjiciatur. *Marc. 9. 46. Matt. 19. 12.*

III. Considera, quæ sit frequentior causa lapsus, utrum amici, amor propriæ excellentiæ, ambitio, voluptas, &c. hæc enim tibi amputanda esse prorsus existima. Nam, ut ait veritas æterna, *Si quis non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* *Luc. 14. 26.*

IV. Sed remota peccandi occasione, qui ad perfectionem aspirat, majus aliquid aggredi oportet. Nemo est, cui non insit aliqua minus ordinata inclinatio. Alii plus æquo honoris appetentes sunt, alii nimis indulgent corpori, illi in ludum propensiores, isti conversationibus quibusdam liberioribus implicati sunt. Quisquis ejusmodi est, sciat se nunquam Deo penitus acceptum fore, nisi modum in iis eúmque arctissimum servet. Licet enim ista apertè peccata non sint : difficile tamen ab omni peccandi periculo absunt. Firmiter igitur hodie propone, sensuum, inclinationũ, vanitatis, desideriorum, curiositatis studere mortificationi : qui enim illam neglexerit, rarò, aut nunquam perfectam animi puritatem assequetur.

V. De mortificationibus corporis nihil est quod speciatim dicam : unusquisque vires propriámque necessitatem consulere debet. Hoc unum in genere affirmare licet, quod sæpe longè plura ferre possumus, quam natura sibi malè blandiens arbitretur.

VI. Verum ne quis prudentiæ limites excedat, consulat conscientiæ moderatorem, illíisque pœnitentijs magno & forti animo utatur, quas sibi aut necessarias esse aut utiles ad perfectionem acquirendam judicarit.

INDEX

INDEX MEDITATIONVM

TOMI SECUNDI.

IV. PARS MEDITAT.

De Passione D. N. Iesu Christi.

INtroductio. 1
Medit. 1. De circumstantiis Dominicæ passionis. 6
2. Prædicit discipulis passionem. 15
3. De ingressu in Jerusalem. 17
4. De fletu super Jerusalem. 20
5. De cœna in Bethania. 22
6. De Christi venditione. 24
7. De esu agni paschalis. 28
8. De lotione pedum. 30
9. De præmissis ante institutionem SS. Evcharistiæ. 34
10. De loco, tempore, & convivis. 36
11. De conversione panis in corpus. 37

12. De conversione vini in sanguinem. 41
13. De sacramentalibus speciebus panis & vini, 43
14. De ritu consecrationis, &c. 45
15. De potestate consecrandi SS. Evchariſtiam data Apostolis. 47
16. De insinuatione proditoris. 50
17. De Apostolorum contentione. 53
18. De sermone Christi post cœnam. 56
19. De oratione Christi ad Patrem, 61
20. De itinere Christi ad hortum. 64
21. Oratio Christi in horto. 68
22. De sudore sanguineo. 71
23. Applicatio sensuum internorum circa effusionem sanguinis Christi. 73
24. De osculo Judæ, &c. 74
25. Comprehensio Christi. 78
26. Ducitur ad Annam. 80
27. De alapa in domo Annæ. 83
28. Triplex negatio Petri. 84
29. De accusatione coram Caïpha. 87
30. De illusione apud Caïpham. 90
31. Trahitur ad Pilatum. 94
32. De accusatione coram Pilato. 97
33. De missione ad Herodem & remissione. 100
34. Christus Barabbæ postponitur. 102
35. De flagellatione. 104
36. De coronatione spinea. 106

37. De

37. De productione ad populum. 109
38. De condemnatione ad crucem. 112
39. De crucis bajulatione. 113
40. De circumstantiis crucifixionis. 118
41. Cruci affigitur. 119
42. De mysteriis in Christo crucifixo. 122
43. De titulo crucis. 124
44. Partitio vestium & blasphemiæ. 127
45. De 1. verbo pro crucifixoribus. 130
46. De 2. verbo ad latronem. 131
47. De 3. verbo ad Matrem. 135
48. De tenebris & 4. verbo. 137
49. De 5. verbo, Sitio. 139
50. De 6. verbo, Consummatum est. 141
51. De 7. verbo, Commendo spiritum. 142
52. De prodigiis post mortem. 145
53. De lateris apertione. 146
54. Depositio de cruce. 150
55. De sepultura Christi. 151
56. De solitudine B. V. post sepulturam. 153
57. De custodia sepulchri. 155

V. PARS MEDITAT.

De Resurrectione, & sequentibus mysteriis.

INtroductio. De scopo viæ unitivæ. 157
Medit. 1. De descensu Christi ad inferos. 161
2. De resurrectione Christi. 165

De apparitione facta.

3. Matri. 169
4. Magdalenæ. 173
5. Aliis mulieribus. 176
6. Petro apud sepulchrum. 178
7. Euntibus in Emaus. 180
8. Congregatis eodem die discipulis. 184
9. Dat Spiritum sanctum. 187
10. Apostolis 8. die præsente Thoma. 190
11. Cur reservaverit cicatrices vulnerum. 192
12. Apparitio piscantibus in Galilæa. 195
13. Committit Petro oves. 197
14. Apparitio in monte Galilææ. 200
15. De mansione Christi ad consummationem seculi. 203
16. De alijs variis apparitionibus. 204
17. Apparitio in die Ascensionis. 206
18. Ascendit in cœlum. 209

19. De

19. De triumpho ascendentis Christi. 212
20. Expectatio adventus Spiritus S. 215
21. De electione Matthiæ Apostoli. 217
22. De beneficio dati Spiritus S. 219
23. De modo quo datus est Spiritus S. 222
24. De gestis ab Apostolis in die Pentecostes. 227
25. De vita primorum Christianorum. 229
26. De Spiritus S. inspirationibus. 231
27. De septem donis Spiritus S. 233
28. De S. Stephano Protomartyre. 237
29. Conversio Pauli. 242
30. De iis quæ secuta sunt Pauli conversionem. 247
31. Illustres Pauli virtutes. 252
32. Vocatio Cornelii ad visum Petri. 261
33. D. B. Virgine, quomodo vixerit post adventum Spiritus S. 264
34. De transitu B. Virginis è vita. 268
35. De glorificatione animæ B. Virginis. 271
36. De Assumptione in corpore. 275
37. De humilitate B. Virginis. 276
38. De devotione erga B. Virginem. 280
39. Pro festis Sanctorum. 286

VI. PARS MEDITAT.

De perfectionibus Dei, & beneficiis.

INtroductio. De mysteriis Divinitatis & fervent ibus amoris affectibus. 289
Modus meditandi Dei beneficia ex affectu gratitudinis. 262
Medit. I. Quod Deus sit. 294
2. De Æternitate Dei. 299
3. De infinitate Dei. 301
4. De unitate essentiæ, & Trinitate personarum. 305
5. De perfectione infinita. 315
6. De bonitate Dei. 316
7. De communicatione bonitatis Dei. 318
8. De amabilitate summa Dei. 320
9. Qualem charitatem Deus habet. 324
10. De excellentiis charitatis divinæ. 329
11. Quod Deus vult à nobis amari. 334
12. De infinita misericordia Dei. 338
13. De liberalitate Dei. 342
14. De immensitate Dei. 344
15. De infinita Dei sapientia. 348
16. De Omnipotentia Dei. 352
17. De Omnipotentia Dei in creatione. 354

18. Circa id quod initio temporis creatum est. 356
19. De opere primæ diei. 359
20. De opere secundæ diei. 362
21. De opere tertiæ diei. 365
22. De opere quartæ diei. 371
23. De opere quintæ diei. 375
24. De opere sextæ diei. 378
25. De creatione hominis. 380
26. De formatione corporis Adæ, & inspiratione animæ. 384
27. De approbatione totius operis ac de Sabbato. 388
28. De conservatione rerum & dependentia à Deo. 391
29. Quid sit providentia, & quæ bona ex ea proveniant. 393
30. De providentia in gubernatione mundi. 395
31. De providentia in cultu & bonis fortunæ. 396
32. De providentia Dei in adversis & malis, tum culpæ, tum pœnæ. 402
33. De providentia in orationibus exaudiendis. 405
34. De providentia in custodia Angelorum. 407
35. De providentia in reparatione hominis per Christum. 411

36. De providentia in Ecclesia fundanda. 413
37. De providentia in vocatione ad Ecclesiam & fidem. 415
38. De providentia in Sacramentorum institutione. 417
39. De providentia in institutione venerabilis Sacramenti. 418
40. Quod Sacramentum Evchariſtiæ ſit memoria mirabilium Domini. 421
41. De Evchariſtia, ut memoriali Paſſionis. 423
42. De Evchariſtia, ut ſigno & cauſſa ſanctificationis. 425
43. De Evchariſtia, ut eſt pignus futuræ gloriæ. 427
44. Applicatio ſenſuum ad SS. Evchariſtiam. 428
45. De ſupplicatione corporis Chriſti. 430
46. De providentia Dei in aſſignando cuique ſtatu. 432
47. De providentia circa ſtatum Religioſum. 433
48. De bonis ſtatus Religioſi. 435
49. De providentia erga Prædeſtinatos. 437
50. De humilitate & reſignatione pro conſequendis fructibus providentiæ. 438
De cœleſti gloria.
51. Quid ſit, de loco, & ſociis. 440
52. De eſſentiali gloria animæ & corporis. 441

53. De gloria cœlesti, ut respondet octo beatitudinibus. 444
54. De gloria cœlesti, ut datur vincenti. 446

SVPPLEMENTVM.

Dominica. 4. Adventus. Prædicatio Joannis. 452
Dominica Passionis. De immunitate Christi à peccato. 455
Dom. 4 post Pascha. Vado ad eum qui misit me. 456
Dom. post Ascensionem. Cùm venerit Paracletus. 458
Dom. 4. post Pent. Christus docet è navi Petri. 460
Dom. 7. post Pent. De falsis Prophetis. 462
Dom. 18. post Pent. De Paralytico. 464
Dom. 20. post Pent. De reguli filio. 465
Dom. 22. post Pent. De numismate census. 467

PROPRIUM SANCTORUM.

De S. Andrea. 469
De S. Francisco Xaverio. 471

De

De S. Nicolao. 473
De S. Ioanne Evangelista. 476
De S Genovefa, Lutetiæ Patrona. 478
De S. Francisco Salesio. 481
De S. Thoma Aquinate. 484
De S. Benedicto. 486
De S. Francisco à Paula. 488
De S. Marco. 491
De SS. Philippo & Iacobo. 493
De S. Norberto. 496
De S. Barnaba. 498
De B. Aloysio Gonzaga S. I. 501
De S. Anna. 503
D. S. Ignatio S. I. Fundatore. 505
De S. Dominico. 508
De S. Laurentio. 511
De S. Bernardo. 513
De S. Bartholomæo. 516
De S. Ludovico, Galliæ Rege. 518
De S. Augustino. 521
De Exaltatione S. Crucis. 523
De S. Matthæo. 525
De S. Michaële. 527
De B. Francisco Borgia. 529
De S. Francisco. 532
De S. Brunone. 534
De S. Dionysio. 537
De S. Theresia. 539
De S. Luca. 541

De SS. Simone & Juda. 544
De S. Carolo. 546
De S. Martino. 550
De S. Catharina. 553

PRO RENOVATIONE VOTORUM.

1. *Medit.* Religiosi reformatio in renovatione votorum. 556
2. Idea religiosæ reformationis. 559
3. Defectus luminis spiritualis practici. 563
4. Defectus amoris Jesu Christi. 566
5. Levitas & inconstantia. 569
6. Tepiditas. 572

CONSIDERATIONES AD EXERCITIA SPIRITUALIA.

1. De Missæ Sacrificio, sacra Communione, & visitatione SS. Sacramenti. 575
2. De examine conscientiæ & confessione sacramentali. 578

3. De oratione mentali, cæteriſque precibus. 580
4. De lectione ſpirituali, ſacra concione, & communicatione cum directore. 582
5. De ſtatu & officio uniuſcujuſque deq; temporis uſura. 584
6. De virtute, cui ſtudere potiſſimum debemus. 586
7. De converſatione. 588
8. De mortificatione. 591

FINIS.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Franciscus Salesius. 29. *Ian.*

Imitatio vitæ Christi.

Simultum de nobis sentimus, imitemur filium Altissimi. Si parum, imitemur Publicanos, qui eum imitati sunt. S. Aug.

O. p. Societate Iesu, &

Patronus Anni
S. BENEDICTUS
ABBAS.

f 39

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN